PRAELECTIONES IURIS MATRIMONII

AD NORMAM CODICIS IURIS CANONICI

TERTIO EDIDIT

TH. M. VLAMING, I. U. D.

TOMUS I

SUMPTIBUS SOCIETATIS EDITRICIS ANONYMAE
OLIM PAULUS BRAND
HILVERSUM IN HOLLANDIA

2 vol. 140.

PRAELECTIONES IURIS MATRIMONII

TOMUS I

EVULGETUR.

J. H. VISSER,
a. h. d.

WARMUNDAE. 8 Nov. 1919.

PRAELECTIONES IURIS MATRIMONII

AD NORMAM CODICIS IURIS CANONICI

TERTIO EDIDIT

Th. M. VLAMING

E Lyceo Pontificii Seminarii Romani doctor iuris utriusque
In Curia dioecesana Harlemensi matrimoniorum Defensor
Parochus ad Nativ. B. M. Virg. de Berkel et Rodenrijs
In Seminario Warmundano olim Iuris Canonici Professor

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TOMUS I

ALMA COLLEGE
348.417
LIBRARY
V844
Alma, California

SUMPTIBUS SOCIETATIS EDITRICIS ANONYMAE
OLIM PAULUS BRAND
BUSSUM IN HOLLANDIA
1919
Printed in Holland

15430

PROOEMIUM.

Nonnisi blando instantique rogatu complurium, quibus olim eram in sacris colendis canonibus antecessor, in id tandem deveni, ut lectum eis quondam iuris matrimonialis tractatum ad normam novi Codicis ipsemet exigerem.

In quo equidem, iam per tredecim ferme annos pastoralibus magis quam canonicis intentus, a primigenia eiusdem modestia vix quidquam recedere potui. Quare, nonnisi parco utens doctrinae, praesertim historicae, apparatu, in concinnam tantummodo ac omnino simplicem novi iuris exegesin sum conatus, quin tamen illius ad ius praecedens rationes penitus despicerem.

Generalem vero ipsius Codicis rationem ac usum, utpote ad tractatum *de legibus* pertinentia potius, non duxi praemittenda.

Omnia autem ac singula iudicia de sensu adhibitorum canonum hisce paginis prolata, quatenus sufficienti auctoritate aliunde non fulciantur, iam antea profiteor me submittere declarationibus ac decisionibus, sive a Commissione Pontificia „ad Codicis canones authentice interpretandos", sive a S. S. Romanis Tribunalibus desuper adhuc emanandis.

Singulare incumbit grati animi debitum erga reverendum admodum et clarissimum operis Censorem — in docendi munere mihi alterum successorem — qui in libro parando non tantum mihi adstitit speculator officiosus, sed magis etiam dux omnino perspicax et in multis prudens ac benevolus servator.

BERKEL, in Festo S. Theodori, M. 1919.

TH. M VLAMING.

PROLEGOMENA

1. Ipsa rerum natura postulat, ad convenientem humani generis conservationem novos homines continuo procreari, eosdemque illi scopo adaptari, quem lex naturalis et divina cuilibet homini praestituit. Sicut autem ad novos homines procreandos, seu generandos, opus est, duos homines diversi sexus, i.e. virum et mulierem, physice coniungi in eo actu qui est prolis generativus, sic, ut homines noviter procreandi suo fini adaptentur, seu, quod idem est, per educationem (nutrimentum et disciplinam) ad statum perfectum hominis perducantur, praeterea opus est, eos qui procreandorum filiorum causa coniungi velint, inire inter se stabilem quamdam seu perpetuam vitae relationem. S. Th. qu. 41, art. 1^{0}. Iamvero, institutum, vi cuius in humana societate homines diversi sexus stabilem huiusmodi relationem inter se ineunt, potissimum ad filios tum procreandos tum educandos, dicitur matrimonium.

2. Matrimonii institutum, utpote ad convenientem generis humani et humanae societatis conservationem spectans, intime cum societatis bono cohaerere, ac proinde iure, i.e. legibus societatis regi oportere, unusquisque facile videt. Quoniam autem idem illud institutum a Christo, humani generis Reparatore et reipublicae christianae Conditore, ad dignitatem Sacramenti Novae Legis evectum est, quasi sponte iam sequitur — quod tamen infra fusius ostendemus — ius, quo inter christianos matrimonium regatur, aliud esse non posse nisi ius illius societatis, cui Christus res sacras regendas et administrandas commisit, nempe ius Ecclesiae Christianae, seu catholicae. Hinc mirum non est, de matrimonio verbum fieri in praelectionibus iuris ecclesiastici.

3. Quamvis rei a nobis tractandae partem potiorem sibi vindicent canones Ecclesiae de matrimonio tum proponendi tum explicandi, non tamen omittemus ea quoque pro opportunitate de matrimonio attingere, quae sive ad doctrinam fidei, sive ad doctrinam moralem et pastoralem, sive denique ad sacram liturgiam pertinent; quo fiat, ut unico tractatu comprehendatur quidquid futuris sacerdotibus de matrimonio scire necesse est.

4. Universam materiam eodem fere ordine quo „Codex Iuris Canonici" in duodecim partes dividimus.

Scilicet dicemus:

1° de matrimonii notionibus generalibus (C. 1012—1016);

2° de matrimonii promissione (C. 1017);

3° de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus (C. 1019—1034);

4° de matrimonii impedimentis (C. 1035—1080);

5° de dispensatione impedimentorum;

6° de consensu matrimoniali (C. 1081—1093);

7° de forma celebrationis matrimonii (C. 1094—1103);

8° de tempore et loco celebrationis matrimonii (C. 1108—1109);

9° de matrimonii effectibus (C. 1110—1117);

11° de separatione coniugum (C. 1118—1132);

11° de matrimonio nullo eiusque convalidatione (C. 1133—1141);

12° de secundis nuptiis (C. 1142—1143).

Recensitae tractatus nostri duodecim partes totidem Codicis de matrimonio capitibus quoad numerum quidem respondent sed non plane quoad materiae divisionem et singulorum capitum intitulationem. Scilicet quae in Codice, per modum cuiusdam prooemii et absque titulo, de notionibus generalibus matrimonii traduntur, ea in tractatu nostro partim primam, partim secundam partem constituunt. Contra, quae in Codice triplici distincto capite (II, III et IV) de impedi-

mentis matrimonii traduntur, ea nos unica Parte IV[a] sumus complexi, e qua tamen materiam „de dispensationibus", speciali parte V[a] tractandam, secrevimus. Denique Cap. VII Codicis, „de matrimonio conscientiae" inscriptum, in tractatu nostro Parti VII „de forma celebrationis matrimonii" incorporatum invenietur.

PARS I

NOTIONES GENERALES MATRIMONII

Caput. I. De matrimonii denominationibus

5. Ipsum matrimonii nomen unde derivatum?

Matrimonium unice derivatur a voce mater „nam *monium* mera vocis productio est, ut a *pater* patrimonium, a *sanctus* sanctimonia" etc. [1].

Iamvero matrimonium a matre, non autem a patre nomen sortitur, quia in procreanda et educanda prole, cuius potissimum rei causa matrimonium suscipitur, potiora sunt munera matris [2], quippe cui, uti pulchre dicit Greg. IX: „infans est ante partum onerosus, in partu dolorosus, post partum laboriosus" [3].

6. Quaenam sunt alia matrimonii nomina?

Matrimonium alio nomine dicitur:

1° Coniugium, quod a *coniungendo* appellatur, quia legitima mulier cum viro quasi uno *iugo* adstringitur. *Catech. Rom.* l.c. Et revera, testante Cicerone, antienquitus apud Romanos ad solemnitatem nuptiarum pertinebat, quod „iugum imponebatur matrimonio coniungendis" [4].

2° Consortium, quia vir et mulier communem habent *sortem* et societatem.

---

1) Forcellini, *Totius latinitatis lexicon*, in voce *Matrimonium*.

2) Nulla hîc exstat connexio cum *matriarchatu*, quem vocant, i. e. cum conficta a quibusdam ethnologis relatione sociali solius matris ad liberos, virorum promiscuitate primitus conceptos. Cathrein, *Moralphtlosophie* [4], II, S. 384, f.f. Cfr. Wijnaendts Franken. *De evolutie van het huwelijk*, Leiden, 1894, blz. 163.

3) C. 2 *de conversione infidelium* (III, 33); Cfr. *Cat. Rom.*, P. II, c. VIII, n. 2.

4) *De officiis*, I, 17.

3° Nuptiae vel connubium, quod dicitur a *nubendo*, quia iuxta veterem ritum, qui apud plures Orientales etiam hodie adhibetur, mulieres matrimonium ineuntes, antequam viro tradebantur, solebant caput *obnubere* (omhullen als met een wolk) seu cooperire flammeo, id est velo flammei coloris; cujus ritus memoria exstat in Gen. XX, 16 et XXIV, 65. Praedictam caerimoniam puellae adhibebant tum *pudoris* gratia, tum ad declarandam suam sub potestate viri *subiectionem*. Lege verba S. Ambrosii in *Cat. Rom.*, l.c. [1]).

Caput II. Matrimonii notio

7. Matrimonii notio quomodo efformanda?

Matrimonii institutum post adventum Christi dupliciter considerari potest, scl. *a.* ut „in officium naturae" institutum et *b.* ut Novae Legis sacramentum. Siquidem ante et extra Christi Ecclesiam matrimonium existebat et adhuc existit tamquam institutum iuris naturae, seu, uti loqui solet D. Thomas „in officium naturae," i. e. tamquam illud institutum quod Deus, naturae Auctor, iam in paradiso terrestri condidit uti medium convenienter conservandi humanum genus.

Quoniam vero matrimonium primaevam suam, ab Auctore naturae sibi inditam, dignitatem non conservaverat, nominatim unitatem et indissolubilitatem amiserat, ideo Christus, universarum rerum humanarum Restaurator, non solum ad primaevam illam dignitatem et nobilitatem illud revocavit quoad omnes homines, sed insuper quoad suos, i. e. baptizatos, super-

---

1) Ons „huwelijk" is af te leiden van het oudhoogduitsche *hileih* (middelhoogd. *hileich*), hetgeen eene samenstelling is van *hî* (samentrekking van *hiwo-a* = *maritus* en *uxor*) en *leïh* of *leihï* = *carmen*, gezang, gejuich. *Hiwaleich* is dus in eerste beteekenis: gezang, gejuich ter eere van het bruidspaar, en werd later metonymice *(pars pro toto)* voor de geheele bruidsplechtigheid genomen. Vgl. W. L. van Helten in *Tijdschrift voor Ned. Taal- en Letterkunde*, uitgeg. vanwege de Maatsch. v. Letterk. te Leiden, XIIIe deel, blz. 214 en volg. Een analogon van deze overdrachtelijke beteekenis vinden wij in het grieksche ὑμέναιος, dat eveneens in eerste beteekenis = *bruidslied*, en dan overdrachtelijk = *bruiloft* is.

Ons „echt" komt, evenals het duitsche *Ehe*, van het oud-duitsche *ê* of *êa* = *wet*. Vandaar echtvereeniging = *wettige* vereeniging, *e*-gade = *wettige* gade, een natuurlijk kind *echten* = het *wettigen* door het aangaan van een huwelijk.

naturali gratia auxit, ad *Sacramenti* dignitatem illud evehendo. Hinc pro rite efformanda notione matrimonii proprie loquendo duplex quaestio solvenda foret: 1^0 quid sit matrimonium, ut est in officium naturae, 2^0 quid illud sit ut est N. L. sacramentum.

Attamen, quia Christus, licet *evehendo* matrimonium ad sacramenti dignitatem, minime tamen *destruxit* vel *mutavit* naturam eius primigeniam, hinc ut sciatur, quid sit *sacramentum* matrimonii, plane sufficit exhibere notionem eiusdem, ut est in officium naturae, addita tantummodo mentione indolis sacramentalis quam Christus ei superaddidit.

8. Matrimonium, ut est „in officium naturae," quomodo definitur?

Definitio, quam fere authenticam dicere poteris — quippe quam, e iure Romano desumptam (l. 1 D. *de ritu nuptiarum*, XXIII, 2; I § 1 Inst. *de patria potestate* 1, 9), fere ad verbum tradunt Alex. III in c. 11 *de praesumptionibus* (II, 23) et Greg. IX in c. 2 *de conversione infidelium* (III, 33) et verbotenus habet *Cat. Rom.*, l. c., n. 3 — sic sonat:

„Viri et mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas individuam vitae societatem retinens" [1]).

Quamvis haec definitio sit optima, et, ut dixi, fere authentica, nihilominus maioris claritatis gratia distinguere oportet matrimonium causative, seu in fieri, et matrimonium effective seu in facto esse spectatum.

Sub priori respectu matrimonium est: Legitimus contractus maritalis inter marem et feminam, individuam vitae societatem retinens. Sub posteriori respectu est: Individua societas vitae e legitimo contractu maritali resultans. Illud „coniunctio" in definitione Catechismi Romani utrumque indicat, scl. tum matrimonium *in fieri* seu contractum matrimonialem, tum matrimonium *in facto esse* seu vitae societatem individuam inde resultantem.

Nos hoc loco explicabimus definitionem matrimonii in fieri

1) Sermone patrio: „De echtelijke vereeniging van een man en een vrouw die daartoe rechtens bevoegd zijn, eene ondeelbare levensgemeenschap ten gevolg hebbende."

1°. quia in praesenti de eo potissimum loqui necesse est (de matrimonio in facto esse specialius dicemus in Parte IX), 2°. quia ipsa huiusmodi definitione explicata, quid sit matrimonium in facto esse saltem interim satis intelligetur. Hinc quaerimus:

9. An merito et quo sensu matrimonium vocetur contractus.

R. ad 1m. Matrimonium optimo iure dicitur contractus 1° quia revera in eo, ut in quolibet contractu, habetur „duorum in idem placitum consensus", siquidem vir et mulier utrinque conveniunt et consentiunt in unam eamdemque vitae societatem secum invicem ducendam et 2° quia „contractus" denominatio, matrimonio applicata, passim invenitur non solum apud optimae notae theologos et canonistas, sed in ipsis iuris ecclesiastici fontibus, e. g. in c. 26 *de spons. et matrim.*, in celebri Encyclica Leonis XIII „Arcanum" diei 10 Febr. 1880, necnon in novo Codice, can. 1012.

R. ad 2m. Matrimonium dicitur et est contractus in sensu vero. Attamen, contractus matrimonialis, etiam abstrahendo a ratione sacramenti in matrimonio christiano, est aliis contractibus, mere civilibus, longe praestantior et quoad plurima ab eis differt, et quidem:

a. quad originem, quam non habet ab institutione humana sed ab ipso Deo;

b. quoad sexum et numerum personarum quae contrahere possunt;

c. quoad obiectum, quod non est, ut in aliis contractibus, res aliqua quae sit in commercio hominum, sed ipsa persona contrahentium;

d. quoad indolem contractus, quae non mere civilis est et iuridica, sed religiosa potissimum et moralis. Siquidem habet Deum auctorem et quasi sponsorem seu fideiussorem mutui iuris et mutuae obligationis („quod ergo Deus coniunxit, homo non separet"); regitur, uti infra videbimus, lege positive divina, signanter quoad suam indissolubilitatem; refert typum seu imaginem sacrae unionis inter Dei Verbum et humanam naturam a Verbo assumptam, et finaliter pertinet ad Dei gloriam promovendam propagandamque;

e. quoad effectum: dum enim alii contractus nonnisi moralem quamdam unionem inter contrahentes efficiunt, quatenus utriusque consensus fertur in unum idemque placitum, contractus matrimonialis natura sua insuper tendit in unionem quamdam physicam ipsorum contrahentium, qua fiant „duo in carne una". (Gen. II, 24).

10. Quam ob causam contractus matrimonii dicitur maritalis?

Ut secernatur ab aliis pactionum generibus, quibus vir et mulier interdum se obligant ad mutuam sibi operam praestandam, v. gr. ad colendam artem, ad mercaturam agendam, et similia; utque ab ipsa illa pactione secernatur qua, absolute loquendo, fieri posset ut vir et mulier ex amore mere platonico (i. e. a sexuali propensione alieno) de vitae societate ineunda convenirent. Contractus autem maritalis is intelligitur, quo vir corporis sui potestatem in ordine ad usum coniugalem (i. e. ad copulam carnalem prolis generandae causa perficiendam) tradit mulieri, et quo vicissim mulier corporis sui potestatem in ordine ad usum coniugalem tradit viro.

11. Quam ob causam matrimonium dicitur contractus legitimus?

Ut designetur, non intelligi matrimonium iustum, nisi quod contrahatur secundum leges (naturales, divinas et humanas), quibus valor (et liceitas) nuptiarum regitur; hinc, nisi contrahatur:

a. inter personas quae ex lege ad coniugium ducendum sint habiles; et:

b. in forma pro coniugii valore (et liceitate) lege praescripta. De personarum ad matrimonium ineundum habilitate vel inhabilitate dicetur in Parte IV; de debita autem nuptiarum forma in Parte VII.

12. Quare in definitione fit mentio maris et feminae?

R. 1. Quia matrimonium non intelligitur nisi inter personas diversi sexus. Scilicet Deus, creando hominem „masculum et feminam" (Gen. I, 27), ita diversimode eos formavit non solum

quoad externam formam corporis, sed etiam quoad internas animi dotes et inclinationes, ut seorsim sumpti nonnisi partiale quiddam et incompletum essent, coniuncti vero tum in mutuum vitae adiutorium sibi forent (Gen. II, 18), tum praesertim unum et completum generationis principium efficerent. De viro et muliere, uti simul coniuncti sunt unum quoddam et completum principium generationis, dicit S. Thomas „In qualibet genetione est virtus activa et passiva, sed in plantis utraque est in eodem [scl. individuo]: in perfectis autem animalibus [quibus sub aspectu physiologico etiam homo accenseri debet] distinguuntur. Et ideo in actu generationis ita se habent masculus et femina in animalibus, sicut in plantis solo eodem uno corpore fit" [1]). Propterea, facta institutione matrimonii, dicitur Gen. II., 24: „Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una."

R. 2. Ut, adhibito numero singulari, innuatur matrimonii unitas, qua excluditur *polygamia simultanea* (infra n. 18—20).

13. Quid denotatur per verba: individuam vitae societatem retinens?

Denotatur contractus matrimonialis effectus, scl. VINCULUM INDISSOLUBILE inter coniuges, seu: nexus de se perpetuus, vi cuius constituunt organum completum et indivisibile prolis legitime suscipiendae et educandae. Huiusmodi vinculo annexa sunt: 1. ius mutuum, idque exclusivum et de se perpetuum, in alterius corpus, in ordine ad prolis generationem (cfr. n. 10); 2. communio vitae domesticae, i. e. thori, mensae et cohabitationis; 3. unio animorum; 4. aliqualis unio bonorum.

Ex hac breviter declarata matrimonii notione facile iam est responsum ad quaestiones sequentes, quas, maioris claritatis causa, ceu totidem corollaria huic capiti de matrimonii notione subnectimus, videlicet:

14. Quodnam est matrimonii obiectum?

Obiectum materiale matrimonii sunt ipsae contrahentium personae, obiectum vero formale est individua societas

1) *Epist. ad Ephes.*, c. V., lect. 10.

vitae seu vinculum indissolubile inter contrahentes. In genere enim „obiectum materiale alicuius contractus est res, circa quam contractus versatur, obiectum autem formale est ratio quae consideratur et attingitur in ipso obiecto materiali contractus; e. g. obiectum formale locationis domus est usus domus, venditionis est proprietas domus, utriusque vero contractus obiectum materiale est eadem domus." Gasp., n. 7. Eodem modo id, circa quod versatur contractus matrimonialis, sunt personae contrahentium; ratio vero, quam contrahentes in suis personis mutuo considerant, est supra descripta individua vitae consuetudo.

15. In quo ponenda est matrimonii essentia?

I. Essentia matrimonii *in fieri* ponenda est in mutuo contrahentium consensu, et quidem in eo solo.

a. Est ponenda in consensu, qui scilicet versetur circa proprium matrimonii obiectum et rite ac mutuo manifestetur et acceptetur. De ratione enim cuiuslibet contractus est, quod per mutuum consensum perficiatur. Hinc, consensu mutuo deficiente, nulla potestas creata, et probabilius ne Deus quidem [1]), efficere potest (e. g. cogendo), ut inter duas personas matrimonium veri nominis existat. De consensu rite manifestando, vide infra in Parte VI, Cap. II.

b. Est ponenda in consensu solo, quin, sive naturali sive ecclesiastico iure, carnalis copula [2]) requiratur. Spectato etenim iure naturali, copula tam parum est de matrimonii contrahendi essentia, ut potius matrimonium contractum praesupponat; quo non praesupposito, ipsa copula nonnisi ut fornicaria concipitur. Ad ecclesiasticum autem ius quod attinet,

1) De hac fere inutili quaestione, videat, cui placeat, Rosset, n. 88—95.

2) Copulam, affectu maritali exercitam, iure ecclessiastico essentialem habendam esse (aut saltem olim habitam fuisse) in matrimonio contrahendo, ex historia iuris matrimonii demonstrare conatus est Dr Joseph Freisen, *Gesch. des canonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur.* Tübingen, 1888. Cui tamen theoriae *(Copula-theorie)* complures statim theologi et canonistae sese opposuerunt. Vide e. g. von Scherer in *Archiv* 1891 (Bd. 65), et Lehmkuhl in *Stimmen a. M.-L.*, Bd. 41 (1891), S 577. Mox ipse Freisen sententiam retractavit. Vide operis editionem alteram, Paderborn 1892, necnon *Archiv*, 1892 (Bd. 67), S. 369.

licet maxima semper habita sit vis carnalis copulae ad contractum matrimonialem tum significandum tum firmandum, numquam tamen illa habita fuit pro momento essentiali ipsius matrimonii. Contra, alte clamant iura, non concubitu sed consensu nuptias fieri [1]). Nec mirum : non enim est Ecclesiae immutare ius naturae de foederis coniugalis essentia, in contractu solo posita.

II. De essentia matrimonii *in facto esse* sic statuendum videtur ;

a. Certe non est, cum Pelagianis et Wiclefitis, ponenda in matrimonii usu per coniugalem copulam ; nam ex mente Ecclesiae (ut hoc unum afferamus) beata Dei Mater tum semper virgo remansit, tum vero coniugio fuit B. Josepho coniuncta [2]) ;

b. non videtur ponenda in communione vitae domesticae (supra n. 13, 2) ; aliquando enim matrimonium, quod *conscientiae* vocatur, ita ab Ecclesia permittitur, ut coniuges in distinctis domibus commorentur omnesque coniugium ignorent; pateat tamen viro, secluso scandalo, accessus ad mulierem et vice versa ;

c. nec in perseveranti unione animorum vel bonorum : haec enim sunt quidem conditio necessaria ut matrimonium felices exitus sortiatur, utque onera matrimonii sustineri possint, non vero sunt obiectum contractus matrimonialis, nec proinde ad essentiam vitae coniugalis pertinent ;

d. sed ponenda est in vinculo coniugali. Ita omnes quidem catholici doctores nobiscum asserunt. Attamen alii, e. g. Gasparri, nomine vinculi matrimonialis intelligunt ius mutuum (cum relativa obligatione), exclusivum et perpetuum in corpus alterius in ordine ad prolem generandam (ius coeundi) ; alii vero intelligunt aliquid a iure praedicto ita distinctum, ut ius illud sit quidem aliquid vinculum con-

---

1) Vide Nic. I in *Resp.* ad consulta Bulgar. (*Ench.* n. 334) ; Innoc. III in c. 23 *de spons.* (*Ench.*, n. 404) ; Eug. IV in decr. pro Armenis (*Ench.*, n. 702) ; Conc. Trid. in decreto „Tametsi" ; Leo XIII in decr. „Consensus mutuus," de quo infra n. 139.

2) Vide *Kirchenl.* „Josephsehe" et *Zeitschr. f. Kath. Theol.* (Innsbr.), XII, S. 656 : „Eine archaeologisch- exegetische Studie ueber die Vermaehlung der h. Jungfrau mit Joseph."

sequens, non vero formaliter ipsum vinculum. Ita e. g. Sanchez, Billuart, Rosset (249 sequ.). Huic ultimae sententiae adhaerendum putamus. Etenim, ut hanc solam rationem proferamus, nequit esse matrimonii essentia in iure mutuo ad copulam carnalem, tum quia hoc ius praesupponit matrimonii essentiam e qua efflorescat, tum quia matrimonium subsistit absque illo iure, quod quandoque amittitur a coniugibus, scl. per adulterium et per votum continentiae. Hinc essentia matrimonii, seu id quod nulli umquam matrimonio deesse potest, necessario debet esse aliquid a praedicto iure distinctum, idque nos esse dicimus indissolubile et usque ad obitum coniugis permanens vinculum, vi cuius vir et mulier sibi invicem ligantur (Cfr. 1 Cor. VII, 39), nec alteri mulieri aut viro maritaliter possunt coniungi. Hanc sententiam fulcit D. Thomas (in IV, dist. 27, qu. 1, a. 1, qu. 1), sic dicens: „Cum per matrimonium ordinantur aliqui ad unam generationem et educationem prolis, et iterum ad unam vitam domestican, constat, quod in matrimonio est aliqua coniunctio, secundum quam dicitur maritus et uxor; et talis coniunctio, ex hoc quod ordinatur ad aliquod unum, est matrimonium: coniunctio autem corporum vel animorum ad matrimonium consequitur." Concordat S. Lig., n. 879 in fine et Cat. Rom., l.c., n. 4.

Nota. Auctores sententiae oppositae, ut etiam pro casu adulterii, vel voti castitatis a coniugibus emissi, sententiam suam sustineant, dicunt, in huiusmodi casibus, licet amittatur ius *expeditum* (seu *usus* licitus iuris) ad copulam, manere tamen ius *radicale* (Vide e. g. Lehmk., n. 882). Merito autem dicit Rosset (n. 253), plane nobiscum sentire quibus ita distinguere placet, quia ius illud radicale et vinculum indissolubile, quo vir et mulier efficiuntur unum principium generationis completum, sunt quid unum et idem; nam, ut dicit S. Thomas, coniunctio corporum vel animorum non est matrimonium, sed ad illud consequitur, seu in illo radicatur.

16. Quis sit matrimonii *finis.*

Praenot. Non quaeritur de fine subiectivo *(operantis),* practico et extrinseco, sed de fine obiectivo *(operis),* theoretico

et intrinseco, seu quem matrimonium habet *vi suae institutionis.* Iamvero: „Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis: finis secundarius est mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae." Ita can. 1013, § 1. Dicitur:

I. Finis *primarius* et substantialis, qui in nuptiis contrahendis excludi nequit, quin ipse contractus valore destituatur, est *procreatio et educatio prolis.* Quem finem aperte indicat ipse Deus, protoparentes his verbis coniungens: „Crescite et multiplicamini"; indicat ipsa sexuum diversitas, semper et ubique in *matrimonio* contrahendo requisita; indicat denique ipsa humani generis apte conservandi propagandique necessitas. Quare mirum profecto est, a nonnullis, idealismo Hegeliano [1]) addictis, Ecclesiae catholicae exprobrari, quod „nimis carnaliter" coniugium sibi concipiat ut „liberorum procreandorum causa institutum" [2]).

II. Finis *secundarius* et accidentalis in primis est *mutuum coniugum adiutorium,* seu mutua perfectio quoad vitam corporalem et spiritualem [3]). Hic finis, etsi maximi momenti, ideo tamen est mere secundarius, quia, absolute loquendo, etiam extra societatem coniugalem, scilicet in societate pure amicali, attingi potest.

III. Finis quidam *secundarius* est etiam *concupiscentia usu licito matrimonii sedanda.* Quem finem theologi his Apostoli verbis reputant indicatum: „Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat" et „Melius est enim nubere quam uri" (I Cor. VII, 2 et 9). Quibusdam tamen hunc finem ut intrinsecum et theoreticum admittere nuptiarum instituto indignum videtur. Sequeretur enim, aiunt, matrimonium non esse nisi tristem quamdam concessionem iis factam, qui continere se nequeunt; dum tamen matrimonium, ob indicatos

---

1) Secundum Hegel (*Grundlinien d. Philosophie d. Rechts,* § 162) finis *operis (obiectivus)* matrimonii est: „... *Eine Person aus zu machen,* ihre [d. h. der beiden Personen] natürliche und einzelne Persönlichkeit in jener Einheit auf zu geben"...

2) Vide e. g. F. Pijper, *Geschiedenis van boete en biecht,* 's Gravenhage, 1891 blz. 382, 386 et 395. Adversus quem cfr. *De Katholiek,* Dl. 102, blz. 54—57.

3) Hunc finem pariter ipse indicat Deus, dicens (Gen. II, 18): „Faciamus, ei [Adamo] a d i u t o r i u m simile sibi."

supra fines sociales, tum iure naturae res est nobilissima, tum iure evangelico sanctissima: est quippe Novae Legis sacramentum et in hoc ipsi virginitati praecellens. Ita praesertim von Scherer in opere *Kirchenrecht*, II, S. 90 (nota 14). At vero Codex etiam hunc matrimonii finem agnoscere non est dedignatus. Caeterum ipse v. Scherer facile admittit, quod aliunde de se est evidens, quam saepissime futurum esse ut concupiscentiae sedamini matrimonium eiusque usus subiective et practice inserviat. De hoc autem fine subiectivo et practico, matrimonio tamen ipsi extrinseco, locutus est Apostolus locis citatis.

17. Quid quoad matrimonii sive validitatem sive liceitatem importat finis operantis?

Praenot. Quotidiana experientia constat, matrimonia ex intentione subiectiva sponsorum quandoque contrahi ob fines diversissimos, sive honestos sive inhonestos, quin in finem operis, sive primarium sive secundarium, eorum mens dirigatur. Iamvero:

a. Quicumque tandem finis, licet inhonestus, in eorum intentione praevaleat, semper verum validumque matrimonium contrahitur, dummodo finis primarius seu substantialis positive non excludatur.

b. Cum eadem hac restrictione quoad matrimonii liceitatem, idem probabilius dicendum est de quocumque fine honesto [1]).

Caput III. De matrimonii proprietatibus.

18. Quaenam sunt essentiales matrimonii proprietates?

Respondet can. 1013, § 2: Sunt unitas ac indissolubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti." Utramquè hanc proprietatem ipsa indicat vox „*individua* [vitae societas]" in matrimonii definitione. Non enim intelligitur inter virum et mulierem societas vitae quae vere sit *individua*, si in eam, stante matrimonio, aut alii, admittantur aut post aliquod vitae spatium transactum societas dissolvatur.

An et in quantum umquam, extra casum obitus alterutrius coniugis, matrimoniale vinculum solvi possit, id videbimus

1) Cat. Rom. *De matr.*, n. 15; S. Lig., no. 881—883.

in Parte X. Hoc igitur loco sola consideranda venit matrimonii unitas, qua nempe excluditur *polygamia,* quae est: „coniunctio quasi-maritalis unius cum pluribus." Haec autem vel est unius mulieris cum pluribus maritis *(polyandria),* vel est unius viri cum pluribus uxoribus *(polygynia).* Utraque vel *simultanea* est, vel *successiva.* Quamquam haec ultima, utpote plane legitima, nonnisi improprie odioso illo polygamiae nomine denotatur. Quare de ea seorsim dicetur in Parte XII.

19. Quid censendum de *polyandria simultanea?*

a. Polyandria, ut quaedam legitimi matrimonii forma per universam populorum historiam nonnisi raro admodum invenitur, ac plerumque ita tantum ut plures fratres eidem uxori iungantur [1]). Cum ea confundenda non est sic dicta „vaga Venus" („vrije liefde"), quae partim in meretricio vulgari colitur, partim in meretricio illo systematico, quod „liberum matrimonium" (vrij of opzegbaar huwelijk) vocant [2]). Nam haec omnia non magis polyandrica sunt quam polygyna.

b. Polyandria directe adversatur fini primario matrimonii ideoque primariis iuris naturalis principiis. Quo enim eadem mulier pluribus commiscetur viris, eo difficilior fit prolis procreatio [3]). Ipsa deinde proles procreata, utpote *certo* carens patre, difficilius in hominem perfectum educabitur.

Adde, per polyandriam pessumdari et destrui matrimonii essentiam (individuam vitae societatem et familiae unitatem): tollitur enim a familia principium unitatis, quatenus mulier

---

1) Cathrein, *Moralph.* II, S. 400, f.f.; Wynaendts-Franken, *Evolutie van het huwelijk,* blz. 104, v.v.

2) „Vagae Veneris" systema propugnarunt et inducere conati sunt Gnostici, Manichaei, Adamitae, Anabaptistae et, aevo recentiori, Fourier *(Phalansterianismus),* Bebel aliique Socialistae et Communistae.

3) „La stérilité fréquente des femmes publiques est une preuve démonstrative de la puissance des excès à cet égard ... Destituées du sentiment moral, qui est la condition de la saine fecondité et de la maternité, ces débauchées donnent à peine, d' après les statistiques, six accouchements annuels sur mille. Admirable loi de la Providence qui ne permet que l' espèce humaine se conserve par la prostitution, en préferant tarir la source de la vie que de propager les germes de corruption" Ita Dr. P. Garnier, *Le Mariage* (Nouvelle édition), p. 530.

tot capitibus subiicitur quot ei viri conceduntur; adde, auferri praecipuum feminarum decus, pudicitiam scl. in sancto foedere servandam, easque fieri platearum lutum et societatis peripsema. Rosset, n. 458—465.

20. Quid censendum de *polygynia simultanea?*

R. I. Si spectetur ius naturale, dicendum quod perfectio ipsius naturalis legis exigit, ut aequalitas inter virum et mulierem servetur, et ut fines matrimonii substantiales, scl. procreatio et educatio prolis, difficultatibus non involvantur intrinsecus. Porro in polygamia simultanea: 1° aequalitas non servatur; 2° educatio prolis fit multo difficilior; 3° pax et concordia domestica multis periculis exponitur. Quibus accedit, Deum mirabili providentia procurare, ut fere aequali numero procreentur masculi et feminae: [1]) et ideo sic natura dictitat, nonnisi unius cum una coniunctionem esse naturalem. „Nam (ita Rosset, n. 478) aliunde ingentia consequuntur incommoda pro republica: inde dimanavit mutilatio multorum virorum, qui non possunt nubere, et quos necesse est cohibere per castrationem ab ingressu ad mulieres; inde ansam arripit horrendum sodomiae peccatum; inde illa pecora mulierum, quae recluduntur in habitaculis *harems,* sub custodia eunuchorum": inde ipsorum virorum polygamorum vires exhaustae et organa debilitata ac morbida, etc. [2]) Hinc, licet ex una parte dici nequeat cum Calvino, polygamiam absolute adversari iuri naturae (nam finis primarius matrimonii cum ea salvus existere potest), tamen ex altera parte falsa est doctrina Mahumetanorum et Mormonorum asserentium, polygamiam iuri naturae nequaquam repugnare: revera enim repugnat iuri naturae secundario, quatenus tum impedit fines secundarios matrimonii, tum consecutionem ipsius finis primarii reddit difficiliorem.

R. II. Si spectetur ius positive divinum, dicendum quod: 1° polygamia, absque divina dispensatione, semper fuit illicita ac peccaminosa. Vide textum Innocentii III in *Ench.,* n. 408;

1) Wynaendts Francken, blz. 29, v. v.

2) Vide S. Th., qu. 65, art. 1: Rosset, n. 474—480; Dr. Garnier, p. 242 et 243.

2° eadem, post diluvium, fuit licita patriarchis [1]) et Iudaeis sub lege Mosaica [2]) quod ab omnibus catholicis, imo et schismaticis, excepto solo Calvino, admttitur. Ratio liceitatis proculdubio ponenda est in concessione seu dispensatione divina, ad quam illustrandam plures convenientiae rationes afferuntur a S. Bonaventura, quas refert Rosset n. 472 et 490. Tenet autem S. Thomas [3]), huiusmodi dispensationem divinam, saltem primis Patriarchis, factam fuisse per inspirationem internam:

3° Christus Dominus, revocato ad primam eius institutionem (Gen. II. 24) matrimonio, polygamiam simultanaem absolute prohibuit [4]). Hinc, post promulgatam legem evangelicam quaelibet dispensatio antea concessa penitus cessavit, ita ut iam neque fidelibus facultas sit plures simul uxores ducendi. Vide Lehmk., n. 919 et Math., n. 96. Cuius divini iuris ratio habenda est a missionariis in casibus conversionis virorum vel mulierum, qui in infidelitate polygamas coniunctiones inierant. Vide Instr. S. C. S. Off. 28 Mart 1860 pro Vicario Apost. ad Gallas (*Collect.*, n. 1297) necnon euisdem S.C. responsum ad Ep. Siouxormen., 18 Maii 1892 (*Collect.*, n. 2185).

Huic capiti *De matrimonii proprietatibus* opportune subnectuntur duae aliae quaestiones, de matrimonii scl. bonitate deque eiusdem libertate. Itaque quaeritur:

21. Utrum matrimonium sit bonum, seu honestum?

Ecclesia Catholica, licet nuptiis anteponat statum coelibatus et virginitatis, pro Deo et propter Deum susceptum [5]) minime tamen damnat, nec umquam damnavit iustas nuptias. Quinimo pluribus canonibus [6]) adversus Marcionitas, Priscillianistas, Encratitas et Albigenses latis, earum honestatem et liceitatem defendit [7]).

Signanter theologi, cum S. Augustino (c. 10, C. 27, qu. 2),

1) Gen. XVI, XXIX, XXX; cfr. Mt. VIII, 11 et Lc. XVI, 11 et 23.

2) Deut. XXI, 15 et sequ; I Reg. 1, 2; II Reg. XII, 8; II Paral. XXIV, 3; II Reg. XII, 8.

3) In IV, D. 33, qu. 1. a. 2.

4) Mt. XIX, 3—6; Mrc. X. 11; Ench., n. 408; Cat. Rom., l. c., n. 19.

5) I Cor. VII, 1, 7, 8, 26, 27, 32—40.

6) Ench., n. 36, 241, 367, 430.

7) Cfr. *De Katholiek*, Deel 102, blz. 49.

et Concilio Florentino (*Ench.*, 702), tria vitae coniugalis bona recensent, quorum compensatione tria illa incommoda leniuntur, quae Apostolus (1 Cor. VII, 28) indicat his verbis: „Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi [scl. coniugati]."

Sunt autem tria illa bona:

1° bonum prolis, i. e. potestas suscipiendi et educandi prolem, eiusque susceptio et recta educatio. Hoc prolis bono compensatur rationis per usum coniugalem deiectio et corporis debilitatio;

2° bonum fidei, i. e. fidelitatis, qua coniuges invicem adhaerere et sibi mutuo coniugale debitum (usum corporis in ordine ad prolis generationem, den echtelijken plicht), reddere tenentur, alienae vero personae commisceri prohibentur. Hoc bono fidei compensatur damnum sollicitudinis, quam societas coniugalis secumfert;

3° bonum sacramenti seu vinculi indissolubilis, ratione cuius coniuges perpetuo sese diligere tenentur, nec nisi alterutrius obitu ab invicem separari possunt. Hoc bono sacramenti compensatur damnum perpetuae subiectionis et libertatis amissionis. De triplici illo bono omnino legatur Cat. Rom., l. c., n. n. 23—25.

Nota 1. Vinculum indissolubile ideo dicitur bonum sacramenti, quia matrimonium, etiam non-baptizatorum, praecise ratione suae indissolubilitatis est sacramentum quoddam seu symbolum indissolubilis illius unionis inter naturam divinam et humanam in Verbo Incarnato (vide n. 22, *bis*). Et hoc praesertim ex capite matrimonium, etiam quatenus est in officium naturae, non solum est quid *honestum*, sed „sua vi, sua natura, sua sponte *sacrum*" (Enc. „Arcanum"). Vide infra, n. 28.

Nota 2. De ipso actu coniugali, quomodo in matrimonio undequaque cohonestetur, quamvis eum comitetur concupiscentia, vide S. Thom., qu. 49, artt. 4 et 5.

22. An et quo sensu matrimonium sit cuique liberum?

Matrimonium est cuique liberum in duplici sensu.

1° Quatenus nemini per se est nubendi obligatio. Verba Dei in Gen. I, 28 et IX, 1 „Crescite et muliplicamini" continent quidem praeceptum directum ineundi matrimonium illudque consummandi *quoad protoparentes* et *quoad Noe eiusque filios: quoad genus vero humanum* eadem verba solummodo generalem exprimunt Dei voluntatem, qua vult ut vis sese reproducendi, seu „ratio seminalis," de qua saepe loquitur D. Augustinus, transeat in actum. Ad implendam autem hanc Dei voluntatem, seu ad propagandum genus humanum, minime opus erat praecepto directo, quo singuli ad nuptias ineundas tenerentur, sed plane sufficiebat et sufficit generalis illa inclinatio, quam Deus humanae naturae indidit, et qua fit, ut plerique matrimonium contrahant et consumment. Vide S. Thom., qu. 41, art. 2. Manet igitur singulis libertas non nubendi vel eligendi statum matrimonio perfectiorem; quinimo hoc ultimum, quoad singulos, est de consilio Domini ex Matth., XIX, 12 et I Cor. VII, 38.

Per accidens tamen contingere potest, ut quis ad matrimonium eiusve usum teneatur, c. g. ad reparanda damna puellae a se stupratae illata (Aertn[9]. L. III, n. 819 sequ.) vel ad sedandam concupiscentiam, si quando alia media adhibere nolit. Aertn[6]., L. VI, n. 314, qu. 7° sub 6° et App., n. 342.

2° Quatenus nulla humana auctoritas potest alicui, naturali habilitate ad officia matrimonialia potienti, contra antecedentem suam voluntatum matrimonium absolute interdicere. Hinc iniquae fuerunt leges, quibus olim (scl. ante inductum Codicem Civilem Regni Germanici anni 1898) in nonnullis Germaniae partibus (Wurtemburga, Bavaria, Saxonia) a coniugio e. g. pauperes arcebantur [1]).

Diximus, nemini posse matrimonium prohiberi *a*) absolute, nam bene potest auctoritas competens prohibere, et imo irritare matrimonium cum hac vel illa persona, de quo infra; *b*) contra antecedentem suam voluntatem,

1) Von Sicherer, *Personenstand und Eheschliessung in Deutschland* (1881). S. 297, f. f. — Cfr. Garnier, Op. cit., p. 368, qui fortiter invehit in eos materialistas, nominatim Malthusianos, qui, ad arcendum a societate pauperismum et progeniem morbosam, postulant nubendi libertatem legibus admodum restrictam.

quia post susceptam sponte aliquam obligationem, quae statum nuptialem excludit, auctoritas competens utique potest alicui nuptias quascunque interdicere.

Caput IV. De indole sacramentali matrimonii inter Christianos.

22 *bis.* In hoc capite proponetur Ecclesiae catholicae doctrina de matrimonii elevatione ad dignitatem sacramenti inter Christianos. In ipso vero eius limine rite notetur, nomen „sacramenti," matrimonio, etiam Christiano, a S. S. Patribus et theologis duplici eoque prorsus diverso sensu applicari, nempe :

a. sensu latiori et improprio ad denotandam rationem illam symboli seu signi sacri, qua iam ex primaeva sua institutione (ideoque inter infideles etiam hodie) significat indissolubilem illam unionem inter naturam divinam et humanam in Verbo Incarnato [1]). Hoc autem sensu matrimonium, etsi „sacramenti" nomine vocatum, non tamen est nisi *signum nudum* seu *speculativum* illius rei sacrae quam significat;

b. sensu strictiori et proprio ad denotandam indolem illam, qua est unum ex septem N. Legis Sacramentis a Christo Domino institutis, et qua proinde est *signum practicum* gratiae a Christo promeritae.

Iamvero in Art. I. matrimonium christianorum sacramentum in sensu proprio esse demonstrabitur; in Art. II. propria illa sacramenti ratio, ubinam in matrimonio quaerenda, designabitur; in Art. III praecipuum huius doctrinae consectarium, scl. potestas Ecclesiae circa matrimonia christianorum, seorsim vindicabitur.

---

1) „Etenim cum matrimonium ... fuerit vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca Inn. III et Honorius III, ... non iniuria nec temere affirmare potuerunt, *apud fideles et infideles existere Sacramentum coniugii*". Ita Leo XIII, Enc. „Arcanum".

Art. I. *Existentia sacramenti matrimonii.*

23. Quosnam, in vindicanda matrimonii christiani sacramentali indole, habemus adversarios?

a. Praeter antiquos *Gnosticos* et *Manichaeos* cum *Encratitis* seu *Tatianis,* qui matrimonium eiusque usum a *principio mali* invectum credebant, adversarios habemus fere omnes *Protestantes* (exceptis tantummodo *Ritualistis* in ecclesia Anglicana), qui adhaerent sive Luthero asserenti, matrimonio deesse „promissionem divinam" ac proinde etiam indolem sacramenti novae Legis; sive Calvino perhibenti, non magis nuptiis sacramenti rationem convenire quam agriculturae, aut tonstrinae aut sutoriae arti, neque eas ut sacramentum habitas fuisse ante Gregorii I tempora (590).

b. Aliquos quoque catholicos doctores, inter quos Durandus et Petrus de Soto, qui docuerunt, matrimonium non esse sacramentum novae Legis proprium, sed iam extitisse in veteri Lege, atque a Christo non tam institutum quam confirmatum fuisse. Bellarminus, *De Matr. Sacr.,* C. I.

24. Quaenam est huiusmodi erroribus opposita doctrina Ecclesiae?

Ecclesia catholica docet, et quidem ut *fidei dogma:*

a. Matrimonium inter Christianos legitime celebratum „esse vere et proprie unum ex septem Legis evangelicae sacramentis a Christo Domio institutum" (Conc. Trid., Sess. 24 *de Matr.* can. 1); hinc:

b. matrimonium in veteri Lege non fuisse sacramentum proprie dictum, siquidem „matrimonium in Lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestat" (Trid., l. c. *Doctr. de Sac. Matr.).*

Solo priori puncto demonstrato uterque error n. 23 descriptus corruet. Hinc quaeritur:

25. An et quomodo, matrimonium esse vere et proprie novae Legis sacramentum, demonstratur e S. Scriptura?

S. Scriptura licet *per se sola* forte non praebeat argumentum omnino perfectum et plane inconcussum, tamen hanc catholicam veritatem tam clare „innuit"" (uti loquitur Conc.

Trid., l. c), ut eius verba, praesertim si in luce totius oeconomiae chistianae et catholicae traditionis considerentur, nullum rationabile dubium circa eandem veritatem permittant.

De matrimonio sermo est Eph. V, 22—32. Ibi S. Paulus de mutuis coniugum officiis agit et, ut coniuges efficacius ad ea implenda inducat, exemplum affert unionis Christi cum Ecclesia, dicens:

(v. 22) „Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino, „(23) quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est „Ecclesiae: ipse salvator corporis eius. (24) Sed sicut Ecclesia „subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. „(25) Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit „Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, (26) ut illam sancti-„ficaret... (28) Ita et viri debent diligere uxores suas, ut „corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit (29). „Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit „et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam; (30) quia membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius. (31) „Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam „et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una. (32) „Sacramentum (μυστηρίον) hoc magnum est: ego autem dico „in Christo et in Ecclesia (εἰς Χριστόν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν)."

Consideremus imprimis vs. 32: „Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia." Praevie exsufflanda est stolida illa Reformatorum calumnia, qua dicunt, catholicos Latinos propter solam vocem *sacramentum*, et quasi ex ignorantia linguae graecae, sacramentum matrimonii ex hisce Pauli verbis fabricasse [1]). Nam etiam Graeci, qui S. Paulum nonnisi graece legunt, ex eodem hoc textu eiusque contextu collegerunt, matrimonium esse proprie dictum novae Legis sacramentum: ipsi enim sacramenta vocant mysteria,

---

1) „Het woord van Paulus is slechts hierbij gebracht geworden, omdat de Grieksche benaming van verborgenheid (Mysterium) in de latijnsche bijbelvertaling door Sacramentum overgebracht is." Aldus Dr. Carl Hase, *Handboek van protestantsche polemiek tegenover de roomsche kerk.* In het Holl. uitgeg. door Dr. Pierson, Utrecht, 1864, blz. 511.

quorum morem passim et usurpant latini. Quo praenotato, en, quid hoc versu 32 probetur:

I. Apostolus loquitur ad Christianos, et maritalem unionem inter eos existentem magnum esse ait sacramentum. Contendunt cum Erasmo Reformatores „magnum sacramentum" non de christiano coniugio sed de unione inter Christum et Ecclesiam praedicari. At immerito prorsus. Siquidem 1^0 verba illa sane referri debent ad id quod proxime praecessit: at, proxime praecessit illud „Propter hoc relinquet..." etc. (v. 31); sententia igitur Pauli haec esse debet: Sacramentum hoc, nimirum quod relinquat homo patrem et matrem, etc. magnum est, quia Christi et Ecclesiae coniugium repraesentat; 2^0 ex argumento totius capitis patet, Apostolum hanc magnam matrimonii significationem adducere tamquam praecipuum motivum ad excitandam coniugum mutuam benevolentiam; 3^0 e textu graeco patet, Apostolum loqui de sacramento quod magnum est, non in Chris*to* et in Eccles*ia*, sed in Christ*um* et in Ecclesi*am* *(met betrekking tot* Christus en *tot* de Kerk); hinc Christus et Ecclesia sunt quasi terminus illius magni sacramenti seu mysterii quod *in ipso coniugio* invenitur. Bellarm., l. c., C. 2.

II. Quid autem in hoc textu significat vox „sacramentum" (mysterium), de matrimonio christiano praedicata?

Mysterium principaliter significat rem divinam absconditam, seu homini imperviam; secundario vero significat quidquid habet ad res humanae rationi impervias habitudinem sive *causae*, sive *signi*. Atqui, quum matrimonium, ut ordinem ducens ad mysteriosam illam unionem inter Christum et Ecclesiam, neque sit illa unio ipsa, neque causa eiusdem, ideo, de matrimonio usurpata, vox mysterii aliud profecto denotare nequit, nisi mysteriosae illius unionis *signum*.

III. Quale vero est signum illud? Non esse signum qualecumque, sed signum coniugibus christianis speciali modo *sacrum*, seu a Christo ad inviolabilem suae religionis ordinem translatum, id tum emphasis probat, qua Paulus, formaliter ut Christi Apostolus loquens („ego autem dico"), illud simpliciter „magnum" nuncupat; tum etiam divina Traditio, optima S Scripturae interpres, quae praesertim ex magna illa seu

sacra matrimonii christiani indole omnimodam eius indissolubilitatem derivat (infra n. 26).

IV. Iam autem sacri illius signaculi a Christo conditi tum terminum consideremus, tum significandi rationem.

Terminus, seu *id quod* per christianum coniugium significatur est unio inter Chistum et Ecclesiam, ut probat universus contextus, nominatim adhibita corporis, capitis et membrorum allegoria.

Ratio signi, seu *id quo* coniugium christianum praedictam unionem significare debet, est exercitium earum virtutum, subiectionis praesertim et dilectionis, quibus vir et mulier respective Christo et Ecclestae configurentur oportet. Quae configuratio talis esse debet, ut christianum coniugium sit sacri illius significati signaculum „magnum" utque inde coniuges mutuo sanctificentur, quemadmodem et Christus Ecclesiae suae coniungebatur „ut illam sanctificaret". Ex quo merito deducimus, signi rationem, quam quaerimus, esse exercitium et ostensionem virtutum non mere naturalium sed supernaturalium; hinc supernaturali indigere adiutorio quod est *gratia* [1]).

V. Porro gratia, quam e sua significandi ratione coniugium christianum requirit, non potest ea esse, qua solummodo per modum actus transeuntis coniuges fruantur; sed ea potius esse debet, quae adsit eis per modum principii permanentis, unde nempe, continuo conviventes, etiam continuo, seu habitualiter haurire valeant auxilia ad praedictum subiectionis et dilectionis exercitium quo Christo et Ecclesiae debent configurari. Atqui gratia quae per modum principii permanentis a Christo conceditur est gratia habitualis seu sanctifcans. Ergo matrimonium christianum est signaculum sacrum, quod gratiam, et quidem gratiam sanctificantem, necessario annexam habere debet.

---

1) Coniuges christiani, praeterquam quod se invicem sanctificando Christo (et Ecclesiae) configurari debent, ad Christi similitudinem etiam proximius accedant necesse est, prosequendo specialiter eundem illum finem, quem Christus ut Redemptor humani generis Ipse est prosecutus: scilicet debent prolem generando et sancte educando Ecclesiam Christi conservare et propagare. In quo alter titulus gratiae exigitivus.

VI. Iamvero ex his, de coniugio christiano *in facto esse* praedicatis, sponte sequitur, etiam matrimonium *in fieri* i. e. ritum matrimonialem, rationem habere signi sacri gratiam significantis. Ut enim universim matrimonii ritus ipsa sua natura est signum illius quam efficit consuetudinis vitae cum iuribus et officiis coniugalibus, ita speciatim inter Christianos eandem vitae consuetudinem denotat secundum propriam a Christo ei inditam rationem, qua nempe est unio supernaturalis, gratiam sanctificantem requirens. Igitur Christianis ipse ritus, quo matrimonium contrahitur, est *signum gratiae.*

VII. Ad perficiendum argumentum opus esset ex verbis S. Pauli ostendere, matrimonium esse signum practicum gratiae, aliis verbis: opus esset ostendere, gratiam, quam unio coniugalis annexam habet et quam ritus matrimonialis significat, etiam per eundem ritum causari, seu produci. Hoc autem, necesse est fateamur, Apostolus aperte non docet; innuit tamen, quatenus ea tradit quae, licet ex se non sufficiant, ratione tamen oeconomiae christianae, quam ipse merito dicendus est supponere, rem certe suadent. Ad oeconomiam quippe Legis gratiae pertinet quod gratia sanctificans, cuius collationem ordinariam pro certis statibus et officiis Deus concessit, conferatur per ipsosmet actus sensibiles quibus significatur. Ergo merito concluditur, matrimonium non tantum significare sed etiam efficere gratiam quam unio coniugalis requirit, seu esse signum practicum gratiae, hinc verum et proprie dictum N. Legis Sacramentum. — Caeterum, hoc ita esse, luculenter patet ex interpretatione qua catholica traditio hunc locum D. Pauli intellexit [1]).

Nota. Argumentum scripturisticum breviter ita resumi potest: Est coniugium Christianorum quod Apostolus vocat „magnum sacramentum" (I), i. e. rei mysteriosae signum (II), idque sacrum, seu ad oeconomiam Christianae religionis pertinens (III) ac directe quidem significans unionem Christi et Ecclesiae, sed indirecte (spectata scl. significandi ratione) etiam coniugalem sanctitatem ac gratiam, ad repraesentandam illam unionem coniugibus necessariam (IV),

1) Vide e. g. Th., qu 42, art. 1 „Sed contra est . .", et ibid.. art. 2 in corp.; Ench., n. 597; Cat. Rom., n. 17.

eamque habitualem seu sanctificantem (V). Quum autem hoc sacrum signaculum vicissim et ipsum significetur per ritum matrimonium contrahendi, hinc fit ut, sicut ipsa vita coniugalis, ita et eius gratia per hunc ritum significetur (VI). Quo posito, si ratio habeatur oeconomiae christianae, signum illud vix aliud concipi potest, quam ut signum practicum gratiae (VII), in quo est perfecta ratio Sacramenti Novae Legis.

26. An et quomodo sacramentalitas matrimonii demonstratur e S. S. Patribus?

Contendit Calvinus, nullum ante S. Gregorium Magnum matrimonii sacramentalitatem docuisse.

Fatendum est, priorum saeculorum Patres, partim ob nondum efformatam septem Sacramentorum synthesin, partim ob defectum occasionis de matrimonio formaliter ut N. L. Sacramento disserendi (cfr. n. *26 bis*, obi. 2⁰), eiusdem sacramentalitatem minus explicite docuisse.

Nihilominus iidem S. S. Patres de coniugio christiano ita loquuntur, ut, praesertim simul sumpti, implicitum quidem at indubium verae sacramentalitatis testimonium efferant. Scilicet dicunt, coniugium a Christo *sanctificatum* eiusque *gratia fundatum* [1]) et quidem ex ipsius Christi in nuptiis Canae Galilaeae praesentia [2]); unde coniugium christianum adeo ex-

---

1) Tertullianus, *Ad uxorem*, L. II, C. 7: „Si ergo ratum est apud Deum matrimonium huiusmodi, cur non et prospere cedat, ut pressuris et angustiis et impedimentis et inquinamentis non ita lacessatur, habens iam ex parte *divinae gratiae patrocinium* (Migne I, 1299) — S. Ambrosius, *Epist. 19 ad Vigilium*, n. 7, Christianos dehortans a iugo cum infidelibus ducendo, hac utiter ratione: „Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione *sanctificari* oporteat, quomodo potest coniugium dici ubi non est fidei concordia" (Migne XVI, 984). Et in *Epist. I ad Siricium:* „Neque vero nos negamus, *sancticatum a Christo* esse coniugium, divina voce dicente: erunt ambo in unam carnem et in uno spiritu" (Migne, XVI, 1194) — Innoc. I *Ep. 36 ad Probum:* „Statuimus fide catholica suffragante, illud esse coniugium quod erat primitus *gratia divina fundatum*" (Migne XX, 602).

2) S. Aug. *In Ioann.* Tr, IX, n. 2: „Per hoc igitur Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas servaretur et *ostenderetur sacramentum nuptiarum.*" (Migne, XXXV, 1459).

tollunt, ut Baptismi et Ordinis sacramentis id conferant [1]), Ecclesiae legibus subiiciant [2]) eiusque violationem habeant sacrilegii instar [3]). Praeterea, matrimonio in facto esse *sacramenti* nomen passim applicantes, quamvis directe intelligant sacramentalitatem late sumptam (scl. rationem significandi unionem indissolubilem inter Christum et Ecclesiam), indirecte tamen insinuant sacramentalitatem proprie dictam, qua matrimonium in suo fieri est ordinarium quoddam gratiae significandae et efficiendae instrumentum [4]).

---

1) S. Aug. L. I. De *nuptiis et concupisc.*, C. 10: „Quoniam sane non tantum foecunditas, cuius fructus in prole est: nec tantum pudicitia, cuius est fides, verum etiam quoddam *sacramentum nuptiarum* commendatur fidelibus coniugatis... Huius proculdubio sacramenti res est ut mas et foemina, connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent... Ita manet inter viventes quiddam coniugale quod nec separatio, nec cum altera copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis, sicut apostatae anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, *sacramentum fidei* non amittit, quod lavacro regenerationis accepit" (Migne, XLIV, 420). Et Lib *de bono coniugali* C 24, n. 32: „Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet etiam *in sanctitate sacramenti* per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere. Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad populum congregandum, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis *sacramentum ordinationis*; et si aliqua culpa quis ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad iudicium pertinente" (Migne, XL, 394).

2) S. Ignatius Martyr, *Epist. ad S. Polycarp.*, C. 5: „Decet ut sponsi et sponsae *de sententia Episcopi* coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum, non secundum cupiditatem" (Funk, *Patres apost.* Ed. 2a, I, p. 293). — Tertullianus, L. II *Ad uxorem*, C. 9: „Unde sufficiamus ad enarrandum felicitatem eius matrimonii, quod *Ecclesia conciliat* et confirmat oblatio et obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater rato habet" (Migne, I, 1502).

3) S. Ambrosius, Lib. I. *De Abraham*, c. 7, n. 59: „Cognoscimus veluti praesulem custodemque coniugii esse Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui: et, si qui fecerit, *peccare eum in Deum*, cuius legem violet, gratiam solvat; et ideo quia in Deum peccat, sacramenti coelestis amittit consortium" (Migne, XIV, 443).

4) S. Augustinus, Lib. I *de nuptiis et concupisc.*, c. 17, n. 19: „In nuptiis bona nuptialia diligantur, proles, fides, sacramentum" (Migne, XLIV, 424). — S. Leo Magnus, *Epist. 16 ad Rusticum:* „Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se *Christi et Ecclesiae sacramentum*, dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium" (Migne, LIV, 1204).

Nota Una cum his S. S. Patrum eloquiis, argumentum traditionis efformant antiquissimae Liturgiae et Eucologia. „Vidimus... tum in Ritualibus, tum in euchologiis... ea verba („Sacramentum hoc magnum est"...) proferri aut ad ea alludi ita ut ex sensu totius antiquitatis constet, ea de vero sacramento gratiam conferente in christianorum coniugiis esse intelligenda." Ita Perrone, I, p. 37.

Denique nonnullae a theologis afferri solent congruentiae rationes, quas oretenus communicabimus.

26 ***bis.*** Quaenam praecipue adversus doctrinam de vera matrimonii sacramentalitate obiiciuntur?

Obiicitur 1⁰: Sacramenta stricte sumpta producunt id quod significant. Atqui matrimonium non producit id quod significat, videlicet coniunctionem Christi et Ecclesiae. Ergo.

Resp. *Dist. mai.* Producunt gratiam quam significant, *conc.*; producunt etiam alia quae praeter gratiam significant, *neg.* Omnia enim novae Legis sacramenta quadamtenus significant passionem Christi, quam tamen non producunt. Matrimonium autem significat simul unionem Christi et Ecclesiae, et charitatem Christi erga Ecclesiam, et ideo gratiam (quum charitas sit inseparabilis a gratia sanctificante et veluti radicetur in ipsa), vinculo indissolubili seu matrimonio *in facto esse* annexam. — Billot, *De Sacr.* II. p. 328.

Obiicitur 2⁰: S. Irenaeus, Tertullianus, S. Epiphanius et alii Ecclesiae Patres, qui honestatem et sanctitatem matrimonii tuiti sunt contra Gnosticos et Manichaeos, numquam recursum habuerunt ad rationem sacramenti Novae Legis. Porro, verosimiliter talem rationem produxissent, si reapse matrimonium illam prae se ferre credidissent. Ergo.

Resp. *Nego min.* Non enim erat cur Patres illi adversus istius generis adversarios ad sacramenti rationem recurrerent: Gnostici enim et Manichaei impugnabant nuptias tamquam iuri naturali et divino contrarias. Ad quod redarguendum Patres ideo inepte ex sacramenti pressius

---

Vide etiam loca superius allegata et cfr. *De Katholiek*, Dl. 102, blz. 56 ac praesertim Müllendorf *Ueber den patristischen Beweis für die Ehe als Sakrament* in Zeitschr. f. Kath. Theol. Innsbr. 1878 S. 633.

sumpti ratione arguissent, quia hanc praedicti haeretici nequaquam admittebant. Caeterum Patres praedicti passim in suis scriptis supponunt (Cfr. *De Kath.*, Dl. 102, blz. 56) ac etiam innuunt matrimonii sacramentum, sicut de Tertulliano compertum habemus ex verbis eius supra adductis.

Obiicitur 3°: S. Thomas (qu. 42, art. 3), relatis variis opinionibus circa collationem gratiae in matrimonio, sic concludit: „Unde alii dicunt quod matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adiuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur; *et hoc probabilius est.*" Ergo tempore S. Thomae existentia matrimonii in ratione sacramenti collativi gratiae, nondum excedebat limites probabilitatis et, salva fide, poterat negari. Sed hoc componi nequit cum fide constanti et universali Ecclesiae Catholicae de matrimonii sacramentalitate.

Resp. *Nego consequ.* Ex allegatis D. Thomae verbis patet quidem suo tempore disputatum fuisse de natura sanctificationis quam matrimonii sacramentum confert, minime autem de ipsa indole sacramentali matrimonii. Vide Billot l. c., p. 329.

Inst. Durandus et quidem alii scholastici matrimonium esse sacramentum simpliciter negarunt.

Resp. *Nego.* Verum quidem est Durandum, uti et P. Lombardum, obscurius de hoc sacramento scripsisse, ita ut plurimis visi fuerint eius existentiam negare: attamen, contextu inspecto, patet eos non directe negare huius sacramenti existentiam, sed tum de natura gratiae quam producit, tum de modo quo ea confertur (utrum per modum causae an per modum signi) disputasse. Aliunde Durandus, cuius potissimum auctoritate adversarii nituntur, non sibi constat, atque etiam fatetur se recedere a theologis sui temporis qui „quasi communiter, inquit, tenent, quod per sacramentum matrimonii confertur gratia, nisi contrahentes ponant obicem, sicut fit in aliis sacramentis quibus aequiparatur". Iamvero dubia huiusmodi, a theologo singularibus opinionibus addicto suscitata, vim argumentorum supra adductorum infringere non possunt.

Obiicitur. 4°: „Het *Sacr. matrimonii* [is] met schijnbare

verheffing van het huwelijk toch in den grond eene degradatie . . ., als zou het huwelijk qua talis eene wijding noodig hebben." Ita convenientiam huius sacramenti impugnat Dr. P. J. Muller, *Handboek der dogmatiek ten dienste der Ned. Herv. kerk.* Gron. 1896. blz. 248.

Resp. Ratio Sacramenti in matrimonio christiano:

a. involvit matrimonii qua talis elevationem veram, non apparentem, quatenus per eam matrimonium vere elevatur ad ordinem supernaturalem, i.e. sortitur vim tum significandi supernaturalem unionem inter Christum et Ecclesiam, tum significandi et efficiendi supernaturalem Christi gratiam; neque propterea

b. ullam involvit matrimonii qua talis e gradu deiectionem; siquidem Ecclesia matrimonium qua tale, uti est in solius naturae officium (qualiter contrahitur inter non baptizatos), dummodo in eo serventur praecepta legis naturae, vere habet pro re bona et undequaque honesta. Vide supra n. 21. Hinc matrimonium per suam elevationem ad dignitatem sacramenti aeque parum e suo gradu deiicitur, ac per totum Redemptionis opus e gradu suo deiecta sunt „omnia" quae per Christi opus sunt „instaurata" seu recapitulata. Cfr. Eph. I, 10.

27. Matrimonii sacramentum quandonam a Christo institutum?

In hac quaestione solvenda theologi vix ullam rationem vere solidam afferunt, qua sententias suas admodum inter se divergentes fulciunt. S. S. Patrum quamplurimi innuunt Christum, sicut in proprio suo baptismate per Ioannem aquam sanctificavit et in signum sacramentale consecravit, ita personaliter veniendo ad nuptias in Cana Galilaeae, coniugium sanctificasse et in principium sanctificationis consecrasse.

28. An et quatenus matrimonio iam sub Lege Veteri infuit ratio sacramenti? Cfr. n. 23, *b.*

R. 1. Non ei infuisse eam rationem sacramenti, quam habet in Lege nova et vi cuius est signum practicum gratiae per Christum iam promeritae, per se patet. Aliunde Conc. Trid. S. 24, *Decr. de Sacr. Matr.* diserte docet „matrimonium

in Lege evangelica veteribus connubiis gratia praestare".

R. 2 Sed nec sacramentis veteris Legis, in sensu proprio, adnumerandum videtur, i.e. non videtur fuisse signum in seipso sacrum, seu ad ordinem rerum religionis evectum et speciali modo divino cultui applicatum. Non enim matrimonium in Lege mosaica firmum erat ea firmitate vel inviolabilitate quae rebus sacris propria est: siquidem tunc temporis non prohibebatur *repudium*. „In veteri Lege (ita S. Thom., I-II, qu. 102, art. 5, ad 3m) dabatur libellus repudii, *quod est contra rationem sacramenti.*"

R. 3. Attamen fuit sacramentum late sumptum, nempe signum speculativum et nudum coniunctionis Christi cum Ecclesia. Cfr. n. 22, *bis.*

ART. II. *Ubinam sit ratio sacramenti in matrimonio christiano.*

Postquam igitur ostensum est, matrimonium in Ecclesia esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, videndum est, ubinam proprie in matrimonio christiano sacramenti ratio sit reponenda.

29. Quinam hac in re recensendi errores?

1°. Error theologorum *Regalistarum* seu *Aulicorum*, i.e. Marci Antonii de Dominis (haeretici), Episcopi Spalatensis († 1624), Ioannis de Launoi, doctoris Sorbonici († 1678) et Io. Nep. Nuytz, professoris Taurinensis († 1856), qui dixerunt „matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque [quoad rem] separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse" (Ench., 1766). Ex quo deinde concludunt, contractum matrimonialem, utpote qui iuxta ipsos natura sua civilis est, omnino per leges civiles regi debere; hinc gubernatoribus civitatum ius esse ea statuendi quae contractui matrimoniali rite ineundo inserviant, qualia potissimum sunt impedimenta dirimentia; contractui autem iuxta leges civiles rite inito, Ecclesiam deinde superaddere posse sacerdotalem benedictionem, in qua sola reponenda est sacramenti ratio.

2⁰ Error Melchioris Cani, celeberrimi caeteroquin theologi e familia Dominicanorum († 1560), qui contractum dixit esse quidem intrinsecum sacramento (ac proinde sacramentum non in sola sacerdotis benedictione situm esse) sed tamquam elementum mere materiale, cum forma, seu ratio formalis sacramenti, in benedictione sacerdotis reponenda sit.

Ex utroque illo errore sequitur: posse consistere verum matrimonium inter Christianos, quod tamen non esset sacramentum, si nempe sacerdotis benedictio defuisset.

Quaenam autem sit huiusmodi erroribus opposita doctrina vera et catholica in sequentibus ostendemus.

30. Utrum in matrimoniis Christianorum sacramentum possit a contractu separari?

Responsum continet Codex, can. 1012:

„§ 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. § 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum." E quo sic ponimus:

Inter Christianos matrimonii contractus et matrimonii sacramentum tam intime connectuntur, ut nullum dari possit contractus matrimonii, quin sit pariter sacramentum.

Prob. 1⁰ E S. Scriptura. In loco Eph. V supra explicato id quod inter Christianos dicitur „sacramentum magnum," seu unionis Christi et Ecclesiae sacrum signaculum, aliud non est nisi illud ipsum matrimonium quod Deus ab initio instituerat. Atqui quod Deus ab initio instituerat nihil aliud est nisi contractus ipse matrimonialis. Ergo ipse contractus, non autem aliquis ritus contractui accessorius, ad dignitatem sacramenti fuit evectus.

Prob. 2⁰ E. S. S. Patribus qui nusquam, ne leviter quidem, insinuant, sacramentum consistere in aliquo, quod realiter distinguatur a matrimonio prout in officium naturae est, seu prout est contractus; sed potius expresse docent (e. g. S. Aug, *De bono coniug*, e. 24) quod, cum nuptiae sint per omnes gentes atque omnes hominus, tum in causa

generandi, tum in fide castitatis, habent insuper in populo Dei, ut consistant etiam in sanctitate sacramenti.

Prob. 3⁰ E Conciliis ac primo quidem ex *Florentino* quod ita docet: „Causa efficiens matrimonii [notetur ibi agi de matrimonii sacramento]... est mutuus consensus per verba de praesenti expressus." Atqui mutuus consensus est identidem causa efficiens contractus naturalis. Ergo secundum Conc. Florentinum idem est secundum rem contractus matrimonialis et matrimonii sacramentum. Sed deinde etiam ex *Tridentino*, quod declaravit (Sess. 24 *de ref. matr.*, c. 1) matrimonia clandestina (i. e. coram parocho et testibus non contracta) rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit." Atqui secundum usum loquendi sacrorum canonum matrimonium eatenus dicitur *ratum ac verum*, quatenus in eo invenitur ratio *sacramenti* veri et proprie dicti [1]). Ergo. Cfr. S. Thom. qu. 59, art. 6, ad 1m.

Prob. 4⁰. ex pluribus recentibus S. Sedis declarationibus quas vide Ench., 1640, 1766, 1773. Legatur quoque Enc. „Arcanum", alinea „Nec quemquam..." etc.

31. Numquid igitur homines baptizati (e. g. Protestantes), quibus deest intentio suscipiendi matrimonii sacramentum, aut qui huiusmodi intentionem etiam positive excludunt, possunt matrimonium valide inire mere uti est in naturae officium?

R. Minime; ex quo enim ipsum matrimonium Christianorum fuit per evangelicam legem evectum ad esse sacramenti, ac proinde contractus et sacramentum iam sunt inter se inseparabiliter connexa, unum ex his duobus eveniat necesse est: aut scl. matrimonium ab huiusmodi contrahentibus initum non valet sub ratione sacramenti, et tunc nec valebit sub ratione contractus (ac proinde non erit matrimonium sed concubinatus); aut valet sub ratione contractus: sed tunc eo ipso est sacramentum (Ench. 1640). Quoad eos qui in con-

1) E. g. c. 7 *de divortiis* IV, 19, ubi sic habetur: „Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret."

trahendo matrimonio forte impie protestentur, se nolle matrimonium ut rem sacram suscipere, ordinario ita praedominabitur voluntas ineundi coniugium prout necesse est ad validitatem contractus, ut absque ullo dubio valide contrahant; quo casu iidem, protestatione sua minime obstante, valide etiam matrimonii sacramentum suscipiunt: non enim in praesenti ordine est in potestate cuiusvis Christiani rationem sacramenti a contractu valido quavis contraria intentione auferre. — Cfr. Math. n. 71.

32. Utrum ratio sacramenti *tota* sit in contractu, an, quod docuit Canus, contractus sit tantum elementum materiale sacramenti, benedictio vero sacerdotis elementum eiusdem formale?

Rationem sacramenti totam esse in contractu matrimoniali valide inito, id ex argumentis supra (n. 30) adductis, ac praesertim ex declaratione Tridentina circa matrimonia clandestina liquido apparet. Ad ulterius tamen confutandam Cani sententiam, hodie antiquatam, haec addimus:

1° S. S. Patres, quamvis benedictionem sacerdotis in nuptiis celebrandis commendent, non tamen eam uti necessariam ad validitatem sacramenti perhibent. Ita v. g. dicit Tertullianus *De pudicitia*, C. 4: „Ideo penes nos occultae quoque coniunctiones, hoc est non prius apud Ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari *periclitantur*." Migne II, 987. Iamvero si *periclitentur* tanquam fornicatio haberi, quia nempe non aperte constat utrum sint vere contractus matrimonialis vel non, non sunt *necessario* et *per se* invalidae; atqui, si sacerdotis benedictio necessario contractui accedere deberet, connubia occulta seù clandestina *certo* et *per se* invalida essent. Ergo.

2° Quam expresse et clare D. Thomas contra Cani sententiam loquatur, vide qu. 45. art. 5 in corp. et ad 2.

3° E decreto Tridentino (S. 24 *de Ref. Matr.*), irritante matrimonia clandestina (coram parocho et duobus testibus non contracta), nihilominus eiusmodi matrimonia valida manerent ubicumque decretum illud non publicaretur. Et etiam vi novi Codicis, formam tridentinam quoad universos terrarum

catholicos obligatoriam reddentis (can. 1099 § 1) valida tamen manent matrimonia clandestina acatholicorum inter se contrahentium (can. 1099, §2) et, in certis rerum adiunctis, ipsorum catholicorum (can. 1098). At in matrimoniis clandestinis nullus sacerdos matrimonium benedicens necessario adhibetur.

4°. Quotquot valide contrahere nequeunt nisi coram parocho et duobus testibus, ex praxi tamen et iurisprudentia Ecclesiae coram suo parocho valide contrahunt, sive hic eorum nuptias benedicat, sive non, dummodo eorum consensum requirat et excipiat. Can. 1095, § 1, 3°.

Quibus omnibus ad evidentiam usque probatur, nedum benedictionem sed ne praesentiam quidem sacerdotis semper ad matrimonii validitatem requiri, ac proinde totam rationem sacramenti in contractu matrimoniali reponendam esse.

Quo constito, iam difficile non est responsum ad quaestionem:

33. Quaenam sit sacramenti matrimonii materia et forma, quisnam eius minister?

Praenotandum. Qui sententiae Cani adhaeserunt theologi inter alia adduxerunt, quod ex *Decr. pro Armenis* (Ench. 695) in omni novae Legis sacramento inveniri debent res tamquam materia, verba tamquam forma, et persona ministri conficientis sacramentum: haec autem, inquiunt, in solo contractu matrimoniali invenire impossibile est; tum quia contractus natura sua est *res* tantum, tum quia perfici potest sine *verbis*, per nutum scl. vel per litteras. Hinc nisi contractui, ut *rei*, accedant, ut formale elementum, *verba* benedictionis sacerdotalis, erit quidem coniugium verum, non tamen sacramentum.

Sed obseryandum est: *a.* eodem citato Decreto pro Armenis nos edoceri, mutuum consensum exterius expressum esse causam efficientem sacri vinculi inter Christianos (Ench. 702), adeoque ipsum visibile sacramentum matrimonii. A quo docendo minime abstinuit Eugenius IV, quamvis paululum antea (Ench. 695) ea dixisset, ex quibus adversarii suam hauriunt difficultatem; *b.* cum sacramenta non sint composita *physica*, sed *moralia* tantum, termini illi (materia et forma), quos scholastici a compositis physicis ad sacramenta transtulerunt, non debent

nimis urgeri sed potius *iuxta analogiam* intelligi Hinc:

1⁰ quia in sacramentis per materiam et formam nihil aliud significatur quam esse aliquid in illis, sicut in compositis physicis, quod per se non est determinatum, et aliud quo illud determinatur in unum, ideo in quolibet visibili contractu matrimoniali (quomodocunque demum fiat: per verba, per nutus, per litteras, per procuratorem) TRADITIO seu donatio reciproca, qua contrahentes sibi mutuo tradunt ius in sua corpora in ordine ad finem coniugii, tenet locum r e i s e u MATERIAE; ACCEPTATIO vero huic reciprocae donationi utrinque accedens (et qua praedicta donatio revera determinatur ad donationem ratam, firmam et obligatoriam) tenet locum v e r b o r u m seu FORMAE[1];

2⁰ sequitur, eos a quibus contractus matrimonialis conficitur i. e. IPSOS CONTRAHENTES, esse sacramenti matrimonii MINISTROS. Sacerdos nuptias benedicens potest quidem dici minister s o l l e m n i t a t i s, sacramentum benedictione speciali c o n f i r m a n s (et hoc sensu saepe „minister" sacramenti matrimonii in documentis ecclesiasticis vocatur) non autem minister s a c r a m e n t i seu c o n f i c i e n s sacramentum.

Si ulterius quaeras sub quonam praecise respectu uterque sponsus sit minister sacramenti (agens scl. in persona Christi), dicendum videtur, utrumque sponsum esse sacramenti ministrum non in quantum ex parte sua d o n a t alteri ius in proprium corpus (hoc enim certe non agit in persona Christi) sed praecise in quantum traditionem alterius a c c e p t a t. Nam per hanc acceptationem perficit in comparte o b l i g a t i o n i s vinculum, ac proinde minister Christi est, qui in sacro Christianorum matrimonio nuptialis foederis obligationem sancit et obsignat. Vide verba Tertulliani supra p. 27[2].

---

1) Het wederzijdsche j a-w o o r d, hetzij dan u i t g e s p r o k e n of op andere wijze uitgedrukt, bevat, als geheel zijnde het uitwendige huwelijks-c o n t r a c t, ook geheel alleen de beide elementen, stof en vorm, van het huwelijks-s a c r a m e n t; of liever, dat ja-woord is zelf, in zooverre het de mutua corporum t r a d i t i o uitdrukt de m a t e r i a, in zooverre het de a c c e p t a t i o dier corpora te kennen geeft, tegelijkertijd ook de f o r m a van het sacrament. De i p s a c o r p o r a tradenda et acceptanda kan men de materia r e m o t a, de traditio zelve de materia p r o x i m a noemen.

34. Utrum ratio sacramenti sit in matrimonio in fieri (in contractu) tantum, an etiam in matrimonio in facto esse (in vinculo)?

Alii (e. g. Bellarminus, Sanchez) putant matrimonium, post initum contractum, in suo esse sacramenti perseverare, ad instar S. S. Eucharistiae, quia ratio signi ob quam Apostolus illud vocat „sacramentum magnum", unio nempe inter Christum et Ecclesiam, non tam in *contractu* matrimoniali quam in *vinculo indissolubili,* seu in matrimonio in facto esse, reperitur.

Probabilius tamen negant plerique (cum Schmier et Schmalzgrueber) quia sacramentum, in sensu stricto, est signum *practicum* gratiae, quo gratia *ex opere operato* suscipientibus confertur. Atqui absonum est dicere, coniuges, matrimonialiter vivendo, inde continuo *ex opere operato* sanctificari; sed dicendum est, coniuges in matrimonio sanctificari vi illius gratiae quam in contrahendo matrimonio *ex opere operato* perceperunt, mediantibus scl. iis gratiis actualibus, ad quas in vita coniugali recipiendas ius acquisierunt, dum matrimonii sacramentum, contractum ineundo susceperunt.

Perperam adducitur paritas cum S. S. Eucharistia. Haec enim *in fieri,* seu dum conficitur, non est sacramentum, sed sacrificium; *facta* vero est sacramentum, quia *usu* suo sanctificat suscipientem, quod de matrimonio vix quisquam dicat.

Neque valet ratio adducta: nam significatio, qua matrimonium *in facto esse* significat unionem inter Christum et Ecclesiam non probat, illud esse sacramentum *quatenus est signum practicum gratiae,* sed solum esse sacramentum *late sumptum,* pro signo rei sacrae divinitus instituto. Cfr. n. 28, 3.

Quod hic diximus, id ab aliis theologis his verbis exprimitur: solum matrimonium *in fieri* est sacramentum tantum matrimonium vero *in facto esse* est sacramentum et res.

35. Hactenus quidem, de identitate contractus et sacramenti in Christianorum coniugiis disputantes (vide supra n. 30), semper supposuimus ambos sponsos baptizatos, seu Christianos.

Non esse sacramentum (nisi in sensu latissimo quem ex-

posuimus n. 28, R. 3) matrimonium quod inter duos non-baptizatos seu infideles contrahitur, evidens est profecto, quum Baptismus sit ianua omnium sacramentorum. Attamen horum connubia valida sunt ut contractus naturalis. Quippe Innocentius III (cap. 7 *de divortiis* supracit.) sic dicit: „Etsi matrimonium *verum* inter infideles existat, non tamen est ratum."

Superest tamen duplex quaestio expendenda, una de coniugio duorum infidelium qui ambo ad fidem christianam convertuntur, alia de coniugio inter partem fidelem et infidelem. Itaque quaeritur:

36. An matrimonium duorum infidelium sacramentum eis esse incipiat, cum ambo per Baptismum fideles sunt effecti?

Negant, cum Vasquez et Salmanticensibus, Billuart (Tract. de Matr. Diss. I, art. V); Carrière (de Matr. Tom. I, p. 110); Math., (72, 4), Ratio est, quia, si inciperet esse sacramentum, hoc fieri deberet vel vi contractus ante Baptismum iam initi, vel vi contractus post Baptismum aut in Baptismo renovati. Neutrum autem fiert potest: non primum, quia matrimonium consistit, sicut alia sacramenta, in actu transitorio, seu materia sacramenti est contractus in fieri, non in facto esse; non alterum, quia consensus renovatio non potest efficere ut matrimonium iam in facto esse subsistens denuo *fiat.* Confirmatur ex praxi Ecclesiae: „Si enim huiusmodi matrimonium adhuc fieri posset sacramentum, Ecclesia profecto coniuges conversos hortaretur ad recipiendam benedictionem, vel saltem ad consensum renovandum; quod tamen non fit." Ita Carrière, l. c.

Affirmant, et quidem „communius" (uti dicit Ben. XIV, *de Synodo,* l. VIII, c. 13, n. 8), cum Bellarmino, Sanchez aliique, et e recentioribus Perrone II, p. 298; Rosset I, n. 340; Billot, II, Thes. XXXVIII; Tanquerey, II, p. 620; Egger (Ed. IV). n. 663, Corol. 4; Wernz, n. 43; quorum tamen alii (e. g. Bellarm.) requirunt consensus matrimonialis post Baptismum renovationem, alii (e. g. Rosset) dicunt sufficere praedicti consensus virtualem perseverantiam, alii denique (e.g. Billot)

defendunt huiusmodi matrimonio sacramentalitatem *ipso* Baptismatis *facto* accedere, independenter a quacunque renovatione, imo a perseverantia consensus. Rationes autem sunt:

1° Doctrina Pii IX, qui dixit „Inter fideles matrimonium *dari* non posse (notetur non dici: *contrahi* non posse, sed generalissime: *dari* non posse), quin uno eodemque tempore sit sacramentum" (Ench. 1640). Atqui matrimonium, de quo agimus, incipit *dari* inter fideles. Ergo.

2° Verba can. 1012, § 2: „Inter baptizatos (non distinguitur inter *ante* vel *post* matrimonium initum baptizatos) nequit matrimonialis contractus validus *consistere* (nec hîc dicitur: nequit *contrahi*), quin sit eo ipso sacramentum."

3° Huius doctrinae fundamentum scripturisticum: Verba Apostoli ad Eph. V, 32, quibus probatur, matrimonia Christianorum esse sacramentum, scripta fuerunt ad coniuges christianos, quorum certo certius plerique (Cfr. Eph. II, 11—13) matrimonium ante susceptum Baptismum contraxerant.

4° Uti docet S. S. Thomas (qu. 59 art, 2, ad 1m), matrimonium infidelium est „aliquo modo habitualiter sacramentum, quamvis non est actualiter, eo quod non contrahunt in fide Ecclesiae" i. e. contractus infidelium est sacramentalis in potentia, inducitque vinculum quod est sacramentale pariter in potentia, pro quanto infideles sunt potentialiter Christiani: Baptismus ergo faciendo eos Christianos in actu, eo ipso facit, ut coniugale vinculum iam reducatur in actum significationis illius sacramentalis, quam prius potentialiter habebat.

Rationibus autem in contrarium adductis ita satisfit:

1° Falso aut saltem gratis supponitur, hoc sacramentum aliter non posse ad suum esse pervenire nisi per consensum actualiter et in transeunti elicitum; vel enim dici potest cum Rosset (l. c.), ad hoc sufficere virtualem perseverantiam consensus, sicut sufficit cum matrimonium contrahitur sub conditione, vel per procuratorem, aut cum matrimonium invalidum sanatur *in radice;* vel, idque rationabilius, dici potest cum Billot, ne quidem requiri consensus perseverantiam (quia sive coniuges in consensu perseverare velint sive nolint, matrimonium eorum in suo valore perse-

verat), sed requiri et sufficere quod defectus christianitatis per Baptismum tollatur, ut habitualis seu potentialis illa sacramentalitas (quae, sec. S. Thom cuilibet infidelium matrimonio inest), per se prorumpat in actum, itaque fiat ut contractus naturalis, sublato iam infidelitatis impedimento, sit signum sacramentale producens ex opere operato gratiam.

2° Praxis Ecclesiae, quin huic alteri sententiae obstet, eam commendat potius atque confirmat. Etenim Ecclesia non quidem hotatur coniuges qui convertuntur ad fidem, ut consensum renovent, quando scl. compertum est hunc consensum fuisse validum (imo, teste Gasparri, tali casu consensus renovationem exigere est inhibitum), attamen valde eos hortatur ut se sistant coram parocho vel missionario ad petendam benedictionem (S. C. S. Off. 20 Iun. 1860 in *Collect.*, n. 1557). Erravit igitur Carrière contrarium asserens. Porro, si huiusmodi matrimonia non essent sacramenta, verosimiliter haud curaret Ecclesia, ut benedictione nuptiali, sicut et matrimonia fidelium, obsignarentur. Ergo [1]).

37. Utrum matrimonium fidelis cum infideli, contractum cum dispensatione in impedimento *disparitatis cultus* (infra, n. 284), ac proinde certo validum in ratione contractus naturalis, valeat in ratione sacramenti quoad partem fidelem.

Affirmant aliqui, inter quos Perrone, II. p. 306; Rosset, n. 347 sequ.; Tanquerey p. 621. Primo quidem ob varias rationes indirecte ad rem facientes, nempe: ipsa praxis Ecclesiae in disparitate cultus quandoque dispensandi, potestas quam Ecclesia sibi circa huiusmodi matrimonia vindicat, ac tandem ipsa constitutio impedimenti disparitis cultus ex parte Ecclesiae; quae omnia nonnisi ratione sacramentalitatis huiusmodi matrimoniorum explicari possunt. Deinde ob sequens

1) Emin. Gasparri, qui in editione prima (n. 229) sententiae neganti inclinare videbatur, in editione tertia (n. 35) fatetur non repugnare, quinimo probabiliter suaderi, rem a Christo ita constitutam fuisse, uti tenet sententia affirmans. Attamen praetermittens huius probabilitatis argumenta intrinseca, superius relata, solam hanc adducit *opportunitatis* rationem, sane haud spernendam, quod nempe „secus sequeretur matrimonium nonnullorum baptizatorum, imo in locis missionum et initio Ecclesiae plurium baptizatorum, non esse sacramentum et ideo subiici potestati civili potiusquam ecclesiasticae".

argumentum directum: Licet unus sit quoad utrumque coniugem contractus et una relatio seu unum vinculum, ratio tamen *sacramenti* differt a *ratione contractus* ab eaque praescindibilis est. Quum vero accidens sit subiecto inhaerens secundum eius naturam, nihil profecto obstat quominus ratio sacramenti pullulet in contractu quatenus ipse subiectatur in parte fideli, quae illius capax est, et non pullulet in infideli, quia illius incapax est. Unde nihil obstat, quominus matrimonium, etsi unus et idem contractus *in fieri* et unum vinculum *in facto esse*, sortiatur tamen in uno contrahente rationem sacramenti, quin eam sortiatur in altero.

Negant tamen communius cum Sanchezio aliisque e. g. Billuart, l. c.; Heiss, p. 12; Billot, p. 353; Wernz, n. 44. Quorum en praecipuum argumentum: Secundum S. Thomam qu. 47, art. 4 „dicitur communiter quod *matrimonium non claudicat*", i. e.: „Cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum, sine hoc quod fiat in alio, ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in alio." Hinc, dicit Billot, l.c., sicut impossibile est ut dominium maritale in uno coniugum sit et non in altero: ita etiam impossibile est ut obligatio viri ad mulierem firmior sit, quam mulieris ad virum, aut vice versa; quod tamen accideret si vinculum ex una tantum parte rationem haberet sacramenti, hoc est, si matrimonium foret ratum in fideli et non ratum in infideli. Ita Billot, l. c.

At fateor, hoc argumentum parum convincens mihi videri; verum enim sit, matrimonium claudicare non posse quoad rationem contractus et inde sequentis obligationis; attamen gratis omnino asseritur idem matrimonium non posse claudicare quoad rationem sacramenti. *Ex se* enim nihil prohibet quin unum idemque sacramentum sit validum in uno, qui nullo impedimento laborat, invalidum in altero qui sacramenti incapax est. Revera enim (uta observant Rosset et Tanquerey) absolutio sacramentalis duobus aut pluribus simul data, puta militibus ante pugnam, valida esse potest quoad recte dispositos, invalida quoad indispositos. Cum Tanquerey addere possumus, durissimum sane fuisse christianis mulieribus, quae prioribus saeculis ethnicos in matrimonium ducere debebant, privari gratia

sacramentali ipsis tam necessaria. Nec reapse privatas fuisse, insinuat Apostolus dicens (I Cor. VII, 14): „Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem," ... etc [1]).

Antequam in articulo sequenti de praecipuo consectario doctrinae modo expositae, i. e. de potestate Ecclesiae quoad regimen coniugiorum christianorum, disseramus, huic articulo subnectimus quaestionem sequentem:

38. Quinam sunt matrimonii, qua sacramenti N. Legis, effectus?

De fide est ex Trid. Sess. 24, can. 1, matrimonium „gratiam conferre." Gratia autem, quam confert, non est prima sed *secunda,* quia teste eodem Tridentino, institutum fuit non ad peccata redimenda, sed ad coniuges sanctificandos. Gratia autem illa, ut in omni sacramento N. Legis, coniugibus confertur *ex opere operato* et est:

1° Gratiae habitualis augmentum, quod percipiunt vel eodem instanti quo matrimonium ineunt, si tunc nupturiens est rite dispositus (in statu gratiae), vel, probabilius, etiam postea, quando obex peccati mortalis qui in susceptione matrimonii forte adfuerit, durante matrimonio removetur. Ita hodie communiter. Attamen, quia haec sententia (de reviviscentia gratiae) non est omnino certa, in praxi valde adlaborandum est, ut nupturientes non tantum ad evitandum sacrilegium, sed etiam ad procurandam sibi cum certitudine gratiam adeo necessariam pro vita matrimoniali, in statu gratiae ineant matrimonium. Legantur praeclara monita quae de praeparandis nupturientibus habentur in C. P., Tit. IV, Capp, XII et XIV et S. D., p. 57. Vide etiam inferius, n. 182.

Caeterum dixi, gratiam reviviscere durante matrimonio, quia si tantum post alterius coniugis mortem removeatur peccati obex, non est amplius causa cur producatur gratia: non enim remanet vinculum matrimonii et ideo sacramentum nec *in fieri* nec *in facto esse* existit: ergo non potest effectum producere, quia, ut fert axioma, „prius est esse quam agere."

2° Gratia sacramentalis, seu complexus donorum, et gratiarum actualium, quibus coniugati suo tempore indige-

1) Cfr. ad qu. 117 et 118 *Canoniste contemporain,* 1895, p. 144.

bunt ad consequendum coniugii finem, nempe *a.* ad christianam prolis procreationem et educationem; *b.* ad mutuum amorem et vitae consortium; *c.* ad concupiscentiam coercendam, seu ad servandum sanctum foedus thorumque immaculatum.

De aliis matrimonii effectibus, non specialiter sacramentalibus, scl. de vinculo coniugali, de fide maritali seu de matrimonii usu, de triplici matrimonii bono et de mutua rerum et bonorum communione partim iam aliqua diximus, partim suis locis fusius dicemus.

38 *bis.* In can. 1013, § 2 dicitur, essentiales matrimonii proprietates, nempe unitatem et indissolubilitatem (n. 18), in matrimonio christiano peculiarem obtinere firmitatem ratione Sacramenti. Quid hoc Codicis effato significatur?

Significatur id, quod iam complures S. S. Patres de coniugio christiano praedicaverant, videlicet:

a. matrimonio christiano ratione praeclarioris suae sacramentalitatis late sumptae, scilicet ob unionem utriusque naturae in Verbo Incarnato plenius ac perfectius eo significandam, firmiorem quamdam tum unitatem tum indissolubilitatem competere, eique ideo etiam iure divino tributam fuisse, uti ostendetur inferius Cap. X;

b. matrimonio christiano ratione suae sacramentalitatis, etiam stricte et proprie sumptae, ea adesse dona et auxilia, quibus si coniuges utantur, mediate et ex opere operantis sequetur unitas et indissolubilitas coniugii sanctius curata ideoque securius servata.

Art. III. *De potestate Ecclesiae circa matrimonium.*

39. *Praenotandum* 1. Iam in Prolegomenis (n. 2) dictum est, matrimonii institutum tam intime cum bono societatis cohaerere, ut illud iure societatis regi oporteat. In praesenti articulo videbimus, primo quidem et praecipue quoad matrimonia fidelium sed deinde etiam quoad matrimonia infidelium, quonam regimine seu quanam potestate iuste regantur.

Praenotandum 2. Uti cuiuslibet rei, ita etiam matrimonii respectu, regimen publicum necessario duo importat; ordina-

tiones legislativas seu leges, et decisiones ac sententias iudiciarias. Per ordinationes legislativas regulari et determinari debet ipsius contractus matrimonialis legitimitas (habilitas personarum contrahentium et debitus modus contrahendi): per decisiones et sententias iudiciarias debet ius matrimoniale (ipsae scl. ordinationes legislativae) in quibuslibet dubiis vel litigiis applicari. Hinc videndum, ad quamnam potestatem spectet: 1^0 circa matrimonium statuere, quae quaestio praecipue versatur circa potestatem statuendi *impedimenta* matrimonialia; 2^0 causas matrimoniales cognoscere (gedingen en kwesties betreffende huwelijkszaken behandelen en beslechten).

Praenotandum 3. In matrimonio, respectu sui regiminis tum legiferi tum iudiciarii, duplex materia iurisdictionis apprime distinguenda est: *a.* res et causae quae respiciunt matrimonii substantiam, seu ipsum coniugale vinculum et *b.* res et causae quae respiciunt quosdam vinculi effectus, qui ab ipso vinculo separabiles sunt et effectus civiles vulgo nuncupantur.

Substantiam matrimonii seu ipsum vinculum omne id respicit quod vel antecedenter (uti valor vel nullitas sponsalium), vel concomitanter (uti impedimenta matrimonialia, validitas consensus, forma debita contrahendi), vel consequenter (obligatio cohabitandi et reddendi debitum coniugale, legitimitas prolis, solutio vinculi) respicit ipsius vinculi sive validitatem sive honestatem, ac proinde natura sua et quodammodo intrinsece cum ipso vinculo cohaeret.

Nomine effectuum a vinculo separabilium ea intelliguntur quae ad vinculum ipsum potius extrinsece quam intrinsece se habent, ita ut huius neque validitatem neque, per se saltem, honestatem attingant. Huiusmodi sunt e. g. constitutio dotium, ius haereditariae successionis, possessiones bonorum temporalium quae maritali societati vel proli ab eadem procreatae attribuuntur, iura nobilitatis, etc. [1]).

Ubi autem in sequentibus sermo erit de *causis matrimonialibus*, solummodo prius dictum rerum atque causarum genus prae oculis habebimus. Quibus praenotatis, facile intelligitur quo ordine sibi succedant quaestiones, in sequentibus 2 § § proponendae.

[1]) Ben. XIV, *de Syn.*, L. IX, cap. 9, n. 3 et 4.

§ 1. Potestas Ecclesiae circa matrimonia fidelium.

40. Quinam circa potestatem Ecclesiae in fidelium matrimonia errores confutandi?

1° Error *Novatorum* saeculi XVI, qui dixerunt, matrimonium *sacramentum non esse* ac proinde nullam esse in ipsum potestatem Ecclesiae: omnem vero potestatem, praesertim impedimenta statuendi, principibus saecularibus competere. Quibus postea accesserunt M. A. de Dominis et Io. de Launoi cum pluribus aliis *Regalistis.*

2° Error Iansenistarum qui, praesertim in sua pseudosynodo Pistoriensi, docuerunt „ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia" at „supposito assensu vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii." Ench., n. 1559. Cfr. 1560 [1]).

3° Error quorumdam doctorum catholicorum, praesertim in Gallia (inter quos Carrière *De Matr.*, I, n. 596 et 597), qui tamquam opinionem liberam, ac imo probabiliorem et in praxi tutiorem, docuerunt, potestatem impedimenta dirimentia statuendi non Ecclesiae soli, sed etiam principibus civilibus competere.

---

1) In hun „Herderlijk mandement" van 1889 zeggen de Jansenistische „Bisschoppen" hier te lande: „Het huwelijk, het echtverbond van man en vrouw, behoort tot de verbintenissen van het burgerlijk leven, en diensvolgens tot het rechtsgebied van den burgelijken Staat. In vorige eeuwen hebben de regeerende vorsten, die zelve tot de Katholieke Kerk behoorden, hunne rechten op het huwelijk voor een deel aan die kerk afgestaan.... [later] hebben zij dit alles weder tot hun eigen rechtsgebied, dat is tot het rechtsgebied der burgerlijke overheid teruggebracht. Aan de kerk is gebleven hetgeen haar toebehoort, te weten: het uitsluitend recht op het sacrament des huwelijks en op de bediening daarvan. Aldus is het in ons land geregeld." *De Oud-Katholiek*, Juni, 1889. Vgl. Luigi Lodigiani. *Betoog dat de huwelijksverbintenis afgescheiden moet blijven van het sacrament des huwelijks.* Uit het Italiaansch, Rotterdam, 1885. — Over ontstaan en gevolgen dezer leer zie Dr. Lampert, *Etude sur l' histoire des propositions sur le droit matrimonial dans la bulla „Auctorem fidei,"* Fribourg, 1900.

41. Quaenam est doctrina adversus huiusmodi errores tuenda?

Responsum ad hanc quaestionem dabimus per tres theses ex ordine nunc vindicandas.

Thesis I. Regimen matrimonii ita pertinet ad Ecclesiam, ut Ecclesia possit impedimenta matrimonium dirimentia statuere, utque causae matrimoniales spectent ad iudices ecclesiasticos.

Haec thesis est *de fide* (adversus errorem n. 40, 1° loco memoratum) ex Trid. S. 24, can. 4: „S. q. d. Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, aut in iis constituendis errasse: A. S."; et can. 12: „S. q. d. causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos: A. S." Vim horum canonum evadere frustra omnino tentat Launoi dicendo, canones illos non esse dogmaticos, sed disciplinares tantum: nam in iis agitur de re non ad disciplinam sed ad fidem spectante, scl. de ipsa potestate Ecclesiae et de eius infallibilitate in exercitio huius potestatis.

Thesis probatur:

1° Ex doctrina catholica de inseparabilitate contractus matrimonialis a matrimonii sacramento (supra, n. 30).

Cum hinc quidem contractus quilibet possit a legitima potestate, statutis etiam legibus ipsum irritantibus, regi; inde vero sacramentum, utpote res omnino sacra, Ecclesiae potestati subiaceat: sequitur, Ecclesiam posse, legibus etiam irritantibus seu impedimentis dirimentibus a se constitutis, regere matrimonialem contractum. Deinde, quia eiusdem potestatis debet esse cognoscere de causis circa applicationem legum exorientibus, cuius est ipsas leges condere, ideo sicut ad Ecclesiam spectat leges matrimoniales, impedimenta praesertim, condere, ita etiam causas matrimoniales cognoscere.

Vis huius argumenti theologici optime percipitur ab adversariis, qui non alia de causa sacramentalitatem matrimonii negant, aut separabilitatem sacramenti a ratione contractus urgent, nisi quia bene perspiciunt se aliter Ecclesiae potestati subtrahere non posse matrimonium, si ipsum sit sacramentum. „Ubi enim semel obtinuere catholici matrimonium esse sacramentum (ita Calvinus, *Inst.* L. IV, c. 19, § 37) coniugalium

causarum cognitionem ad se contraxerunt, quippe res spiritualis erat profanis iudiciis non attrectranda."

2⁰ Ex praxi Ecclesiae, scl. ex exemplis historicis numero sequenti afferendis, e quibus patebit, Ecclesiam iam a primis saeculis tum impedimenta matrimonialia statuisse, tum data occasione de causis matrimonialibus cognovisse. Atqui, Ecclesia profecto ea potestate gaudet, qua ab incunabulis usa est. Ergo.

42. Thesis II Potestatem impedimenta matrimonium dirimentia statuendi Ecclesia habet ex iure divino, seu tamquam sibi propriam et originariam, non autem tamquam a principibus civilibus, sive per viam concessionis expressae sive per viam conniventiae, sibi concessam.

Etiam haec thesis est *de fide* (adversus errorem n. 40, 2⁰ loco memoratum): nam doctrina opposita in Bulla dogmatica „Auctorem fidei" Pii VI nominatim dicitur *haeretica* Ench. 1559.

Thesis probatur:

1⁰ Eodem illo argumento doctrinali, quo thesim praecedentem demonstravimus: nam potestas in sacramenta, ac proinde etiam potestas in matrimonium, sane ea est quam Ecclesia originarie a Christo, non autem a principibus civilibus accepit.

2⁰ Ex praxi Ecclesiae. Ecclesia enim:

a. iam ab incunabulis plures leges irritantes circa matrimonium tulit, quas frustra quaeres in codicibus civilibus respectivi temporis, quas proinde sine ullo dubio Ecclesia iure sibi proprio statuit. Exemplo sint impedimenta dirimentia ligaminis [1]), voti [2]), affinitatis in primo gradu [3]), ordinis mariti quo invalida sunt matrimonia a viduis presbyterorum contracta [4]), criminis [5]), conditionis servilis [6]) et metus [7]). Quo

1) Cann. 8 et 9 Concilii Illiberitani (an. 305) apud Hefele, *Conc. gesch.*, I, S. 131, necnon can. 10 Arelaten. (an. 314) ap, Hefele. l. c. S, 179.

2) Gelasius Papa in C. 14, C. 27, qu 1.

3) Can. 2 Neocaesar., ap. Hefele, l. c., S. 212.

4) Can. 16 Matisconen., (an. 585) op. Hefele III, S. 37.

5) Conc. Meldense (an. 845) in c. 5. C. 31, qu. 1.

6) Capp. 2 et 4 *de coniugio servorum* (IV, 9).

7) Capp. 14 et 15 *de spons. et matr.* (IV 1). Cfr. ad hanc materiam, universim sumptam, Hergenroether, *Kirchengesch.*⁴ Bd. I, S. 479 et 480.

patet, quam merito Leo XIII in Encycl. „Arcanum" observaverit, Ecclesiam in ferendis legibus matrimonialibus iam ab initio, et apprime in suo initio, ne quidem ad principes respexisse, multo minus eorum assensum petiisse aut exspectasse. „Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiam repudiique inveteratam consuetudinem delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Iudaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! Neque illud umquam homini sanae mentis potest persuaderi, de sanctitate et firmitate coniugii, de nuptiis servos inter et ingenuas, tot esse ab Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini christiano .... praesertim cum ius illud ab Ecclesia profectum a iure civili interdum adeo dissideret ut Ignatius Martyr, Iustinus, Athenagoras et Tertullianus tamquam iniustas vel adulterinas publice traducerent nonnullorum nuptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant." Frustra etiam petitur ab adversariis ut vel unum principem designent, qui Ecclesiae concesserit indultum impedimenta matrimonialia statuendi. Dicunt quidem, hanc potestatem Ecclesiae praecipue ex tacita principum conniventia factam fuisse; at huiusmodi conniventia in re tam momentosa, quomodo potuit locum habere (et quidem tam unanimiter) ex parte principum, quorum plerique fuerunt suae potestatis suorumque iurium adeo zelotae, ut saepesaepius campum Ecclesiae invaserint eiusque iura sibi adsciverint?

b. in causis matrimonialibus ipsorum principum, iisque minime contradicentibus sed acquiescentibus, tamquam eorum superior se gessit, non autem tanquam ea quae suam in matrimonium potestatem a principibus mutuatam vel delegatam habebat. Sic. e. g. Vigilius papa (537—55) irritavit matrimonium Theodoberti, I, regis Galliarum Orientalium, cum vidua fratis sui [1]). Leo III (795—816) nullum declaravit matrimonium Henrici I, Castellae regis, cum filia regis Lusitaniae

1) Ep. ad Caesareum Arelaten., Migne, P. L., LXIX, 21.

propter impedimentum consanguinitatis; Gregorius V (998) poenitentiae subiecit Robertum regem Francorum, qui in uxorem duxerat affinem suam Bertham, atque matrimonium solvit [1]). Aliis huiusmodi exemplis omissis, id denique memoramus, quod in Concilio Tridentino actum est, videlicet: oratores regis Galliarum duo a Concilio petierunt, nempe ut irrita declararentur tum matrimonia clandestina, tum etiam matrimonia a filiis familias sine parentum consensu deinceps contrahenda; iamvero prius fuit concessum, posterius autem negatum; quod quidem luculenter probat, auctoritatem Ecclesiae circa matrimonium, signanter quoad impedimenta statuenda, penitus agnitam fuisse, et quidem ut a iure principum independentem.

3° Ex ipsorum principum testimoniis. „Revera Honorius, Theodosius Iunior, Iustinianus (*Nov.* 137) fateri non dubitarunt, in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi esse licere." Ita Enc. „Arcanum". Carolus quoque Magnus in suis *Capitularibus* statuit, omnia sua decreta de coniugio fore accipienda iuxta ordinationem Gregorii papae, „quia sic Gregorius sentit." Et alibi, agens de connubiis consanguineorum, decernit, sacerdotum iudicio standum esse; et id: „ut iuxta constituta Sanctorum Patrum et iuxta decreta canonum iudicetur". Unde Henricus IV, rex Francorum, *Edicto* anni 1606, art. 12: „Les causes concernant les mariages soient *et appartiennent* a la connaissance et jurisdiction des juges d'Église". Rosset n. 756.

43. Thesis III. Regimen matrimonii christiani adeo exclusive ad Ecclesiam pertinet, ut ipsa sola, non autem potestas civilis cumulative cum ea, ferre possit leges matrimonii vinculum respicientes, utque causae matrimoniales omnes spectent ad solos iudices ecclesiasticos.

Haec thesis *saltem theologice certa* est (adversus errorem n, 40, 3° loco memoratum) et probatur:

1° Ratione theologica in probatione duarum praece-

1) Syn. Pavien. (997) ap. Hefele, *Conciliengesch.*, IV, S. 650.

dentium theseon iam adducta. Soli enim Ecclesiae potestas in sacramenta commissa fuit. Atqui ... etc. Quo argumento utitur Pius VI in sua Epistola ad Episcopum Motulensem 16 Sept. 1788, in qua canonem 12 Concilii Tridentini authentice in sensum nostrae theseos declarat, dicens: „Dogma est fidei ut matrimonium quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem legis Evangelicae sacramentis. Hinc fit ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate sententiam ferre". Cfr. Syllabi prop. 74 [1]).

2⁰ Ex praxi Ecclesiae, quae numquam hanc potestatem in principibus agnovit, sed e contra nullam vim habere censuit leges civiles circa matrimonii vinculum; ita e. g. Gregorius M. coniugia consobrinorum a principibus permissa reprobavit; item Urbanus VIII et Pius VII (Litt. ad Napoleonem 27 Iun. 1805) declararunt legem civilem, irritantem matrimonia sine consensu parentum inita, in foro conscientiae vim non habere. Vide hanc thesim prolixius tractatam, nominatim sententiam Carriére impugnatam, apud Feye, Cap. I [2]).

Nota. Doctissimus Carrière, ponderatis gravissimis rationibus quas alii viri docti in ipsum protulerant, eo ductus fuit, ut doctrinam, inde ab anno 1837 in suo opere De Matrimonio depositam, anno 1857 (in quinta editione sui *Comp. de Matrimonio)* abiiceret tamquam „minus consentaneam Sedis Ap. traditionibus". At, quia alii, Ecclesiae catholicae inimici, praesertim Iansenistae, continuo adhuc utuntur pluribus e rationibus a Carrière quondam adhibitis, hinc non superva-

1) Consequentiam huius rationis theologicae clare agnovit Paulus Hinschius, in Universitate Berolinensi Iuris Professor, ita scribens: „Einer solchen [sc. staatlichen Ehegesetzgebung] muss die katholische Kirche entgegentreten, denn aus der von ihr angenommenen Sacramentsnatur ergeben sich als Consequenzen die ausschliessliche Gezetzgebung und Gerichtsbarkeit in Ehesachen — wenigstens soweit es sich nicht um das Vermögensrecht handelt." *Staatslexikon*, Bd. II, Sp. 438.

2) Cfr. etiam I. P. Martin, S. I. *De Matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli exclusive propria.* Lugd.-Paris., 1844 (2 Vol.).

canee Feye totam Carrerii doctrinam refert et data opera refellit.

In confirmationem eorum, quibus triplicem hanc thesin iam probavimus, ea quoque breviter referemus et refellemus, quae in contrarium adduci solent Siquidem:

44. Contra thesin primo loco vindicatam

Obiicitur 1°: Contractus matrimonii est totus humanus et naturalis; atqui potestas ecclesiastica est tota spiritualis et supernaturalis; ergo non ad ipsam pertinet matrimonii regimen, sed ad eam potestatem cuius est contractus humanos regere, i. e. ad potestatem politicam. Ita de Dominis.

Resp. *Nego* mai.: nam, uti ostensum est in Art. I, contractus matrimonii inter Christianos est sacramentum, atque ideo totum versatur in ordine supernaturali, quo essentialiter a caeteris omnibus contractibus discriminatur. Quinimo, etiamsi ab eius elevatione ad sacramenti dignitatem praescindamus, tam multum adhuc differt a caeteris contractibus (v. supra n. 9), ut in ordine omnino speciali constituatur utque natura sua habeat aliquid sacrum et religiosum sibi inditum (Cfr. n. 28, R. 3).

Obiicitur 2°: Canones Tridentini, n. 41 adducti, non sunt dogmatici sed disciplinares tantum, proinde non exhibent aliquam veritatem ut de fide credendam sed solum statuunt praxin ecclesiasticam, seu disciplinam, eamque a fide nequaquam dependentem, hinc natura rei mutabilem, non necessariam et immutabilem. Ergo, salva fide dici potest, facultatem impedimenta constituendi non esse natura sua penes Ecclesiam sed penes principes civiles. Ita de Launoi.

Resp. In canonibus praedictis non agi de disciplina sed de doctrina patet:

a. Ex ipsa eorum forma („si quis dixerit" i. e. si quis professus fuerit), qua utique indicatur damnari aliquam assertionem theoreticam, seu perversam doctrinam. Quodsi Concilium voluisset certam disciplinam tantum seu normam agendi sub anathemate praescribere, profecto dicere debuisset: „Si quis non observaverit... etc."

b. Ex ipsa definitionis materia, quae est determinatio iuris Ecclesiae seu circumscriptio ecclesiasticae potesta-

tis; atqui quaestio de circumscriptione iurium et potestatis est quaestio theoretica, sese referens ad aliquam veritatem proponendam et determinandam. Ergo.

c. E scopo Concilii, quod hisce anathematismis voluit Novatorum errores seu haereses exterminare iisque opponere doctrinam catholicam.

d. Ex analogia cum aliis eiusdem Concilii sessionibus, quarum *canones* omnes sunt dogmatici, dum ea quae circa disciplinam statuuntur in *Decretis de Reformatione* habentur.

Obiicitur 3⁰: Concilium Tridentinum in iisdem canonibus nomine „Ecclesiae" intelligit Ecclesiam late sumptam, i.e. universum coetum fidelium, nominatim principes christianos. Ita iterum de Launoi.

Resp. Huiusmodi effugium vix meretur quod serio refellatur. Vere enim „Ecclesiae" nomine intelligi debere Ecclesiam docentem, seu sacram hierarchiam, patet ex canone 7 eiusdem sessionis. Quid Concilium, si canones suos in sensu Launoii tulisset, quid, quaeso, effecisset adversus Lutherum, ad quem impugnandum canones praedicti editi sunt? Sane Lutherus minime negaverat, potestatem impedimenta statuendi potestati laicali competere, imo solis principibus eandem vindicaverat, dicens: „Vociferor et clamo causas matrimoniales non ad me, sed ad saecularem potestatem deferri debere."

Obiicitur 4⁰: Ecclesia nequit, fatente Conc. Trid (Sess. XXI, C. 2), immutare substantiam sacramentorum; contractus autem matrimonialis est ipsissima sacramenti substantia; ergo Ecclesia, apponendo contractui matrimoniali impedimenta dirimentia, substantiam sacramenti matrimonii immutat. Ergo facultas impedimenta dirimentia statuendi ei est abneganda.

Resp. *Nego consequentiam*: nam substantia huius sacramenti non est quilibet contractus, sed legitimus contractus inter personas habiles. Ecclesia igitur, statuendo, quaenam personae sint habiles, quaenam inhabiles ad matrimonium contrahendum, non mutat substantiam sacramenti sed determinat, quaenam sit haec substantia. — Obiectio perperam procedit a supposita paritate inter matrimonium et pleraque alia sacramenta, quorum substantia est

aliquod ens physicum, quod semper idem manet, uti est e. g. aqua in Baptismo ; at vero substantia sacramenti matrimonii non est ens physicum, sed ens morale, nempe legitimus contractus. Atqui legitimitas alicuius contractus pendet ex eo, utrum necne bono publico societatis conveniat ; sed ipsa haec convenientia pro diversitate adiunctorum et conditionum variari potest. Ergo Ecclesia, cui commissum est bono publico in christiana republica quolibet tempore prospicere, bene potest pro adiunctorum diversitate statuere, inter quos et quomodo legitimus contractus matrimonialis fieri possit, ita ut secus fieri non possit.

45. Adversus secundam thesin sic

Obiicitur: Ex antiqua traditione conficitur, in antiquitate christiana agnitum fuisse tamquam originarium et exclusivum ius principum christianorum statuendi circa fidelium coniugia, adeo ut potestas, quam hac in re Ecclesia exercuit sequioribus saeculis, a christianis principibus sit repetenda. Argumento sint plures constitutiones ipsorum christianorum principum (Theodosii, Iustiniani, Constantis, etc.) in quibus quasi ex plenitudine potestatis circa matrimonia decernunt, et imo impedimenta dirimentia statuunt. Argumento deinde sunt S. S. Patres, e. g. S. Augustinus et S. Ambrosius, qui non modo regimen illud politicum non abnuunt sed imo leges imperiales laudant atque reverentur. Argumento denique sunt plures canones antiqui (e. g. Concilii Agdensis anni 506, Aurelianensis anni 538, Turonensis 566 etc.), quibus statuitur privatio communionis in eos qui praedictas leges civiles transgrediantur. Ita Iansenistae, e. g. Lodigiani, Op. cit. blz. 38, v. v.

Resp. *a.* Imprimis traditio illa, quam invocant Iansenistae, non satis antiqua est ad probandum, matrimonii regimen originarie ad principes, non autem ad Ecclesiam spectasse: non enim ante saeculum quartum principes ethnici in Ecclesiae sinu cooptati fuerunt. Hinc adversarii deberent proferre documenta saeculo IV antiquiora, quibus ostenderetur, Ecclesiam tempore e. g. Neronis, Decii aut Diocletiani sese in regimine matrimoniorum tamquam a principibus dependentem

gessisse, et v. g. Christianos exhibuisse magistratibus ethnicis supplices libellos ut sese possent conformare legibus quibus ab Ecclesia obstringebantur. At, huiusmodi documenta proferre nequeunt; contra, tum Patres saeculorum priorum (vide e. g. S. Ignatium M. p. 27[2]), tum canones antiquiorum conciliorum (e. g. Conc. Illiberitani anni 306) clare ostendunt, Ecclesiam in suis primordiis plane independenter a politica ethnicorum potestate connubia fidelium esse moderatam. Quo constito, nulla assignari potest ratio, quare Ecclesia independentem illam potestatem sub christianis principibus aliquando amisisset. Etenim, per conversionem principum ad Christianismum ipsorum quidem principum conditio immutata est, quatenus nempe ipsi facti sunt Ecclesiae filii et subditi, sed conditio Ecclesiae eadem permansit quoad naturam ac praerogativas suas, perseveravitque. Hinc *b.* si in documentis saeculorum posteriorum nonnulla occurrunt effata quae favere principum iuri in christianum matrimonium videantur, ea ex traditionis et fidei analogia explicari commode debent, ita ut quae dicuntur in legibus a principibus sancita, intelligantur aut de robore exteriori per civiles poenas canonibus ecclesiasticis adiecto; aut de legibus quidem civilibus, sed ab Ecclesia approbatis et adoptatis, ita ut vi ecclesiasticae approbationis leges civiles potuissent vinculum coniugale afficere, quod ex se praestare non potuissent; aut denique de effectibus mere civilibus coniugii a civili potestate suo iure (cfr. infra, n. 47) moderatis.

Vide quomodo haec, quoad singula documenta ab adversariis adducta, in lumine suo collocet Perrone, tom. II, p. 358 sequ.

46. Adversus thesin tertio loco a nobis defensam

Obiicitur: Matrimonium, licet ad dignitatem sacramenti a Christo evectum, minime desiit esse contractus naturalis et civilis. Atqui hic spectat ad bonum societatis civilis. Ergo manet quoad legitimitatis suae conditiones politicae potestati subiectus. Ita Carriére, Tom. I, n. 559.

Resp. *Dist.* quoad primam partem maioris: non desiit esse contractus naturalis qui, etiam post elevationem ad

sacramenti dignitatem, mutuo consensu perficitur, *conc.*; non desiit esse contractus naturalis eo sensu, quasi per elevationem ad dignitatem sacramenti contractus ille, inter Christianos perfectus, non esset translatus ad ordinem altiorem, in quo per se est signum sacrum et sacramentale, *nego.*

Quoad alteram partem maioris: non desiit esse contractus civilis, *nego suppositum,* scl. nego matrimonium esse intima sua natura contractum civilem, quum e contra sit „sua vi, sua natura, sua sponte", (ut dicit Leo XIII) i. e. etiam abstractione facta a dignitate sacramenti, contractus sacer et religiosus, atque eatenus tantum civilis appellari possit, quatenus solet in civili societate aliquos habere effectus civiles, qui tamen a substantia contractus sunt separabiles (vide supra n. 39, *Praenot.* 3).

Minorem *conc.,* sed *nego consequentiam*; scl. nego, ideo matrimonium quoad ipsum vinculum civili potestati subesse debere. Etenim: *a.* si potestas civilis posset circa matrimonium statuere hoc solo motivo, quod ad bonum societatis civilis pertinet, eodem motivo res religiosae omnes et singulae in civilis gubernii potestatem redigi possent; *b.* consequentia falso supponit, Ecclesiam suis legibus matrimonialibus bono societatis sufficienter non providere, quum tamen etiam in hac materia Ecclesia suam ostenderit „in omnibus bonis foecunditatem", eaque, quamvis sanctissimis suis legibus primario intendat coniugalis vinculi sanctitati et sacramenti dignitati consulere, tamen iisdem legibus „tot ac tantas in ipso etiam rerum mortalium genere pepererit utilitates, ut plures maioresve non potuisset, si imprimis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem instituta". Cfr. Enc. „Arcanum"; *c.* caeterum, ut pro fine suo civili princeps vel gubernium societatis bonum tueatur, plane ei sufficit quod possit de effectibus civilibus matrimoniorum disponere; hanc autem potestatem, uti statim videbimus, omnio liberam ei relinquit Ecclesia.

47. Quomodo igitur, attenta doctrina hucusque exposita, determinari possunt iura et officia potestatis civilis in matrimonium christianorum?

Praenot. Quam spinosa nonnullis scriptoribus, etiam catholicis, fuerit haec causa finium inter utramque potestatem, civilem et ecclesiasticam, regendorum, id probant ea eorum effata, quibus Status civilis hac in re facultates ultra fines legitimos longe extendunt. Vix e. g. credat oculis qui apud Weber (S. 541) Statui attributum inveniat ius statuendi impedimenta, non tantum prohibentia, sed etiam dirimentia, eaque in conscientia obligantia: „Der Staat ist berechtigt, wegen der hohen Bedeutung der Ehe für das Familien-, Gemeinde-und Staatsleben aus höchst wichtigen politischen und bürgerlichen Gründen trennende Ehehindernisse aufzustellen. So können z. B. Staatsgesetze statuiren, dass Jünglinge und Jungfrauen vor zurückgelegtem 16. bzw. 18. Lebensjahre, oder Militärpersonen, ehe sie eine gewisse Charge erreicht, keine (bürgerlich) gültige Ehe schliessen können. Die Unterthanen sind verpflichtet im Gewissen, d. h. unter Sünde, solche und ähnliche staatsrechtliche Ehegesetze zu respectiren...." Similiter qui apud Rosset (n. 788) „inter extrinseca matrimonii et ideo inter eius effectus civiles" recensitam inveniat Status civilis facultatem qua possit „quando id exigit bonum publicum, inducere quaedam impedimenta matrimonii impedientia, v. gr. prohibere quominus minores contrahant sine consensu parentum; ne militiae mancipati nubant, nisi servatis certis regulis obtentaque auctoritatis militaris venia. Talia vetita communire poenis, v.gr. mulcta, carceris poena, quorumdam iurium amissione, prorsus habet ius." Sunt praeterea qui facultatem impedimenta statuendi primum theoretice Statui civili abnegant, sed deinde practice relinquunt, scl. agnoscendo eius ius exigendi „praevias quasdam conditiones", quibus non servatis valeat poenas quasdam civiles coniugibus fidelibus infligere...; qua concessione, solo nomine impedimenti mutato, vera introducitur potestas impedimenta constituendi. Cfr. Wernz, n. 68, sequ.

Qui scriptores sane produnt, se consequentiam doctrinae catholicae de indole sacramentali matrimonii, et hinc de exclusiva Ecclesiae iurisdictione quoad matrimonium ipsum, minus clare perspexisse quam perspexit iurisconsultus ille

acatholicus Paulus Hinschius, cuius verba, n. 43 allegata, hîc iterum legantur.

Nos igitur, haec prae oculis habentes Leonis XIII in Enc. „Arcanum": „De sacramentis... statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest ac debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam" — nos, inquam, iura et officia potestatis civilis in matrimonia christianorum hisce finibus circumscribenda putamus:

1⁰ Potestas civilis non potest ullo titulo matrimonio ipsi intrinseco quidquam disponere, quo directe afficiatur eius substantia. Dicitur:

a. non potest quidquam disponere, scl. nec potestate legifera, nuptias contrahendas quoad valorem vel liceitatem alligando cuiusvis nominis impedimentis (inhabilitatibus, conditionibus, formalitatibus, prohibitionibus) aut contractis causas divortii praestituendo; nec potestate iudiciaria causas matrimoniales (nullitatis, divortii, separationis coniugum) cognoscendo et definiendo;

b. non potest quidquam disponere, quo matrimonii substantia, scl. ipsum vinculum coniugale, afficiatur, salva de caetero eius competentia circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus, uti habet can. 1016. Cfr. n. 39;

c. non potest quidquam disponere, quo matrimonii substantia (vinculum contrahendum vel iam contractum) afficiatur directe; qua restrictione relinquitur ei potestas, intra fines suae competentiae in res civiles generatim, ea etiam disponendi, quibus indirecte aut aditus ad matrimonium alicui praecluderetur (e.g. poenam mortis vel carceris nupturienti criminoso infligendo) aut separatio coniugum a thoro et cohabitatione sequeretur;

d. non potest de matrimonio disponere ullo titulo ipsi intrinseco, scl. ex ipsius matrimonii habitudine ad bonum commune desumpto. Bene vero disponere potest titulis ipsi matrimonio extrinsecis, cuiusmodi est titulus pactionis e. g. cum militiae adscribendis aut ad publica officia assumendis; quo titulo potest e. g. exigere ut

huiusmodi personae, saltem ad tempus [1]), vitam caelibem agant [2]). Aliud exemplum praebet titulus vindictae de delictis communibus sumendae, etiamsi agatur de delictis, quae (ut adulterium, incestus, coniugicidium) specialiter laedunt sanctitatem matrimonii. Huiusmodi quippe crimina merito dicuntur *mixti fori*, scl. fori ecclesiastici, in quantum laedunt virtutem religionis, et fori civilis, in quantum laedunt virtutem iustitiae.

2⁰ Potestas civilis, si ultra fines modo designatos aliquam legem matrimonialem, ab Ecclesia nondum latam, communi civium bono profuturam esse credat, eam ab Ecclesia postulet; a se autem conceptam aut forte iam latam petat ab Ecclesia respective condendam aut canonizandam. De canonizatione quarumdam legum civilium, non quidem petita, sed favore fidelium sponte ab Ecclesia facta, vide inferius n. 255.

3⁰ Potestas civilis tenetur quasvis leges irritantes et prohibentes, ab Ecclesia statutas, admittere et revereri, ac proinde cuilibet matrimonio iuxta leges ecclesiasticas inito, etiam in foro civili, eos effectus attribuere, qui vinculum legitime existens necessario et inseparabiliter consequuntur; cuiusmodi sunt: iura et officia proprie maritalia (e. g. obligatio cohabitandi), legitimitas prolis, patria potestas parentum in filios, ius filiorum legitimorum succedendi in paternam haereditatem, etc. Ex altera parte tenetur eosdem effectus denegare cuilibet coniunctioni inter marem et feminam, quae secundum leges Ecclesiae non sit verum matrimonium.

4⁰ In quolibet inter potestatem utramque litigio de finibus hac in materia regendis, iudicium supremum spectat ad auctoritatem Ecclesiae, utpote ad quam huius rei sacrae regimen spectat substantialiter, ideoque principaliter. Cfr. Cavagnis, L. IV, n. 195 et 196.

1) Exigendo hoc similive titulo vitam perpetuo caelibum, auctoritas civilis *abusu* potius quam *usurpatione* potestatis peccaret, quatenus nempe huiusmodi pactio, etsi non *iuridice*, tamen foret *ethice* damnanda. Caeterum vix opus est dicamus, adscriptionem (e. g. militiae) lege coactam hunc titulum non constituere.

2) Huiusmodi titulus extrinsecus, etsi ad quamdam matrimonii prohibitionem ius conferens, ad eiusdem irritationem utique se porrigere nequit. Quod probatione non indiget.

48. Quomodo in saeculorum decursu ad praedicta principia catholica sese habuerunt legislationes civiles?

a. Tribus prioribus Christianismi saeculis, sub principibus ethnicis, Ecclesia quoad regimen matrimonii ea fruebatur libertate, ut Athenagoras (a⁰. 177) in *Legatione* sua *pro Christianis ad Impp. Marcum Aurelium et Commodum*, cap. 28, scribere potuerit: „Uxorem quidem unusquisque nostrum eam, quam *secundum leges a nobis positas* (κατὰ τοὺς ὑφ' ἡμῶν κατατεθειμένους νόμους) duxit, existimat" [1]. Hinc veteres Christiani leges civiles ethnicorum eatenus observabant, quatenus eaedem legi Dei et Ecclesiae non adversabantur; secus eas declinabant. Qui vero Christianus in civili foro quidquam circa matrimonium agebat quod legibus Ecclesiae repugnabat (e.g. divortium petendo) is communione ecclesiastica privabatur [2].

b. Quatuor subsequentibus saeculis, sub imperatoribus christianis, factum est, ut hinc quidem plures leges ethnicae indolis abrogarentur et e contra plures leges canonicae codicibus Theodosiano et Iustinianaeo insererentur (atque imo causae de ipsis effectibus civilibus coniugiorum frequenter committerentur Episcopis cognoscendae); illinc vero etiam plures leges atque consuetudines ethnicae legislationem imperialem corrumperent.

c. Sub regimine principum Francorum legislatio ecclesiastica in ipso civili foro adeo invaluit, ut Ecclesia suas leges in causis matrimonialibus ipsorum principum (Lotharii II, Philippi Augusti aliorumque) felici successu vindicare potuerit.

---

1) Ita iuxta criticam recensionem et versionem Dr. Ioan. Otto, viri protestantis, cui quidem concordat quoad recensionem, licet non plene quoad versionem („quam secundam leges nobis positas duxerit") Dr. Ludw. Paul. At certe vel crassissima ignorantia vel incredibili perfidia dicendus est laborasse, qui in *De Oud-Katholiek* (Jg. 1886, blz. 69) hunc Athenagorae textum sic vernaculo sermone reddidit: „Ieder onzer houdt de vrouw, die hij naar de *door u* gestelde wetten getrouwd heeft, voor zijn wettige huisvrouw;" quo deinde ita concludere valeat: „Van de wetten dus van den vorst, al waren zij uitgegaan van heidensche wetgevers, leidt hij [Athenagoras] de geldigheid des huwelijks af."

2) Döllinger, *Hippolytus und Callistus*, Regensb. 1853, S. 169, ff.

d. Concordiam inter imperium et sacerdotium, quae etiam quoad matrimonii regimen per subsequentia saecula floruerat, exstinxit sic dicta „Reformatio," ita quidem ut matrimonium, e numero sacramentorum deletum, haberi coeperit tamquam *res mere temporalis* („ein rein weltlich Ding," Luther) a *civili* potestate regenda. Sic ortum est [1]) matrimonium quod dicitur *civile,* nempe illud quod coram magistratu civili et iuxta leges civiles absque ullo respectu ad legem ecclesiasticam contractum, plena fruitur validitate ad consequenda iura coniugalia et effectus civiles. Quum autem legislatores protestantes, in determinanda personarum ad matrimonium ineundum habilitate necnon in admittendis causis divortii, partim sequerentur placita Reformatorum (cfr. Conc. Trid. Sess. 24, cann. 3, 5, 7, 8), partim renovata „scientia *iuris naturalis*" ducerentur, mirum non est, legislationem matrimonialem plerorumque Statuum Protestantium mox factam fuisse a iure Ecclesiae longe diversam.

e. Opus destructionis, a Reformatoribus incoeptum, prosecuti quidem sunt lansenistae et Regalistae — haud parum subinde faventibus [2]) theologis et canonistis Gallicanis — absolverunt vero Atheistae et Revolutionis gallicae laudatores. Hinc hodie in plerisque codicibus civilibus non tantum lex

---

1) Matrimonii civilis initia in patria nostra quaerenda sunt. Die enim 1 Aprilis 1580 Status Hollandiae et Westfrisiae decreverunt, nullum deinceps matrimonium in foro civili vim habiturum, nisi quod contractum esset aut coram aliquo ministro Protestante aut coram civili magistratu. Quae dispositio anno 1656 ad universas Neerlandiae provincias extensa est. Cfr. Lehmkuhl in *Kirchenl.* Art. „Civilehe," et Wernz, n. 202. Eiusdem genesin in Gallia vide apud Desmet, p. 277.

2) Favorem matrimonio civili a theologia Gallicana indirecte collatum his verbis describit Lemaire *Le Mariage civil,* Paris 1901, p. 98: „Alors que les protestants niaient le caractère sacramental du mariage, alors que les philosophes niaient même son caractère sacré et religieux, il eût fallu une doctrine de tradition ferme, une theologie solide et résistante, c'est à dire tout le contraire de ce qu' était le Gallicanisme. Si donc nous n' accusons pas la doctrine gallicane d'avoir été la source directe du mariage civil, nous disons formellement qu' elle en a favorisé l' avènement d'une façon extraordinaire. Elle n'a pas donné le mariage civil à la France catholique, mais elle a livré la France catholique au mariage civil."

matrimonii civilis cum suis annexis, sed etiam lex quae a coniugio semel inito variis in casibus *divertere* permittit.

49. Quomodo relate ad matrimonium sese habet lex civilis Neerlandica?

a. Lex civilis Neerlandica de matrimonio (Cod. civ., L. I, tit. V) hoc praefert principium: „Lex matrimonium considerat in civilibus eius relationibus tantum" [1]). Quae verba, sicut etiam ipsius art. 83 genesis [2]), profecto ostendunt, legislatorem nostrum, quin ipsi matrimonio directe se immiscere intendat, solummodo velle moderari relationes quae inde coniugibus civiliter oriuntur; ipsum vero matrimonium, qua vinculum morale, se prorsus relinquere eorumdem conscientiae [3]). Qua intentionis suae manifestatione fidelem se exhibuit tum erga principium illud de *Ecclesiae et Status separatione* quo, Codicem concinnans, inspirari se voluit; tum erga legem regni fundamentalem, cunctas „religiones" (eerediensten) uno eodemque ordine habentem.

Quamvis autem eidem legislatori, singulas illas relationes definienti ac moderanti, difficile fuerit a voce matrimonii abstinere, reapse tamen voce eadem aliud non denotat nisi complexum illum relationum civilium, cum matrimonio connexarum, quas solas ipse intuetur, Unde etiam quoties loquiter de matrimonio *contrahendo,* aut *nullum declarando,* aut *solvendo,* toties id intelligendum est de relationibus civilibus, ex matrimonio respective aut secutis, aut non secutis, aut finitis.

1) Art. 83: „De wet beschouwt het huwelijk alleen in deszelfs burgerlijke betrekkingen."

2) Mr. J. C. Voorduin, *Geschiedenis en beginselen der Nederl. Wetboeken.* Utrecht, 1837, 2e Deel, blz. 138, v.v.

3) Hunc sensum art. 83 adscribunt e.g. Asser, *Het Ned. Burg. Wetb. vergeleken met het Wetb. Napoléon.* 's Gravenh. en Amst. 1838 blz. 38; Schüller, *Burg. Wetb. met aant.,* Utrecht, 1878, blz. 23; maxime vero A. v. Gestel, S. J. in period. *Studiën,* Deel 43, blz. 227, v.v. — Contra vero, nempe legislatorem Neerlandicum revera *ipsum matrimonium* moderari intendere, defendit A. C. M. Schaepman, *Het burg. huw. der R. Kath. in Nederl.,* Utrecht, 1900. Cfr. etiam Mr. D. Koolen, *Het kerk. en het burgerl. huwelijk* in „Annalen der vereeniging tot het bevorderen van de beoefening der wetenschap onder de Kath. v, Nederl." Jg. 1907, blz. 1—29.

Utrum autem mens legislatoris revera ad solas matrimonii civiles relationes, an potius ad ipsum contractum matrimonialem se porrigat, id, (praesertim intuitu eorum articulorum quae matrimonii *impedimenta* et *causas divortii* continent) plurimi intererit, si respondendum sit primo quidem ad hanc *iuris* quaestionem: num impedimenta nostra civilia vim habent quoad non baptizatos (vide infra n. 54); deinde etiam ad hanc quaestionem *moralem*: num iudicibus, advocatis et magistratibus catholicis licet exsequendae legi civili e.g. de divortiis, cooperari; de qua in tractatus nostri Parte X.

b. A principio illo art. 83 rotunde enunciato legislator noster miro veluti saltu resilit dum in art. 136 eiusdem Cod. civilis ita statuit: „Geene godsdienstige plechtigheden zullen vermogen plaats te hebben, voor dat de partijen aan den bedienaar van hunnen eeredienst zullen hebben doen blijken, dat het huwelijk ten overstaan van den ambtenaar van den burgerlijken stand is voltrokken." Et in art. 449 Codicis Poenalis: „De bedienaar van den godsdienst die, voordat partijen hem hebben doen blijken, dat haar huwelijk ten overstaan van den ambtenaar van den burgerlijken stand is voltrokken, eenige godsdienstige plechtigheid daartoe betrekkelijk vericht, wordt gestraft met geldboete van ten hoogste driehonderd gulden."

„Indien tijdens het plegen van de overtreding nog geen twee jaren zijn verloopen, sedert eene vroegere veroordeeling van den schuldige wegens gelijke overtreding onherroepelijk is geworden, kan, in plaats van de geldboete, hechtenis van ten hoogste twee maanden worden opgelegd" [1]).

His, inquam, articulis legislator patrius miro quodam et

---

1) In Germania *Personenstandsgesetz*, quod vocatur, § 67 ita habet: „Ein Geistlicher oder anderer Religionsdiener, welcher zu den religiösen Feierlichkeiten einer Eheschliessung schreitet, bevor ihm nachgewiesen worden ist, dass die Ehe vor dem Standesbeambten geschlossen sei, wird mit Geldstrafe bis zu 300 Mark, oder mit Gefängniss bis zu 3 Monaten bestraft". Lex vero Germana ab hac poena excipit matrimonium *in extremis* religiose celebratum. Art, 45 *ter* legis matr. Codici civili additae. Cum eadem exceptione Cod. poen. Belgicus (art. 267) mulctam statuit 50—500 francorum et, in casu *recidivi*, insuper poenam carceris dierum 8 usque ad 3 mensium.

prorsus illogico saltu recedit a principio illo, art. 83 Cod. civ. enunciato. Siquidem prohibet et gravi poena afficit actum, qui, quin ullam civilem „relationem" ullumve ius civile inducat, non est nisi actus conscientiae, quo nempe adiuvetur conscientia eorum, qui hinc lege morali ad iustas nuptias compelluntur — ne scilicet merum putumque concubinatum ineant aut in eo permaneant — inde vero, ob impossibilitatem certis legis civilis formalitatibus satisfaciendi, ad actum matrimonii civilis non admittuntur. Igitur legislator civilis, relationum civilium terminos egrediens, ausu temerario invadit ditionem rerum relationumque sacrarum seu forum conscientiae, ibique violentia sua utitur non tantum in ipsos contrahentes, sed etiam in „ministrum religionis"; qua violentia utendo simul impingit in legem fundamentalem regni Neerlandici, „liberum religionis exercitium" cunctis civibus vindicantem (art. 167). — Iniquae huius legis condendae praetextus fuit timor ne ministri religionis, matrimonium civile religioso postponentes, ab illius neglectu fideles suos non averterent, quin forte etiam ad negligendum excitarent. Quam autem inanis sit ille timor, saltem hodie a multis iam decenniis, vide inferius, n. 255 [1]).

c. Quid vero de ipso principio, art. 83 Cod. civ. enunciato? Ipsum illud principium, ac praesertim eius in subsequentibus articulis (de impedimentis, de filiis legitimis et illegitimis, de divortiis) applicatio, manifestam praesefert iniuriam erga matrimonium religiosum. Dum enim huic, qua tali, i. e. qua secundum Dei et Ecclesiae leges celebrato, nulla omnino iura civilia tribuit et, contra, matrimonio mere civili, licet spretis Dei et Ecclesiae legibus contracto, effectus civiles plenissime confert, lex in apertum matrimonii, qua rei religiosae et speciatim qua sacramenti, contemptum incidit; ianuam insuper pandit maris et feminae coniunctionibus, quae, apprime ob legum divinarum et ecclesiasticarum neglectum, non sunt nisi coniunctiones fornicariae et contubernia legalia, hisque cunctos veri matrimonii effectus civiles (tam inseparabiles a vinculo quam separabiles) attribuit. Denique vi articulorum de divortio

1) Cfr. Schaepm. *Het burgerl. huwelijk* enz. blz. 17. v.v.

eosdem effectus favorabiles aufert non solum a coniugiis mere civilibus et canonice invalidis; sed etiam a coniugiis legitimis iure divino nullo umquam divortio solvendis. Quibus nihilominus, impia iudicis sententia „solutis," via patet coniugibus „separatis" ad coniunctiones novas, quae non erunt nisi adulteria lege civili sancita.

Eadem haec crisis plerisque aliarum nationum legislationibus matrimonialibus applicari poterit.

§ 2. Ubinam resideat potestas circa matrimonia infidelium.

50. Num potestas regendi infidelium matrimonia est penes Ecclesiam?

Respondent omnes: Negative: nam, ii de quorum matrimoniis agitur, defectu Baptismatis, non sunt Ecclesiae subditi: hinc Ecclesia illorum respectu cum Apostolo (I Cor. V, 12) repetere debet: „Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?" Quapropter infideles, quoad matrimonia inter se ineunda, licet lege naturali et lege divina postiva ligentur, non tamen subiacent legibus Ecclesiae, sive dirimentibus, sive prohibentibus. Sed iam quaeritur:

51. Utrum potestas regendi infidelium matrimonia sit penes *potestatem civilem* cui iidem infideles in civilibus subduntur?

Praenotandum 1. Ab omnibus admittitur, principes vel gubernia civilia in matrimonia infidelium ea posse, quae possunt quoad matrimonia fidelium (supra n. 48). In comperto etiam est, eos nihil statuere posse vel pronunciare, quod adversetur iuri naturali et divino positivo. Sed quaestio est de iis, quae ab ipsis intra limites iuris naturalis et divini statuuntur, praesertim, utrum cum effectu valeant constituere impedimenta dirimenta.

Praenotandum 2. A solutione huius quaestionis magna ex parte pendet: *a.* utrum necne valeant matrimonia quae, non solum in terris missionum sed etiam in nostra patria, a nonbaptizatis (Iudaeis, Mennonitis aliisque) ineuntur, dum eorum matrimoniis aliquod obstat impedimentum *civile,* dirimens;

b. utrum, necne, magistratus et iudices catholici licite valeant nomine civilis potestatis et secundum leges civiles agere vel decidere, si in causis matrimonialibus non-baptizatorum aliquid occurrat agendum vel decidendum, quod legi quidem ecclesiasticae, non autem iuri naturali vel divino adversetur.

De hac quaestione, Codice novo non dirempta, duplex est sententia:

I[a] n e g a t, quia matrimonium secundum se, etiam praecisione facta ab omni ratione sacramenti, d i r e c t e ordinatur ad procreandos et instituendos c u l t o r e s D e i, quo fit ut vel solum ratione finis sit „sua vi, sua natura, sua sponte s a c r u m", uti legitur in Enc. „Arcanum". Hinc, secundum se, seu quoad substantiam suam, nullo pacto est de competentia potestatis civilis, sed soli ordinationi legis religiosae subiacere potest. Igitur matrimonia infidelium, ob defectum alicuius legitimae auctoritatis religiosae, cui subiaceant, solo reguntur iure naturali et divino positivo.

Hanc sententiam olim cum Martin, Perrone, Card. Zigliara aliisque defenderunt etiam Rosset, Marc et Feye. Hodie vero, post publicata documenta S. Sedis mox alleganda, ex antiquis eius defensoribus alii eam prorsus reliquerunt (e. g. Rosset, II, n. 804, Marc, II, n. 1997) alii (e. g. Feye, n. 71) admodum nutanter proponunt. Qui eam defendant a b s o l u t e, hodie sunt admodum pauci; vide e. g. *Études religieuses,* 1888, tom. 44, p. 124.

II[a], hodie communis [1]) et certa, a f f i r m a t.

En huius sententiae argumentum intrinsecum:

Ut contractus matrimonialis fiat secundum id quod bono societatis requiritur, in multis casibus non sufficit ius naturale et ius divino-positivum, sed omnino requiruntur ordinationes p o s i t i v o - h u m a n a e.

1) Huic sententiae, praeter canonistas et theologos fere omnes (Suarez, Sanchez, Lessius, Gonzales, Fagnanus, Schmalzgrueber) e recentioribus ad haerent Gotti, de Angelis, Santi, Zitelli, Cavagnis, Gasparri, Palmieri, etc. Eamdem monographice defenderunt A. Resemans, *De competentia civili in vinculum coniugale infidelium, documentis adhuc ineditis confirmata.* Romae 1887. (cfr. *De Katholiek,* Dl. 93, blz. 414, v.v.) et J. Chabagno, *Le mariage des infidèles dans ses rapports avec la loi civile en général et la loi japonaise en particulier.* Yokohama 1914 (cfr. *Canoniste,* 1914, p. 506).

Atqui: inter infideles, vel respectu infidelium, potestas humana quae competens sit ad huiusmodi ordinationes faciendas, nulla assignari potest praeter potestatem civilem.

Ergo necesse est, quod Deus, ut sufficienter societatis bono consuleret, potestatem in matrimonia infidelium civili potestati contulerit.

Maior probatur *a.* ratione: profecto enim maxime interest societatis humanae, non solum illicita sed etiam invalida declarari matrimonia, inita e. g. sine aliqua publica forma, vel inter pueros ante nubilem aetatem, vel inter adoptantem et adoptatum. Sed, solo iure divino inspecto, huiusmodi matrimonia valida sunt aut saltem dubia. Ergo ad ea cavenda humana auctoritas interveniat necesse est; *b.* facto ipsius Ecclesiae: merito propugnamus praedicta impedimenta, ab Ecclesia pro fidelibus lata, et opportuna esse et prorsus necessaria: ergo etiam opportuna et necessaria sunt quoad infideles; *c.* facto universali omnium populorum quo docemur, in omni societate bene composita huiusmodi leges latas fuisse.

Minor probatur per argumentum exclusionis: siquidem competentia ad huiusmodi leges ferendas nec penes Ecclesiam est (supra n. 50), nec penes aliam quamdam religiosam auctoritatem, utpote quae inter infideles non existit; ergo praeter civilem nulla alia auctoritas superest quae hac in re societatis bono consulat. Huic intrinseco argumento accedit:

Argumentum extrinsecum quod petitur tum e sententia iurisperitorum et theologorum, quam ipse Feye vocat „communiorem", tum ex praxi a missionariis in infidelium locis servata, tum maxime ex auctoritate Sedis Apostolicae, i. e. S. C. S. Officii et S. C. de Propaganda Fide, quarum resolutiones et instructiones videri possunt apud Resemans, p. 68. E documentis ibi relatis hoc loco eam tantum inserimus resolutionem S. C. de Prop. Fide 26 Iun. 1820, qua praesertim „graviter" se moveri confitetur Feye:

Langlois, Superior in Seminario Parisiensi Missionum ad Exteros, S. Congregationi de Prop. Fide proposuit, nomine sacerdotis Eyot, missionarii in Tunkino (Tong-king) sequens

dubium: „Vir infidelis qui cum muliere infideli matrimonium inierat, omissa quadam caeremonia, cuius omissio iuxta Tunkini leges censetur matrimonii impedimentum dirimens, ab ea muliere discessit et aliam uxorem christianam duxit, christianamque ipse fidem amplectens baptismum petit. Teneturne primam ab eo derelictam coniugem interpellare, an et ipsa Christi fidem profiteri et cum eo redire velit, an saltem pacifice cum eo et absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat? Si christiana fieri, aut saltem cum praefato viro pacifice cohabitare consentiat illa mulier, teneturne ad illam redire? Si cum priore hac coniuge facta christiana, reconcilietur, et stet inter ambos verum ac legitimum matrimonium, debetne ab eis renovari consensus? Uno verbo *impedimentum dirimens a principe infideli sancitum,* aut apud gentem infidelem antiqua et communi invectum consuetudine, *redditne irrita et invalida matrimonia inter viros ac mulieres infideles cum tali impedimento contracta?*" Resp. S. C.: „Esse nullum primum et secundum matrimonium; non esse hinc locum interpellationi, sed esse locum novo matrimonio, servatis servandis, et detur instructio" [1]). Hinc prius quidem matrimonium, de quo in proposito casu, nullum erat ob impedimentum dirimens civile; posterius vero ob impedimentum ecclesiasticum disparitatis cultus. In Instructione quam S. C. dandam decrevit, quae proinde postea exarata fuit, sic legitur: „... principes saeculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potestatem retinere in matrimonia subditorum infidelium; ut scilicet appositis impedimentis, quae iuri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quoad effectus civiles, sed etiam quoad coniugale vinculum penitus rescindant". Hic textus utique clarus est, isque revera invenitur in Archivo S. C. de Prop. Fide. At, quamvis probabile sit hanc Instructionem fuisse a S. C. approbatam, tamen hoc non est certum, quia, testante Gasparri, approbatio de facto deest. At sententia communior satis roboris accipit ex resolutione certo authentica supra relata, necnon ex aliis responsis tum S. Off.,

---

1) *Collectanea S. C. de Prop.* Fide n. 1447, ubi etiam habetur textus huius Instructionis. Cfr. etiam ibid., n. 1449.

tum S. C. de Prop. Fide a Resemans adductis, quorum authenticitatem tamquam testis de visu attestatur Gasparri, n. 294 et 297.

Nota. Supra diximus, sententiam contrariam admodum paucos habere qui eam absolute defendant. Licet enim non desint (e. g. Billot, II, p. 421; Smit in *Studiën*, 1887, Dl. 29, bl. 409 v. v.), qui totis viribus conficere conantur, regimen matrimonii non posse competere principi civili *in quantum huiusmodi*, seu *iure nativo ac proprio*, tamen iidem facile concedunt, idem regimen posse ad principem spectare *iure devolutivo* (recht van noodhulp of aanvulling) i. e. iure quod ad principem devolvitur *per accidens* propter solum defectum potestatis ad quam idem regimen iure *proprio* pertineat. Vide contra P. Smit, responsum Dmi Resemans *De Katholiek*, t. a. p.

52. Quid de casu sequenti: Titius Hebraeus, qui iure naturae et civili est omnino habilis ad matrimonium ineundum, nuptias contrahit cum Sempronia Christiana. An valet matrimonium?

Negative iuxta omnes: quia, licet habilis sit Titius, non item tamen Sempronia, quippe quae a nuptiis cum Hebraeo ineundis arcetur propter impedimentum ecclesiasticum *disparitatis cultus* (de quo infra). Sed de ratione cuiuslibet contractus est quod non possit claudicare; proinde non sufficit habilitas unius contrahentis, sed requiritur habilitas utriusque. Ergo unius Semproniae inhabilitas obstat nuptiarum valori. Vide inferius, n. 195.

Eadem conclusio foret si Sempronia, obtenta licet dispensatione in disparitate cultus, alio etiam impedimento detineretur.

53. Quid de hypothesi contraria: Sempronia Christiana, obtenta dispensatione in disparitate cultus et de caetero plane habilis, contrahit cum Titio Hebraeo. Sed Titius est ex lege civili inhabilis, e. g. quia nondum attigit annum 18^{m}. Valetne matrimonium?

Probabilius negative, et quidem ob eandem rationem quam ad casum praecedentem adduximus: quia scl. requiritur quod utraque pars sit habilis ad contrahendum. Titius autem

ex lege civili est inhabilis, eiusque inhabilitas non potest auferri ab Ecclesia, quippe quae in ipsum competentia caret. Vide inferius, n. 195.

Nota. Hucusque solam tractavimus quaestionem iuris, utrum nempe legislator civilis, possit, si velit, quoad subditos suos infideles impedimenta matrimonium dirimentia constituere. Nunc vero leviter attingenda est haec quaestio facti:

54. Utrum lex civilis Neerlandica reapse velit, seu intendat impedimenta dirimentia veri nominis constituere?

Codex civilis Neerlandicus plura quidem continet (vide artt. 84—90; art. 92 sequ.) quae impedimentorum matrimonalium speciem prae se ferunt; at ea, re intimius considerata, veri nominis impedimenta non esse videntur. Etenim, uti iam dictum est ad n. 49, legislator Neerlandicus in art. 83 Cod. civ. generaliter pronunciavit, se nolle per ullam suam legem, praeter politicas matrimonii relationes, quidquam in ipso matrimonio afficere. Hinc impedimenta quaelibet in nostra lege neque religiosam civium conscientiam neque ipsum matrimoniale eorum vinculum afficiunt, ac proinde legislator noster, id quod relate ad infideles probabilius statuere potuisset, probabilius dicendus est statuere noluisse, nec propterea revera statuisse. Cfr. Math., n. 181.

Nota. In praxi, si quando iudicium esset ferendum de valore alicuius matrimonii cum civili impedimento a duobus infidelibus initi, pro obtinenda sufficienti certitudine ad S. Sedem recurrendum foret, Feye, n. 71 in fine.

Caput V. Matrimonii divisiones

55. Matrimonium quotupliciter dividitur?

Dividitur quadrupliciter:

1° ratione existentis vel non existentis vinculi;

2° ratione modi quo vinculum sit inductum;

3° ratione modi quo vinculi existentia probetur;

4° ratione maioris vel minoris firmitatis in vinculo.

56. Quomodo dividitur matrimonium ratione vinculi existentis vel non existentis?

Dividitur in validum et invalidum.

Validum est matrimonium, quod contrahitur absque ullo impedimento dirimente, etsi obstet prohibens. Quo tamen casu dicitur validum sed illicitum, dum, si nullum impedimentum prohibens obstat, dicitur validum et licitum.

Invalidum (irritum, nullum) dicitur matrimonium, quod cum aliquo impedimento dirimente contractum est.

Ipsum matrimonium invalidum subdistinguitur: *a.* in putativum et attentatum; *b.* in id quod habet, et id quod non habet speciem seu figuram matrimonii.

Putativum dicitur „si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdam nullitate certa evadat" (can. 1015, § 4).

Attentatum vocatur, quod contractum est dum unus vel uterque contrahens impedimenti fuit conscius: nam actum aliquem *attentare* est ponere actum, quem quis legitime, et praesertim valide, poni non posse bene novit.

Ex his duabus definitionibus consequitur, fieri posse, ut unum idemque matrimonium invalidum sit tum putativum, scl. respectu partis in bona fide contrahentis, tum attentatum, respectu alterius partis quae sit mala fide.

Matrimonii species seu figura habetur si in exprimendo consensu servata sit ea forma — nam species et forma sunt identica — quae ad consensum valide exprimendum iure Ecclesiae hinc et nunc requiritur vel sufficit. Quare matrimonii figuram manifesto inducit (etiam quoad matrimonium alio ex capite invalidum, quinimo quoad ipsum matrimonium attentatum) servata forma ecclesiastica. Sed nec deerit veri matrimonii figura si a partibus, ad formam ecclesiasticam non obligatis, consensus aliquo alio modo, naturaliter valido (e.g. coram magistratu civili, coram notario, coram quibusvis testibus, etiam nullo modo qualificatis) sit expressus. Secus vero si eiusmodi modus adhibeatur a partibus ad formam ecclesiasticam obligatis; hae etenim, ob deficientem saltem matrimonii figuram, nonnisi fornicariam coniunctionem, seu merum putumque concubinatum, inivisse sunt reputandae. Excipe tamen si agatur de matrimonio ab infideli vel haeretico cum parte baptizata, sive catholica sive acatholica, invalide

contracto, etiam in loco ubi ipsi haeretici forma ecclesiastica ligantur, si nempe iuxta mores regionum vel infidelium vel haereticorum istiusmodi matrimonia formam habeant et figuram matrimonii habeanturque pro legitimis matrimoniis. Ita ex Instr. S. C. S. Off. 16 Sept. 1825 (*Collect.*, n. 1235) ad quam cfr. Wernz, n. 29 et Gasp., n. 452.

Ab hac distinctione ea non est plane absimilis, qua ius civile distinguit inter contractus nullos (existentes quidem, sed aliquo nullitatis vitio laborantes) et contractus simpliciter non existentes (quibus ipsa sua forma deest). Cfr. Marres, *De Iustitia,* Lib. III, n. 21 sequ.

In iure matrimoniali eadem distinctio id importat, quod matrimonium invalidum, etiam attentatum, cui saltem figura matrimonii non deest, tum participet de iuris favore canone 1014 matrimonio concesso (n. 60), tum facilius ab Ecclesia in radice sanetur. Contra, matrimonium invalidum, ipsa matrimonii figura carens, omni effectu iuridico destituitur, adeo ut in foro ecclesiastico prorsus despiciatur.

57. Quomodo dividitur matrimonium ratione modi quo vinculum sit inductum?

Dividitur in ecclesiasticum et civile, publicum et secretum.

Ecclesiasticum dicitur, quod contrahitur secundum leges Ecclesiae; civile, quod contrahitur secundum leges civiles. Hoc, si matrimonium ecclesiasticum neque praecedat neque sequatur, mere civile dicitur.

Publicum vocatur quod contrahitur publice seu, uti dici solet, „in facie Ecclesiae," i.e. factis proclamationibus antenuptialibus, aut iis legitime dispensatis, et ritu sacro publice adhibito. Secretum, seu „conscientiae" appellatur quod contrahitur „omissis denunciationibus et secreto" (can. 1104), ad normam canonum 1105—1107, quos infra referemus. Ab hoc matrimonio secreto diversum est quod olim vocabatur clandestinum seu quod, licet non adhibita forma tridentina, valide tamen contrahebatur sive in locis sive a personis decreto tridentino de forma matrimonii non subiectis. Nunc autem ob formam tridentinam vi canonis 1099 § 1,

universaliter obligantem, matrimonia clandestina dari non possunt nisi quoad acatholicos inter se contrahentes, vi canonis eiusdem § 2 [1]).

Ad hunc numerum referri potest brevis annotatio de matrimonio quod morganaticum vel ad morganaticam vocant, quod scilicet contrahitur inter personas disparis conditionis civilis, servata quidem in omnibus lege Ecclesiae, sed eo pacto, ut uxor et proles ex ea habenda obtineant de bonis viri certam dumtaxat portionem (quae scl. ad congruam eorum sustentationem sufficiat), quin obtineant participationem et ius succedendi in omnibus viri bonis et in iuribus nobilitatis, dignitatum titulorumque.

Dicebatur „ad morganaticam" forsan propter illam portionem bonorum, quam vir, altero nuptiarum die, uxori suae cedebat, quae portio germanice audit „Morgengabe". Alio nomine dicitur matrimonium ad manum sinistram, ad indicandum debiliores esse eius effectus; aut etiam ad legem Salicam, ad indicandam eius originem inter Francos Salicos.

Pleraeque legislationes modernae huiusmodi matrimonia contrahi iam non ferunt. In aliquibus regnis, e.g. in Austria, adhuc permittuntur certis familiis nobilibus vel aristrocraticis, speciali hac in re privilegio donatis [2]).

In lege fundementali patria, art. 18 habetur species quaedam matrimonii morganatici quoad regem vel reginam Neerlandiae [3]).

58. Quomodo dividitur matrimonium ratione modi, quo vinculi existentia probetur?

---

1) In Codice „clandestini" nomen matrimonio extra formam Ecclesiae inito nullibi applicatur. Neque in eo sermo est de „clandestinitatis impedimento". Solus „Index analytico-alphabeticus", ad vocem „Clandestinitas", lectorem remittit ad matrimonium extra formam Ecclesiae contractum.

2) Wernz, n. 29, IV; Kirchenl., Art. *Ehe zur linken Hand.*

3) „Van de erfopvolging, zoowel voor zich zelve als voor hunne nakomelingen, zijn uitgesloten alle kinderen, geboren uit een huwelijk aangegaan door een Koning of eene Koningin buiten gemeen overleg met de Staten-Generaal, of door een Prins of Prinses van het regeerend Stamhuis, buiten de bij de wet verleende toestemming.

Zoodanig huwelijk aangaande, doet eene Koningin afstand van, en verliest eene Prinses haar recht op de Kroon."

Dividitur in verum et praesumptum.

Verum dicitur, quod contrahitur stipatum omnibus conditionibus ad eius valorem requisitis, atque ut tale externe probatum est, sicut probari solent caetera negotia.

Praesumptum olim vocabatur, quod licet, externe non probaretur contractum, tamen a iure contractum praesumebatur, quoties nempe:

a. aut post contracta sponsalia valida, aut

b. post matrimonium sub conditione initum, conditione nondum purificata, aut

c. post matrimonium ante pubertatem (ac proinde invalide) contractum, aut denique

d. post matrimonium ob errorem vel metum invalide initum, quoties, inquam, in singulis istis casibus, libere inter partes habita fuisset carnalis copula.

In singulis enim hisce casibus ius praesumebat, copulam non animo fornicario sed animo maritali habitam fuisse, eamque nonnisi signum fuisse consensus matrimonialis reapse, absolute et libere praestiti. Idque praesumebatur praesumptione, ut dicitur, iuris et de iure, i. e. praesumptione adeo forti et peremptoria, ut contra ipsam nulla admitteretur in foro externo directa probatio in contrarium. Hinc, etiamsi partes, aut earum alterutra, in iudicio contendissent et omnibus modis probare voluissent, copulam non animo maritali sed animo fornicario fuisse habitam, iudex eas repulisset, et matrimonium revera contractum reputasset.

At vero, hoc ius (Decretalium), partim, nempe quoad casum sub *a*, Decreto „Consensus mutuus" diei 15 Febr. 1892, quod habetur in *Actis prosyn. Harlem.* 1892, iam abrogatum, vigore novi Codicis omnino disparuit [1]).

59. Quomodo dividitur matrimonium ratione maioris vel minoris firmitatis in vinculo?

---

1) Decretales huc spectantes sunt: quoad casum *a*, capp. 15 et 30 *de spons. et matrim* (IV, 1); quoad casum *b*. cap. 6 *de conditionibus* (IV, 5); quoad casum *c*. cap. unic *de despons. impuberum* in 6⁰ (IV, 2); quoad casum *d*. cap. 4 *qui matrim. accusare possunt* (IV, 18).

Dividitur in legitimum, ratum, ratum et consummatum.

Legitimum, si vim vocis spectes, est quodlibet matrimonium in quo contrahendo leges matrimoniales, saltem dirimentes, servatae fuerunt (cfr. n. 11); sed hoc nomine specialius intelligitur matrimonium quod contrahitur a non baptizatis, servatis legibus naturalibus, divinis et (iuxta sententiam probabiliorem n. 50 expositam) civilibus; cuiusmodi sunt matrimonia in lege naturae et mosaica, et inter Iudaeos et gentiles inita. Cfr. can. 1015, § 3.

Ratum (i.e. receptum) dicitur „matrimonium baptizatorum si nondum consummatione completum est." Can. 1015, § 1. Saepe etiam ratum tantum vocatur.

Ratum et consummatum dicitur matrimonium, „si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro". Ibid.

Coniugalis actus (seu carnalis copula) quo matrimonium ex rato tantum fit ratum et consummatum, utique is intelligitur qui *a.* matrimonium valide contractum subsequatur (quod enim nondum est, non potest consummari) et *b.* qui ex se aptus sit ad prolem generandam, etsi forte per accidens, e. g. ob sterilitatem vel ob aliam causam, mulier non inpraegnetur. Quid autem requiratur et sufficiat ut actus ille ex se sit aptus ad generationem, postea (n. 198) explicabitur.

Caput VI. De matrimonii favore

60. Can. 1014 hoc enunciat principium: „Matrimonium gaudet favore iuris"... In quo hic favor consistit?

Consistit in speciali quadam protectione, qua s. s. canones matrimonium, ob praecellentem suam dignitatem et sacratissimam indissolubilitatem circumdederunt. Quam protectionem matrimonio ius Ecclesiae confert in quolibet impetu adversus eius esse iuridicum, seu adversus eius valorem; ita quidem ut hunc sustineat, quoadusque contrarium indubiis argumentis demonstretur. „Quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur", uti citato canone 1014 additur.

Simili favore etiam alia instituta a iure donata reperiuntur, ut olim iure Romano causa *libertatis* (quando nempe agebatur de servorum manumissione) et etiam nunc causa *testamenti* (Cod. civ. Neerl., art. 935); in iure autem ecclesiastico *privilegium fidei* (can. 1127) et *professio religiosa* (can. 586, § 3).

Ratione dicti favoris ius Ecclesiae matrimonii vinculum specialibus communivit cautionibus, ne temere aut ob assertam mortem alterutrius coniugis habeatur solutum (can. 1069, § 2), aut ob assertam nullitatem invalidum iudicetur. Quinimo ad illud in qualibet nullitatis causa omnibus viribus vindicandum, speciale instituit officium *defensoris matrimonii,* de quo postea.

60 *bis.* Num quodlibet matrimonium dicto gaudet iuris favore?

Dummodo contractum in debita forma, ideoque veri matrimonii speciem seu figuram prae se ferens (n. 56), quodlibet matrimonium, semel initum, dicto favore fruitur; ideoque, quantumvis ipsis partibus constet de eius nullitate, imo quantavis mala (etiam utriusque) fide nulliter initum, seu attentatum, ut tamen practice pro invalido haberi possit, nullitatis probatione in foro publico Ecclesiae indiget; adeo ut neutri parti ad novas liceat nuptias convolare, nisi sententia nullitatis prioris matrimonii a iudice ecclesiastico obtenta.

Quomodo ad ipsam nullitatem probandam sit *procedendum* dicetur Part. XI.

Coniunctiones ipsa matrimonii specie seu figura carentes eodem favore non gaudent; hinc, ut solvantur, nullo processu ecclesiastico indigent.

Praeterea vero can. 1014 a dicto favore excipit matrimonium cui suffragatur praevalens favor fidei, seu privilegium quod „Paulinum" vocatur (can. 1127), de quo pariter Part. XI.

61. Num favor matrimonii id etiam importat quod valet in aliis Sacramentis [1]), scl. non licere in iis conferendis aut conficiendis uti opinione probabili, relicta tutiore?

Secundum plures graves auctores [2]) negative respondendum

1) Ex prop. I damnata ab Innoc. XI (Ench., n. 1151): cfr. Aertn. L. VI, n. 14.

2) d'Annibale, L. III, n. 427 et auctores ibidem in nota 28 adductos; Gasp., n. 37.

est, quia matrimonium, licet sit sacramentum, tamen in omnibus sequitur naturam contractus (n. 9), quae ei est principalis et cui ratio sacramenti, ut accessorium, advenit. Is igitur qui, opinionem probabilem minus tutam sequendo, irritas init nuptias, directe nonnisi contractum invalidum facit (quod sacrilegio vacat proculdubio), sacramentum vero nonnisi indirecte et per accidens.

Caput VII. De parochialitate quoad matrimonium

62. Inter generales matrimonii notiones haud incongrue, ut putamus, ponitur coniugandorum parochialitas, seu qualitas *paroeciani*, vi cuius in matrimonio tum praeparando tum praesertim celebrando certum sibique proprium parochum adhibere tenentur, idque partim ad valorem, partim ad liceitatem ipsius matrimonii.

Quare, vestigiis ipsius Codicis I. C. inhaerentes, ea quae de proprio nupturientium parocho generaliter valent, tractatibus mox sequentibus praemittimus. Unde in primis quaerendum:

63. Proprium parochum quomodo quis sortitur?

Responsum continet can. 94:

„§ 1. Sive per domicilium sive per quasi-domicilium, suum quisque parochum et Ordinarium sortitur."

„§ 2. Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur."

„§ 3. Illorum quoque qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium, parochus proprius est parochus loci in quo actu commorantur."

Itaque parochum proprium quis sortitur non ex origine in paroecia suscepta, neque ex possessione bonorum in ea, neque ex quocumque iure civitatis quo in ea fruatur (e. g. ex officio electorali in ea obeundo), sed aut ex domicilio vel quasi-domicilio paroeciali, si quod habeat; aut, si non habeat sed vel vagus sit vel nonnisi dioecesanum domicilium obtinens, ex actuali in paroecia commoratione.

Ut autem haec intelligantur, opus est exhibere notiones

domicilii, quasi-domicilii, domicilii paroecialis et *dioecesani, commorationis* mere *actualis,* ac tandem notionem *vagi.*

Quoad domicilii notiones et species ius canonicum magna ex parte adoptavit et dein per se ipsum excoluit ius civile Romanorum [1]).

Quare in quaestionibus canonicis de domicilio, ubi deficit authentica decisio auctoritatis ecclesiasticae, responsum non ex iure civili moderno sed ex iure Romano est eruendum.

64. Quid „domicilium" et quaenam eius notionis historia?

„In eo loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem [2]) ac fortunarum suarum summam constituit, unde non sit discessurus, si nihil avocet, unde cum profectus est, peregrinari videtur, quo si rediit, peregrinari iam destitit." En definitionem iuris Romani in l. 7 §1 C. *de incolis* (X, 40), quod nonnisi domicilium illud verum seu plenum cognoscebat, cui postmodum canonistae hanc dederunt definitionem: „Domicilium est locus, in quo quis degit cum animo ibi perpetuo manendi." At vero ius canonicum inde a saeculo circiter XIII romanam domicilii notionem adeo ampliavit, ut eam non solum in habitatione animo perpetua, sed etiam in diuturna collocaret. Cui quidem diuturnae habitationi designandae iam inde a saeculo XIV adhiberi coepit „*quasi*-domicilii" nomen [3]).

De accurata vero quasi-domicilii notione, maxime autem de requisita pro ipso acquirendo habitationis diuturnitate, olim canonistae in diversissimas abierunt sententias, aliis quamlibet, etiam brevissimam, „habitationem" sufficientem habentibus, aliis requirentibus mensem, vel aliquot menses, vel anni partem „notabilem" aut etiam „dimidiam" [4]); donec tandem legislator Codice I. C. anterior, qui supra exhibitae domicilii pleni notioni numquam non acquiverat, quasi-domicilii notionem per seipsum et authentice sic definierit: Est locus in quo quis

1) Fr. Laurin, *Wesen u. Bedeutung des Domicils* in Archiv, Bd. 26, S. 165—260.

2) Lar = huisgod: metonymice: huis, woning. *Domicilium,* van *domus* en *colere,* is dus zooveel als *domicolium.*

3) Laurin, a. a. O., S. 193.

4) Feye, n. 210—227 et Laurin, S. 196.

degit cum animo ibi manendi per maiorem anni partem [1]).

Codex I. C. utramque notionem (scl. domicilii pleni et quasi-domicilii) denuo ampliavit, idque dupliciter: primo quidem decernendo utrumque, independenter ab animo manendi, per solam commorationem de facto ad certum tempus (i.e. ad decennium pro domicilio pleno, ad maiorem saltem anni partem pro quasi-domicilio) protractam acquiri; sed deinde admittendo utriusque constitutionem non solum in paroecia (domicilium et quasi-domicilium *paroeciale*), verum etiam in dioecesi (domicilium et quasi-domicilium *dioecesanum*). Antea enim non intelligebatur domicilium in dioecesi positum, nisi simul positum esset in certa dioecesis paroecia; idque ad tramites iuris romani quod nonnisi „in ultima societatis divisione", scl. in municipio, domicilium collocari sinebat [2]).

Quibus historice praemissis, iam utilius progredimur quaerendo:

65. Quomodo acquiritur domicilium simpliciter ita dictum (verum, plenum)?

„Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium completum." Ita can. 92, § 1.

„Quasi-paroecia" est in vicariatu apostolico ac praefectura apostolica idem quod est „paroecia" simpliciter ita dicta in dioecesi. Can. 216, § 3.

Igitur domicilium acquiritur:

1° Simul ac factum commorationis (elementum *materiale* domicilii) et animus perpetuo manendi (elementum *formale*) concurrunt;

2° solo facto commorationis per decennium protractae.

Quoad 1° notetur: *a.* factum commorationis verificari statim et ab ipsa prima die qua commoratio inchoetur [3]); *b.* animum

1) Ita ex Instr. S. C. S. Off. diei 7 Jun. 1867 ad Epos Angliae et Statuum Foederat-Americae Sept. in *Collect.*, n. 1407.

2) Cfr. d'Annibale, I, n. 83; Gasp., *Tract. de sacra ordinatione*, n. 838.

3) S. C. S. Off. 7 Junii. 1867 supracit. necnon Schmalzgr. II, t. 2, n. 11.

„perpetuo" manendi non requiri absolutum (usque ad diem supremum) sed sufficere hypotheticum, si nempe „nihil (i.e. nulla inopinata causa) avocet"; *c.* de eodem constare posse tum ex communibus huius animi indiciis (bonorum et familiae translocatione) tum, si haec non sufficiant, ex insuspecta et quatenus opus *iurata* ipsius domiciliati affirmatione [1]).

66. Quomodo acquiritur *quasi*-domicilium?

„Quasi-domicilium acquiritur commoratione uti supra, quae vel coniuncta sit cum animo ibi manendi per maiorem saltem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protacta ad maiorem anni partem." Can. 92, § 2.

Igitur quasi-domicilium acquiritur:

1° ubi primum factum commorationis et animus manendi per maiorem anni partem concurrunt;

2° solo facto commorationis per tempus praedictum reapse protractae.

Porro eadem hîc notentur quae ad responsum praecedens. Attamen animus manendi per maiorem anni partem generatim loquendo minus facile patebit quam animus manendi perpetuo. Signa indubia erunt e.g. domus vel cubiculi ad semestre saltem conductio, operis vel negotii vel curae medicinalis, semestre saltem exigentis, susceptio. Huiusmodi vero signis deficientibus, ad causam seu finem commorationis respiciendum erit, nominatim utrum ea sit causa, quae, sive natura sua, sive ex communiter contingentibus, habitationem saltem per maiorem anni partem requirat. Cuiusmodi sunt causae obeundi in loco *famulatus,* publici *officialatus* (in tribunalibus, officiis publicae vecturae necnon telegraphi et tributorum exigendorum, etc.) *professoratus* seu *magisterii, studii* in lyceo vel universitate, *alumnatus* in collegio, conservatorio, monasterio vel seminario; saepe etiam causa *valetudinis* per hiemale tempus in loco recuperandae, etc.

„Maior anni pars", si rigorose sumatur, postulat sex menses integros cum aliquo saltem augmento. Quia vero

1) Cfr. Const. Innoc. XII „Speculatores" § 11, ubi ad effectum suscipiendi ordines iurata habitantis affirmatio quovis casu caeteris probationibus addenda postulabatur.

Instructio S. C. S. Off. ad Epos Angliae diei 7 Jun. 1867 — ex qua, secundum can. 6, 3⁰, aestimatio hîc facienda manet — maiorem anni partem exemplificative ad sex menses computat, et iterum „sex saltem mensibus" completam supponit, ideo quasi-domicilium pro acquisito reputari potest, si quis in paroecia (dioecesi) commoretur cum animo *per sex saltem menses* [1]) permanendi.

67. In dubio de domicilio vel quasi-domicilio rite acquisito daturne ad ea probanda aliqua *iuris praesumptio?*

Olim in dubio circa animum figendi domicilium plenum eiusmodi praesumptionem praebebat *commoratio decennalis* [2]). Item in dubio circa animum figendi quasi-domicilium eandem ingerebat *commoratio unius mensis* [3]). Quinimo quoad Status Foederatos Americae Septentrionalis S. C. S. Off., decreto 6 Maii 1886, eam praesumptionem reddidit *iuris et de iure* (*Collect.* n. 1413). At vero, Codex I. C. commorationem decennalem evexit ad elementum domicilii pleni per se constitutivum; a commoratione autem unius mensis vim praesumptionis abstulisse videtur, eo quod eam in can. 1097, § 1, 2⁰ a quasi-domicilio formiter distinguat. Hinc ius, quoad Americam Sept. praefata Instructione inductum, utpote *particulare*, ex can. 6, 1⁰ pro abrogato habendum videtur. At forte habet rationem *indulti*, in qua hypothesi ex can. 4 vim suam retineret.

68. Utrum et quomodo plura simul domicilia habere quis possit?

I. Ex legibus 5 et 6, § 2 D. *ad municipalem* (50,2), canonizatis in c. 2 *de sepulturis* in 6⁰ (III, 12), potest quis, in

1) Ita iam antea a. a. sat communiter. Semestre moraliter completum iri dicit Deshayes (qu. 16), etiamsi pauci dies, et usque ad dierum quindenam, ei sint defuturi. Quod tamen minus concordat sive Instructioni citatae, de sex saltem mensibus, sive canoni 97, de maiori saltem anni parte loquentibus. Certe vero probabile iam non est, quod Lehmk.[6], n. 775 „satis probabile" reputabat, nempe „notabilem" anni partem ad eamque „quatuor menses" sufficere. Cfr. Génicot, I, n. 100; Math., n. 329.

2) Ex l. 2 C. *de incolis.*

3) Ex Const. Ben. XIV „Paucis abhinc" 19 Mart. 1758 (*Collect.*, n. 1391) et ex Instr. S. C. S. Off. 7 Jun. 1867 supracit.

duobus locis aequaliter se collocans, utrobique domicilium plenum constituere; quod tunc evenit, quando aequaliter in utroque loco *habitat,* ut in hieme in una, in aestate in altera. Cfr. Sanchez, l. 3, disp. 24, n. 2. Quod subinde videmus contingere nobilibus familiis, quae revera adeo aequaliter in duobus locis se collocant cum animo ibi perpetuo habitandi, ut non magis unius quam alterius loci incolae esse videantur. *Aequalitas* autem collocationis non tam ex aequalitate *temporis,* quo quis singulis annis utrobique degat, quam ex aequalitate *instructionis* (de inrichting, de wijze van installeeren) aestimanda videtur; quod haud obscure innuit citata l. 6 *ad municip.:* „Viris prudentibus placuit, duobus locis posse aliquem habere domicilium, *si utrobique ita se instruxit,* ut non ideo minus apud alteros se collocasse videatur." Aliunde ipsa instructionis aequalitas, saltem ordinario, erit in signum, quod quis in utroque loco aequaliter, aut fere [1]) aequaliter, commorari consueverit. Quapropter ex hoc praecipue criterio existimo diiudicandum, utrum e.g. locus commorationis aestivae (de quo facilius dubium occurrere potest) vere habendus sit pro *domicilio* rurali, in quo habetur parochus proprius (*woning* voor den zomertijd), an potius pro simplici *villa* rurali *(landhuis, optrek),* in qua nec domicilium nec quasidomicilium, ideoque nec parochialitas, acquiri solet. Rem nonnumquam iudicatu difficillimam esse, probat disceptatio partium in causa *Parisiensi,* 14 Dec. 1889, quam ex *Anal. Iur. Pont.* (t. 29, p. 97) breviter refert Math., n. 330. Vide eandem causam in extenso apud Deshayes, App. V, p. 389 [2]).

---

1) Non enim requiri commorationem mathematice aequalem docet, cum communi, Sanchez, l. c., n. 3.

2) Gabriella L..., cum matre sua Parisiis domiciliata, die 23 Sept. 1876 cum viro principe Belga Alph. de C... matrimonio iuncta fuit in pago Epinay, Parisiis quidem proximo, sed pertinente ad iurisdictionem Ordinarii Versaliensis. Parochus loci Epinay, in quo familia L..., ruralem domum possidebat, dubitans an respectu huius matrimonii contrahendi parochus canonice proprius esset, pro assistentia eidem matrimonio praebenda licentiam ab Ordinario quidem suo (Versaliensi) non autem a parocho vel Ordinario Parisiensi praevie obtinuerat. Postea Gabriella, ob infelices huius matrimonii exitus, apud iudicem ecclesiasticum agere coepit pro nullitate ex

II. Potest quis cum domicilio pleno, quod in uno loco habet et retinet, quasi-domicilium in alio loco acquirere [1]), quod contingit quoties quis alicubi ob causam temporaneam (maiorem anni partem saltem expostulantem) incipit habitare, in locum tamen perpetuae habitationis, finita causa, reversurus. Quod confirmatur canone 93, § 2. Cfr. n. 69.

III. De possibilitate duplicis quasi-domicilii ita recte scribit Boudinhon [2]): „Il est difficile d'admettre un quasi-domicile coexistant avec un autre quasi-domicile; le plus souvent le motif de la résidence temporaire cessera avec le départ et l'on n'aura pas à supposer le retour, après une nouvelle période de six mois, au lieu du quasi-domicile antérieur. Cependant la chose n'est pas absolument impossible. Supposons, par exemple, un étudiant qui, gardant son domicile chez ses parents, se fixe a Paris pour la durée de ses études de médicine, soit pour une durée de quatre ans; pendant cette période il s'en va passer sept mois dans une université d'Allemagne; je ne saurais comment révoquer en doute la persistance et du domicile paternel et du quasi-domicile parisien, tandis que le second quasi-domicile est également certain. Mais, encore une fois, ce cas est exceptionnel. On quitte généralement un quasi-domicile pour n'y plus revenir."

69. Quodnam est domicilium eorum qui lege canonica *sui iuris* non sunt?

---

capite clandestinitatis, eo quod parochus loci Epinay non fuisset parochus domicilii vel quasi-domicilii, sed nonnisi parochus ruralis, hinc non canonice proprius. — Revera S. C. C. pro nullitate sententiam tulit. Ex argumentis a Gabriellae patrono productis patet, villam illam loci Epinay, utpote nec unicam (habebat enim familia et aliam cui nomen *Flines*, eamque prae villa Epineyensi magis dilectam) nec more veri domicilii cultam et instructam sed iam diu admodum neglectam, *domicilii* ruralis loco minime familiae illi fuisse. Quumque insuper nonnisi raro et ad menses omnino paucos, scl. pro rusticanis negotiis curandis, adiretur, ne *quasi* quidem domicilium ibi eadem familia acquisivisse censebatur. Cfr. A. A. S., 1913, p. 345, et 1916, p. 367.

1) Vix opus est dicamus, posse *quasi-domicilium* solum, absque ullius domicilii pleni concursu, existere, quemadmodum contingit, e. g. famulis, officialibus, etc. qui, utroque parente orbati, nullum sive paternum sive maternum *domicilium* retinentes, proprium sibi nullibi adhoc fixerunt.

2) *Canoniste*, 1899, p. 273.

Huiusmodi, quoad praesentem materiam, sunt uxores et filii „minores". De his statuit can. 93:

„§ 1. Uxor, a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium viri sui; ... minor, domicilium illius cuius potestati subiicitur."

„§ 2. Minor infantia egressus potest quasi-domicilium proprium obtinere; item uxor a viro legitime non separata, legitime autem separata etiam domicilium."

Ad hanc § 2 notetur:

a. Infantiam egreditur qui septennium complevit. Can. 88, § 3.

b. Minores et uxores a viro legitime non separatae, cum proprio quod acquirant quasi-domicilio, necessario retinent domicilium parentum (tutorum) vel maritorum.

69 *bis.* Quomodo domicilium amittitur?

Respondet can. 95: „Domicilium et quasi-domicilium amittitur discessione a loco cum animo non revertendi, salvo praescripto can. 93."

Animus a loco discedendi, nisi pateat ipso domicilio vel quasi-domicilio alibi acquisito, praeterquam insuspecta discedentis affirmatione, plerumque etiam quibusdam signis, praesertim bonorum ablatione (saltem praeparata) cognosci poterit.

70. Superius (n. 63) dictum est, ex domicilio vel quasi-domicilio paroeciali, quod quis habeat, eum parochum proprium sortiri; carentem vero eiusmodi domicilio sortiri parochum ex actuali in paroecia commoratione.

Similiter ibidem iam diximus, eo nomine (scl. carentis domicilio paroeciali) venire tum habentem domicilium dioecesanum tantum, tum eum qui in sensu iuris vagus est. Ideo nunc videndum:

71. Quis in sensu Codicis sit „vagus".

Respondet can. 91: „Persona dicitur ... *vagus*, si nullibi domicilium habet vel quasi-domicilium."

Unde in sensu Codicis hoc nomine non tantum veniunt qui domicilio vel quasi-domicilio habitualiter carent, scl. ex vitae genere a se instituto, ideoque sunt „vagantes" proprie

dicti seu „incertas sedes" habentes [1]); sed etiam qui, licet vitam more civium ducentes, sunt tamen, quacumque tandem ex causa et per quodvis tempus semestri inferius [2]), absque domicilio vel quasi-domicilio, etiam dioecesano.

72. Qualis requiritur commoratio actualis ut praedicti (n. 70, 71) parochum proprium sortiantur?

Requiritur saltem vera aliqua commoratio seu mora in paroecia, nec sufficit qualiscumque praesentia, e. g. per modum omnino obiter transeuntis aut nullo tecto recepti. Ita postulare videtur rei momentum, quatenus inde parocho quoad matrimonium praeparandum vel contrahendum verum enascitur ius ad parochialitatem (can. 1097, § 3) atque etiam necesse est ut de iure illo prae aliis parochiis constare possit (can. 1097, § 1, 2^0). Iudicium autem de commorationis sufficientia morali aestimatione faciendum erit. Vere e.g. dicitur in loco commorari qui alicuius negotii persolvendi causa illuc advenit, maxime si etiam pernoctaverit aut pernoctare manifesto intendat.

73. Praeter commorationem actualem qualemcumque, i. e. etiam brevissimi temporis, can. 1097, § 1, 2^0 et 3^0 memorat etiam commorationem menstruam. Quandonam haec verificatur et quid iuris importat?

Ad 1^m. Verificatur solo facto commorationis per mensem (i. e. per spatium 30 dierum; can. 32, § 2) in loco protractae, licet absque animo per tantum temporis manendi inchoatae.

Ad 2^{dm}. Importat, etiam iis qui alibi domicilium vel quasi-domicilium paroeciale habeant, ius adhibendi, tamquam proprium, parochum eius loci in quo fuerint per mensem commorati, quatenus legitime coram eo matrimonium contrahant. Can. 1097, § 1, 2^0.

---

1) Conc. Trid. S. 24 de ref. matr., c. 7.

2) Codice nondum vigente, nomine vagorum veniebant omnes et soli qui nullibi habebant parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis. Ita S. C. de Sacr, 13 Mart. 1910 ad 5 (*Canoniste*, 1910, p. 300). Unde domicilio carens per menstruam commorationem olim vagus esse cessabat, hodie vero non cessat.

PARS II

DE MATRIMONII PROMISSIONE

74. Quam ob causam iuri ipsius matrimonii praemittitur ius de matrimonii promissione?

Quia sicut cuilibet contractui (e.g. donationis, venditionis, locationis) ita etiam contractui nuptiali, antequam actu perficiatur, praemitti potest, et de facto in multis regionibus praemitti solet, promissio de eodem postea perficiendo. Ex qualibet autem veri nominis promissione naturaliter oritur in promittente obligatio ad rem promissam tempore opportuno praestandam, et vicissim in promissario oritur ius ad eandem rem a promittente obtinendam. Iamvero Ecclesia consentaneum duxit, obligationem et ius e matrimonii promissione naturaliter exsurgentia suis etiam canonibus urgere atque tueri.

75. Quaenam de matrimonii promissione consideranda?

Consideranda veniunt eius natura et species (Cap. I), subiectum (Cap. II), forma iuridica (Cap. III), accidentalia (Cap. IV), effectus (Cap. V), et resolutio (Cap. VI).

76. E quibusnam iuris fontibus haec sunt haurienda?

Fons novissimus iuris cononici, nempe Codex recenter publicatus, de matrimonii promissione nonnisi unicum canonem (c. 1017) continet qui, quamvis maximi sit momenti et novam prorsus hac in re disciplinam inducens, explicite tamen nonnisi formam canonicam huius promissionis determinat eiusque quoad futurum tempus effectum canonicum assignat. Hinc quoad reliqua supra enumerata remittimur ad ius naturale de promissionibus in genere necnon ad ius vetus ecclesiasticum quatenus iuri naturali illustrando vel interpretando inservire possit.

Ius ecclesiasticum de hac materia Codici praeëxistens praecipue continetur titulis Decretalium *de sponsalibus et matrimonio, de desponsatione impuberum, de sponsa duorum* et *de conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus*; qui tituli sunt respective I, II, IV et V Libri IV Decretalium.

Caput I. Promissionis matrimonii natura et species

77. Quid in matrimonii promissione, ut naturaliter valeat, requiritur?

Requiritur ut sit 1° animo vera, 2° deliberata, 3° libera 4° sufficienter manifestata.

78. Quid ad veram promissionem requiritur?

Requiritur ut promittens habeat animum, eumque serium seu sincerum se erga alterum quoad matrimonium promissum stricte obligandi Hinc non sufficit:

a. simplex nubendi propositum, quantumvis praegnanter manifestatum;

b. promissio simulata (ficta, iocosa), quia simulatio excludit consensum qui cuilibet contractui est essentialis et „sine quo caetera (nominatim verba contractum sonantia) nequeunt foedus perficere" uti dicit Innoc. III in c. 26 *de sponsalibus.* Attamen is qui, verbis promissionem sonantibus usus, in foro externo se nonnisi ficte vel iocose promisisse assereret, hanc assertionem deberet concludenter probare secus enim perinde haberetur ac si vere promisisset. Ita ex eod. cap. 26. Et ratio est, quia in foro externo, ad viam fraudibus obcludendam, nimis reputatur indignum „quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, proprioque testimonio resistere," uti legitur in l. 13 Cod. *de non numerata pecunia* (IV, 30). Hinc ne iuratae quidem simulantis depositioni fides haberetur.

Praeterea, in ipsa hypothesi quod fictio possit in foro externo probari, is qui ficte promisit in utroque foro adigendus est ad reparandam iniuriam, quam per suam fictionem alteri parti intulit, nisi forte ad evadendam iniuriam, quam ipse sit passus, fictum consensum ediderit. Lehmk., n. 838.

79. Quid requiritur ad promissionem deliberatam?

Praeter sufficientem mentis discretionem, de qua Cap. II, requiritur advertentia actualis, eo momento habenda, quo promissio emittitur. Porro, communiter docent auctores, eum requiri advertentiae seu deliberationis gradum, qui ad peccatum mortale committendum sufficiat. Quinimo secundum nonnullos ratione gravis oneris quod hîc rei promissae, scl. matrimonio, adhaeret, etiam maior quaedam deliberatio requiritur. Defectu huius requisiti facile invalidae erunt matrimoniorum promissiones, quae fiunt in aliquo repentino motu passionis, puta amoris, irae, etc. Math., n. 1. Quae tamen hypotheses, spectato can. 1017, § 1, in posterum non facile verificantur.

80. Quid requiritur ut promissio sit libera seu voluntaria?

Requiritur absentia non solum coactionis physicae (seu vis extrinsecae), quod de se est evidens et aliunde liquet ex can. 103, § 1; sed etiam absentia illius coactionis moralis quae inest metui gravi ac iniusto. Spectato iure naturae, cum metus minuat tantum sed non auferat libertatem, contractus ex metu initi generatim non sunt invalidi, sed (ob illatam iniuriam) rescindibiles tantum. Iure canonico contractus praesens, nempe matrimonii promissio, secundum multos auctores [1]) eodem fruitur favore quo gaudet ipsum matrimonium, cuius nempe in iure decernitur nullitas si cum gravi ac iniusto metu ineatur. Can. 1085 § 1. Qui auctores arguunt ex intima connexione promissionis matrimonii cum matrimonio ipso, eique applicant principium: „connexorum eadem debet esse ratio". His autem alii contradicunt [2]), dicentes, canonicam invaliditatem ob metum probari quidem textibus positivis quoad matrimonium ipsum, sed non quoad eius promissionem. Et fatendum est, novum Codicem, huiusmodi textu positivo carentem, huic alteri sententiae admodum favere.

Attamen haec controversia parum, seu potius nihil, hodie importat. Nam promissio matrimonii ex metu gravi facta, etiamsi non dicatur statim invalida, est tamen iure tum

---

1) Lessius, de Angelis, Santi, Matharan (n. 16).

2) Sanchez, S. Lig. (n. 844), Gury-Ball., Marc, Rosset, Lehmk., Gasp.

naturali tum canonico (can. 103, § 2) rescindibilis seu revocabilis, adeo ut parti metum passae nulla iniuria necessario remaneat. Aertn[9]. L. I, n. 21; Marres *De Iustitia*, L. III, n. 91. Olim, i. e. nondum publicato Codice, in ea sententia, quae valorem huius contractus ex metu initi sustinebat, tamquam necessaria consequentia huius valoris admittebatur impedimentum publicae honestatis, irritans matrimonium inter unum promittentem et consanguineos alterius in primo gradu. Sed hoc effectu promissionis sponsalitiae per Codicem sublato, nil ultra refert utrum eam ratione metus invalidam an solummodo rescindibilem dicas.

81. Valetne promissio matrimonii metu levi extorta? Sententia communior et probabilior affirmat (S. Alph., n. 844, qu II), quamvis ex eius defensoribus plerique admittant, et ipsa rescindi posse ad nutum partis metum passae. Ratio praecipua, cur et mihi eiusmodi promissio in se valida esse videtur, petenda est ex disciplina canonica circa matrimonium metu levi initum. Certum scl. est, eiusmodi matrimonium iure canonico esse validum; nam metus iniuste incussus, uti infra dicetur, non constituit impedimentum matrimonium dirimens, nisi sit gravis, seu nisi cadat in virum constantem. Sed non posset illud iure canonico esse validum si invalidum esset iure naturae. Ergo matrimonium ex metu levi initum est iure tum canonico tum naturali validum. Atqui, non requiritur maior immunitas a metu ad matrimonii promissionem quam ad ipsum matrimonium; sed potius e converso: nam matrimonium validum non est rescindibile, bene vero valida promissio matrimonii. Ergo etiam haec, eaque a fortiori, non obstante metu levi, iure tum canonico tum naturali valida est. At vero, uti diximus, probabilius eadem promissio est ad nutum partis metum passae rescindibilis, i. e. pars metum passa potest consensum iam (libere et valide) datum, ob iniuriam sibi illatam, revocare, et sic quasi restitutionem in integrum sibi procurare.

Alii tamen (apud S. Alph., l. c.) putant, eiusmodi promissionem esse ipso iure naturae invalidam; quia nemo tenetur iniuriam pati, nec proinde per iniuriam obligari potest. Huic sententiae

recenti tempore, cum Ballerini (ad Gury, n. 724, *a*), accesserunt Lehmk., n. 838 et Pezzani, Pars II, Vol. I, p. 150. — Sed, nisi auctores illi velint cum Ballerini, contra sententiam longe communiorem (vide Marres n. 91 cit. III), quam et ipse Lehmkuhl, I, n. 1265 propugnat, nullitatem contractuum sub metu initorum cum eorumdem contractuum rescindibilitate confundere, equidem non intelligo, quomodo iidem hunc contractum sub metu levi initum iure naturae invalidum dicere queant.

82. Animus promittendi, quomodo debet esse manifestatus?

Da variis modis (verbis, signis) veram promissionem exprimendi hodie non est quod loquamur, quia iure novi Codicis modus certus praescriptus est, quo non observato, promissio est „irrita in utroque foro". Modum illum seu formam exhibebimus in cap. III.

83. Explicata natura promissionis matrimonii, quaeritur quot ea possit habere species.

Can. 1017, § 1 sequentes species partim expresse memorat, partim insinuat.

a. Expresse memorat promissionem unilateralem et bilateralem seu „sponsalitiam", prout promissio fiat ab una tantum parte, aut ab utraque seu mutuo. In hac altera hypothesi habetur promissio, quae proprio nomine „sponsalitia" iam vocatur et antea „sponsalium" nomine veniebat [1]). Illa, utpote gratuita, natura sua merae *fidelitatis*, haec vero, utpote onerosa, *iustitiae* obligationem inducit.

---

1) „Sponsalia" dicta sunt a *spondendo*, ex more veterum Romanorum, quo uxorem ducturus illam ab eo, sub cuius cura et potestate erat (v. g. parentibus, tutoribus), in matrimonium datum iri stipularetur, seu solemni ritu rogaret, ut nuptum daturus sponderet, id est sponte promitteret. Quae spondebatur *sponsa* (i. e. promissa, vernacule *verloofde*), cui spondebatur *sponsus*, qui spondebat *sponsor*, dies quo spondebatur *sponsalis*, totus vero is apparatus et contractus *sponsalia* appellabantur. Ita Forcellini. *Lexicon totius latinitatis*, ad v. „Sponsalia". Eodem nomine nonnumquam ipsum matrimonium, ratum tamen et nondum copula carnali consummatum, designabatur,

b. Exigendo ad valorem cuiusvis nuptiarum promissionis certam eamque publicam f o r m a m, insinuat distinctionem inter promissionem f o r m a t a m (sollemnem, publicam) et i n f o r m e m (clandestinam, privatam). At vero promissio informis, quum dicatur simpliciter „irrita," idque „in utroque foro," de se nullam ulterius attentionem, neque sub aspectu canonico, seu in foro publico, neque sub aspectu morali, seu in foro conscientiae, mereri videtur, uti infra (n. 112) data opera ostendetur.

84. Codex, etiam u n i l a t e r a l e m promissionem memorans, intenditne etiam hanc ad formam publicam deinceps admitti posse, admissamque habituram effectum canonicum?

Primo canonis 1017 § 1 intuitu ita dicendum videretur, quatenus nempe verba „nisi facta fuerit per scripturam, etc..." etiam ad promissionem unilateralem referenda videntur. Nostro vero iudicio promissio huiusmodi in canone non memoratur nisi ad quemlibet effectum ei abloquendum, quin ipsa deinde comprehendatur subsequenti hypothesi „nisi etc.;" eandemque hypothesin ad solam promissionem bilateralem, seu sponsalitiam, referendam esse putamus. Idque ob finem manifestum Codicis r e s t r i n g e n d i pro viribus effectus matrimonii mere promissi, nominatim actiones et lites inde facile exsurgentes. Huic autem intentioni ipse Codex contrairet, si in posterum sollemnizari permitteret etiam promissiones illas unilaterales, antea in foro Ecclesiae neutiquam admissas [1]). Unde putamus ab earum sollemnizatione, si umquam petatur, Ordinario et parocho abstinendum esse.

85. Quid iure Codicis de sponsalibus p r a e s u m p t i s?

---

v.gr. in capp, 22 et 31 *de sponsalibus.* Cfr. Matth. I, 18 et Luc. II, 5. Sed ad vitandam confusionem, matrimonium ratum in laudatis decretalibus vocatur „sponsalia *de praesenti*", quo addito distinguatur a „sponsalibus *de futuro*" seu de matrimonii promissione.

Interdum eodem „sponsalium" nomine etiam veniunt munuscula, iocalia et arrhae, quibus sponsi invicem donare solent. I Reg. XVIII. 25 et l. 3 Cod. *de donationibus ante nuptias* (V. 3).

1) Universum ius Codici antecedens, tam Romanum quam canonicum, nonnisi „sponsalia" cognoscebat quae erant „mentio *et repromissio* nuptiarum

Consensus sponsalitius olim a iure praesumebatur:

a. Si sponsalia a patre vel matre pro filiis contracta, ab his, praesentibus, silentio honorabantur, absentibus vero postea aliquo signo ratificabantur. Ita ex c. unic. *de despons. impuberum* in 6⁰ (IV, 1).

b. Si ab impubere contrahebatur matrimonium, ratione suae aetatis invalidum; quo casu eius consensus, invalidus ut matrimonialis, habebatur validus ut sponsalitius. Ita ex capite modo citato, necnon ex c. 14 *de despons. impuberum* (IV, 2).

c. Si mulier honesta, ac praesertim virgo, facta sibi clara et certa promissione ex parte viri, huic corporis sui copiam faciebat. Quo casu copula admissa habebatur pro repromissione ex parte mulieris. Ita ex doctrina Sanchezii, pluries a S. C. Concilii confirmata. Vide Santi, tit. I, n. 21.

At vero Codex, formam publicam cum voluntate expressa contrahentium exigens, quaelibet sponsalia mere praesumpta abrogavit.

Caput II. Promissionis matrimonii subiectum

86. Quinam generatim sunt subiectum capax promissionis sponsalitiae?

Sunt generatim qui eam tum valide tum licite emittere possunt. Secus sunt incapaces ideoque a contractu ineundo arcendi.

87. Quinam invalide matrimonium promittunt?

Invalide promittunt 1⁰ usu rationis carentes; 2⁰ defectu

---

futurarum," uti habet l. 1, D. 23, 1, vel, secundum definitionem S. Thomae (qu. 43, art. 1): „Promissio mutua futurarum nuptiarum." Quidquid caeteroquin olim fuerit de obligatione conscientiae, inducta per nuptiarum promissionem ab una parte tantum, in foro externo ea qua talis non accipiebatur sed semper praesumebatur data in tacita saltem hypothesi repromissionis ex parte altera. Aliis verbis: in foro externo non dabatur hac in materia nisi actio sponsalium. De casu promissionis absque repromissione dicit Card. Gasparri (n. 57): „non datur actio sponsalium, nec per se *ulla actio.*" Cfr. de Smedt, n. 2 et Knecht, *Grundr. d. Eher.*, 1918, S. 37.

debitae discretionis laborantes; 3° ad ipsum matrimonium lege inhabiles.

De carentia usus rationis non est quod loquamur. Unde statim quaerimus:

88. Qualis hic requiritur mentis decretio?

Quum matrimonii promissio circa idem versetur obiectum ac matrimonium ipsum, iure naturae postulari videtur, ut in ea danda eadem adsit quae in matrimonio contrahendo maturitas iudicii quoad concipiendam obligationem de qua agitur. Quumque ad matrimonium ineundum illa maturitas iure veteri non ante pubertatem adesse censeretur (cfr. can. 88, § 2) et iure Codicis non ante annum 14^{m} in feminis nec ante annum 16^{m} in masculis adesse censeatur (can. 1067, § 1), ideo etiam hîc eadem aetas postulari videtur quae in coniugandis. Eamque revera postulat Em. Gasparri (n. 67), in quo tamen solus opponitur doctrinae communi, nonnisi completum septennium postulanti, utpote quod usum rationis communiter afferre solet (cfr. can. 88, § 3).

Doctrinae communi suffragatur non solum ius Decretalium [1]), sed etiam iuris illius agnitio per S. C. S. Officii in Instructione ad Vic. Apost. Sutchuen. (*Collect.* n. 1212).

Iamvero, quamvis in puncto de quo agimus perfecta paritas inter matrimonium promittendum et matrimonium de facto contrahendum non inveniatur — quia in matrimonio contrahendo maturitas non tantum iudicii sed etiam corporis consideranda est — tamen doctrina illa de sufficienti septennio mira semper nobis est visa, adeo ut suspicati simus, dictum ius Decretalium ita peculiariter cohaerere ideis, moribus et adiunctis socialibus medii aevi, ut quoad hodierna tempora merito habeatur prorsus antiquatum. Quam suspicionem ipsa illa ingerit dispositio capp. 7 et 8 *de desp. impub.*, vi cuius impuberes, si sponsalia fecissent, deinceps non possent, ne communi quidem consilio, contracta sponsalia dissolvere, sed deberent ad hoc annos pubertatis exspectare. Item dispositio illa, vi cuius huiusmodi pueris concedebatur ut, si pubertatem attigissent,

---

1) Capp. 4, 5, 13, necnon cap. unicum in 6° *de despons. impuberum* (IV, 2).

a sponsalibus in pueritia contractis, quisque pro suo lubitu, recedere valerent. Quomodo (ita merito quaerit Gasparri) haec duo statuta fuissent, si in impuberibus, haud secus ac in puberibus, contrahendi capacitas veraque obligatio, ex eorum sponsalibus orta, agnita fuisset?

Extra loca quarumdam missionum haec quaestio profecto nequaquam practica est, maxime ob monitum Codicis ad animarum pastores de avertendis iuvenibus a matrimonio „ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet" Can. 1067, § 2. Quod sane etiam de promissione sponsalitia dictum haud immerito habeatur.

89. Quid obstat matrimonio v a l i d e promittendo?

Obstat quidquid ipsum matrimonium graviter i l l i c i t u m reddit, quamvis non reddat invalidum: nam matrimonium etiam mere illicitum, quod proinde non potest contrahi absque peccato, vere est aliquod „malum", cui applicanda est *regula iuris* 69 in 6° „In malis promissis fidem non expedit observari". Hinc promissio sponsalitia est irrita seu invalida:

a. si fiat ab eo qui detinetur aliquo impedimento matrimonii, licet impediente tantum. Excipe promissionem, cui nonnisi t e m p o r a n e u m aliquod impedimentum (quod scl. certo tempore et sponte cessabit) obstat, dummodo partes non prius nubere intendant quam reapse cessaverit illud impedimentum (e.g. impedimentum aetatis vel voti temporanei);

b. si, etiam citra impedimento proprie dicto, matrimonium sit tamen moraliter malum grave vel alias graviter damnosum, idque aut ipsi promittenti aut iis a quibus hic, ex lege saltem caritatis, grave damnum avertere tenetur; puta si matrimonium ipsi promittenti involveret certum periculum salutis aeternae, aut induceret ingens scandalum (v.gr. odium et inimicitias inter consanguineos), aut notabile familiae dedecus. Fatemur, huiusmodi indolem immoralem vel graviter damnosam promissi matrimonii in foro externo raro iri probatum, et, contra, saepe praesumendum esse, damna et incommoda talis matrimonii compensari aliis b o n i s, quae sponsus in hac sponsa, et vice versa, se detexisse putaverit. Unde frequenter accidet, ut huiusmodi sponsalitia promissio pro valida quidem

sit habenda, sed ob causas designatas rescindi possit, i.e. legitime non impleatur. Quod tamen hodie, abrogato impedimento publicae honestatis e sponsalibus validis, effective in unum idemque recidit. Cfr. Lehmk., n. 838.

90. Quid obstare potest matrimonio licite promittendo? Obstare potest quoad promittentem „minorem" rationabilis dissensus parentum vel tutorum.

Persona „maior", quae nempe vicesimum primum aetatis annum explevit (can. 88, § 1), utpote plenum habens suorum iurium exercitium (can. 89), consensu parentum vel tutorum ex lege canonica non indiget [1]). Bene vero persona „minor", seu quae est infra dictam aetatem. Haec enim ex eodem can. 89 in exercitio suorum iurium potestati parentum vel tutorum obnoxia manet, iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet. Atqui eiusmodi exemptionem hac in materia ius non continet. Contra, can. 1034, quo iubentur parochi filiosfamilias minores *graviter* hortari ne insciis aut rationabiliter invitis parentibus nuptias ineant, implicite etiam promissionem sponsalitiam afficit, quae est nuptiarum praeambulum. Hinc, sicut parocho officium est ne, in casu conflictus, minorum matrimonio assistat, nisi prius consulto Ordinario, ita idem observet quoad sollemnizationem promissionis matrimonii in simili casu.

Caeterum dissensus parentum hunc contractum illicitum quidem sed non invalidum reddit, nisi afficiat ipsum matrimonium tamquam „malum" promissum, de quo valent quae numero praecedenti [2]). Legatur omnino praeclare monitum Concilii nostri Provincialis, p. 188.

Caput III. Promissionis matrimonii forma iuridica

91. Forma iuridica promissionis matrimonii daturne quaedam, et quandonam inducta?

---

1) Quo canone 89 Ecclesia authentice interpretata est ius naturale de imite dependentiae filiorum a parentibus.

2) Vide S. Lig., n. 849; v. d. Burgt, p. 316; Lehmk., n. 838; Quaest. Rurem., p. 538; De Smet, n, 20.

Quoad Ecclesiam universalem nulla eiusmodi forma dabatur ante decretum Pii P.P. X quod incipit „Ne temere", editum 2 Aug. 1907 et vigens a die Resurrectionis D. N. (19 Aprilis) anni 1908. Solummodo in Hispania, ex consuetudine per legem Caroli III (28 Apr. 1803) inducta et a S. C. C. plus semel approbata, vigebat ius speciale, quod ad valorem sponsalium requirebat scripturam publicam a notario subsignatam. In ipso limine huius saeculi, nempe die 1 Jan. 1900, a S. Pontifice ius illud extensum fuit ad regiones Americae Latinae, postulantibus earum regionum Episcopis in Concilio Plenario congregatis. *Canoniste*, 1900, p. 368. In reliqua vero Ecclesia contractus sponsalitius, quamdiu ab ipsis sponsis de eo lis in foro Ecclesiae non moveretur, semper fuit negotium privatum. Ipsum Concilium Tridentinum, etsi irritans matrimonia clandestina, statuta ad eorum validitatem certa aliqua eaque publica forma, quoad sponsalia tamen clandestina nihil innovavit. Attamen paullatim experientia docuit „quae secum pericula ferant eiusmodi sponsalia: primum incitamenta peccandi causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles." Ita decr. „Ne temere" in prooemio. Quare „flagitatum est ab Episcopis, tum Europae plerisque tum aliarum regionum, ut incommodis occurreretur, quae ex sponsalibus... privatim initis derivantur." Ibid. — Cui postulato occurrit dictum decretum Pianum, cuius articulus I, formam substantialem futurorum sponsalium statuens, fere ad litteram transiit in § 1 et 2 can. 1017 novi Codicis [1]).

92. Quaenam est forma promissionis matrimonii?

Responsum praebet can. 1017, § 1: „Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus." Et § 2: „Si utraque vel alterutra pars scribere nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur

1) Ratio, cur Ecclesia sponsalia publica prius non induxerit, forte est in periculis quae etiam his sponsalibus facile inferebantur, scl. cohabitationis sponsorum facile antecipandae aut consensus per verba de praesenti (i.e. consensus ad matrimonium) procaciter coram parocho et testibus emittendi.

et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet."

Canonem explicantes [1]) in primis quaerimus:

93. Forma iuridica promissionis matrimonii quot potest habere s p e c i e s?

Potest habere quadruplicem speciem, prout contrahentes ad eam observandam vel *a.* solum parochum (loci Ordinarium) absque ullo teste; vel *b.* duos tantum testes, absque parocho (Ordinario) qua tali [2]); vel *c.* parochum (Ordinarium) cum uno teste; vel *d.* tres testes absque parocho (Ordinario) qua tali adhibent.

Inter species *a.* et *b.* eligi potest a contrahentibus scribere valentibus; inter species *c.* et *d.* a contrahentibus quorum uterque vel alteruter scribere nescit vel nequit.

94. Qualis requiritur et sufficit s c r i p t u r a et q u i d c o n t i n e r e debet?

Ad 1^{m} Requiritur et sufficit scriptura l a t o s e n s u intellecta, i.e. non requiritur quod sit calamo et atramento confecta, sed sufficit documentum mechanice productum vel reproductum. Multo minus requiritur scriptura autographa ipsorum contrahentium. Excipienda tamen est s u b s i g n a t i o nominum. Haec enim, ut vere authentica dici possit, tum a subsignante personaliter (licet aliqua alterius manuductione adiuto), tum adhibito *manu*scripto proprie dicto apponi debet.

Ad 2^{m} Scriptura, ut valeat, contineat:

---

1) Canoni explicando admodum saltem i u v a n t authenticae solutiones nonnullorum dubiorum, circa decretum „Ne temere" a S. S. Rom. Congregationibus datae, ac praesertim a S. C. Conc., diebus 1 Febr., 28 Mart. et 27 Iul. anni 1908 *(Canoniste,* 1908, p. p. 240, 394 et 654). Quae, quamvis editae ante novi Codicis promulgationem, fuerunt tamen „merae explicationes iuris antea existentis atque in Codicem inserti; hinc censemus ea persistere, spectato can. 6^{0}, 2^{0}, vel saltem can. 23." Ita Wouters, *De forma promissionis et celebrationis matrimonii.* Ed. V^{a}. 1919, p. 4 Nota 2. Contra, Schaepm. *Cod. en Huwelijksr.,* blz. 6, putat easdem solutiones, utpote Codice non receptas, vim l e g i s amisisse.

2) Dico „parocho (Ordinario) *qua tali,"* i.e. qua teste munere suo *qualificato;* nihil enim impedit eundem in casibus *b.* et *d.* adhiberi in testem *communem.*

a. contractus ineundi substantiam, indubiis verbis designandam (vide exempla in Formulario ad calcem huius operis) ac praeterea quidquid, etsi accidentaliter additum, tamen in substantiam datae fidei redundet. Huiusmodi prae caeteris sunt conditiones contractui forte adiectae. Ab his enim pendet utrum, necne, promissionis implementum suspendatur (si conditio apposita sit *suspensiva*) aut plane corruat (si sit *resolutoria*). De conditionibus huic contractui apponendis vide inferius, n. 103*bis*;

b. initi contractus diem, mensem, annum[1]) et probabilius[2]) etiam locum, maxime si parochus (aut Ordinarius) interveniat, quo nempe hic demonstretur actum peragere in loco territorii sui. „Data" *falsa*, non autem (probabilius) involuntarie *mendosa*, actum invalidat;

c. mentionem partis, sive utriusque sive alterutrius, scribere nescientis aut potentia physica non valentis;

d. nomina subsignata eorum omnium qui, pro diversis supra descriptis speciebus actui conficiendo cooperari debent. Hi praeterea, omnes simul praesentes, unico contextu[3]) scripturam subsignent. Interveniente parocho (Ordinario) convenienter apponitur sigillum paroeciale (episcopale).

Nota. Bene notetur, impotentiam partis vel partium apponendi nomen non posse suppleri per appositionem crucis alteriusve signi, sed tantummodo per novi testis subsignantis assumptionem.

95. Quinam contrahentes ad formam servandam tenentur?

a. Nemo ad hoc tenetur absolute, sed manet omnibus libertas ad promissionem matrimonii privatam. Canon enim noster huiusmodi promissiones, quamvis quoad forum utrumque irritet, nullo tamen verbo prohibet.

b. Hypothetice vero, scl. ut promissio in foro Ecclesiae urgeri possit, tenentur quotquot legibus ecclesiasticis

1) S. C. C. 27 Julii 1908, ad II.
2) Wouters, p. 4.
3) S. C. C. 27 Julii 1908, ad I.

ordini publico tuendo editis in genere ligantur. Nam Codex huic formae subiectos nullo modo specificat, nec quemquam eximit, ut in can. 1099, ubi a servanda forma iuridica matrimonii eximuntur acatholici inter se contrahentes. Iidem in decreto „Ne temere" etiam ab hac sponsalium forma eximebantur quidem, sed Codex eam exemptionem non repetit, idque, uti docet comparatio art. XI illius decreti cum can. 1099 Codicis, data opera; forsan quia specialis ratio, quae pro exemptione a forma celebrationis matrimonii valet — scilicet concubinatus praecavendi — hic urgeri nequit [1]), vel etiam quia, ob lites in foro Ecclesiae his de causis vix umquam exspectandas, canonis specialis ea de re condendi satis non intererat.

96. Quinam veniunt nomine parochi?

Haec quaestio solvenda est e disciplina de iurisdictione paroeciali in genere. Breviter annotamus, eo nomine venire omnes qui aut titulariter, aut actualiter (plebanus Ecclesiae cathedralis) aut vicario loco aut denique ratione exemptionis a iurisdictione paroeciali (uti subinde sunt capellani militum et piarum domuum rectores), plena paroeciali potestate sunt praediti. Specialiter notamus, sacerdotem supplentem vices parochi absentis per se non frui facultate huic actui interveniendi, nisi saltem per hebdomadem parochi vices supplendas habeat. Can. 465, § 4 et 5 ad quam cfr. can. 474 [2]).

97. Quinam veniant nomine Ordinarii vide can. 198.

98. Num parochus (Ordinarius) proprius ad hunc actum est adhibendus?

Minime, sed adhiberi potest parochus (Ordinarius) quilibet [3]).

99. Quales oportet sint testes adhibendi?

Requiritur et sufficit quod sint fidei faciendae necnon

1) Wouters, p. 11, IV.
2) Wouters, p. 12 „Casus".
3) S. C. C. 28 Mart. 1908, ad VII.

scribendi capaces [1]). Attamen, seclusa gravi aliqua ratione, *heterodoxos* adhibere, saltem non convenit [2]).

100. Potestne hic contractus iniri etiam per procuratorem?

Affirmative, quia „potest quis per alium quod potest facere per seipsum", uti habet reg. iuris 68 in 6⁰. Unde haec regula: Si causa non excipiatur a iure in ea admitti procurator potest [3]). Atqui sponsalia a iure non excipiuntur. Ergo. Quare non opus est hîc adhibere analogiam can. 1089 de procuratore in ipso matrimonio licite et valide adhibendo [4]), quamvis illa optime inserviat statuendo modum sponsalium procuratorem adhibendi.

101. Potestne parochus (Ordinarius) hoc in negotio etiam „per alium facere", i.e. interventum suum alteri sacerdoti delegare?

Negative, secundum resp. S. C. C. 28 Mart. 1908, ad VI.

Caput IV. De promissionis matrimonii accessoriis

102. Quaenam ut contractus sponsalitii accessoria aliquando ei adduntur?

Adduntur aliquando 1⁰ conditiones; 2⁰ stipulationes contractum specialius qualificantes; 3⁰ iuramentum; 4⁰ poena conventionalis; 5⁰ arrha seu pignus; 6⁰ iocalia.

103. An et in quo foro haec accessoria obligationem inducere possunt?

---

1) S. C. de Sacr., 12 Mart., 1910, ad IV (*Canoniste*, 1910, p. 298).

2) S. C. S. Off. 19 Aug. 1891 ad qu.: „Se sia lecito assumere gli heterodossi a testimoni nel matrimonio dei cattolici?" respondit: „Non esse adhibendos; posse tamen ab Ordinario tolerari ex gravi causa, dummodo non adsit scandalum." Cfr. Arndt, *Eheschl. n. neustem Recht* (1908), S. 9.

3) Cfr. Santi, II, p. 407.

4) Ita Göller, *Das Eherecht* u.s.w. (1918), S. 35. Unde Knecht, *Grundr. d. Eherechts* (1918) S. 41, analogiam illam negans, negat quoque procuratorem sponsalium adhiberi posse.

Quia ex notissima regula „accessorium sequitur principale", quidquid illorum a sponsis uti merum accessorium contractui sponsalitio adiungitur, si extra scripturam, de qua supra, adiungatur, in utroque foro irritum est nec proinde ullam attentionem per se meretur.

Quatenus vero eorumdem aliquid sumi possit et de facto sumatur ut obiectum contractus a sponsalitio distincti, utique valebit in foro conscientiae secundum principia communia iustitiae naturalis.

Insuper, etiam contractui informi adiecta, poterunt nonnumquam obligationem aliquam per accidens inducere, haud secus ac contractus ipse, secundum inferius dicenda.

Iam videamus de valore et effectu iuridico singulorum?

103 *bis.* Quid efficit conditio adiecta?

Praenotandum 1. Quid sit conditio contractui adiecta, et quaenam sint variae conditionum species, a doctrina *de contractibus* satis vobis iam innotuisse suppono. Cfr. Aertn^{9}., L. III, 861.

Praenotandum 2. Communis sententia est, licite posse conditiones (honestas scilicet) contractui sponsalitio apponi: nullibi enim conditionata sponsalia per se in iure reprobantur. Vix tamen est quod moneamus, conditionum adiectionem pro viribus a parocho (Ordinario) — si hic in contractu perficiendo adhibeatur — restringendam esse, ne scl. inde lis forte movenda intricatior fiat; ac praesertim, conditiones impossibiles, matrimonii substantiae repugnantes et inhonestas procul esse pellendas. Quibus praenotatis, de efficacia conditionis sponsalibus adiectae haec teneantur:

I. Conditiones *de praeterito* et *de praesenti* proprie non suspendunt obligationem sponsalitiam: haec enim, ipso illo momento quo contractus celebratur, aut consistit aut non consistit, prout ipse ille eventus praesens vel praeteritus, cui consensus alligatur, existit extititve, vel secus. Quia autem hoc ultimum tempore celebrati contractus ignoratur, contrahentes tenentur pro viribus satagere, ut illud resciant, interimque a sponsalibus vel matrimonio cum alia persona celebrando abstinere. Cfr. Marres, L. III, n. 213, I.

II. Conditiones resolutoriae *de futuro* sponsalia statim valida fieri sinunt, sed impletae efficiunt, ut obligatio sponsalitia eo ipso, sine nova voluntatis declaratione, cesset.

III. Conditiones suspensivae *de futuro*, dummodo sint possibiles, honestae et substantiae matrimonii non repugnantes:

a. suspendunt vim sponsalium usque ad eventum illum futurum et incertum, cui ipsa conditio refertur, ideoque

b. efficiunt, ut uterque contrahens eventum illum exspectare teneatur, neque interim aut licite possit consensum conditionate praestitum revocare, aut valide alicui tertio matrimonium promittere. Excipiendus tamen est casus, quo aliqua causa legitima resiliendi superveniat (vide infra Cap. VI), aut quo, quin steterit per eum qui resilire cupiat, conditionis adimpletio nimis diu atque frustra exspectetur. Vide Math., n. 19. Eaedem vero conditiones

c. statim ac adimpletae fuerint, sponsalia omnino pura et absoluta fieri permittunt, ita quidem, ut illa ipso conditionis implemento, proinde absque novo consensu partium, plenum effectum sortiantur. Excipe casum, quo alterutra pars, quantumvis illicite, consensum prius revocasset. Ita communiter contra paucos e. g. Lehmk., n. 841; Wernz, n. 103.

Denique

d. statim ac definitive defecerint, i. e. certo non impletae fuerint, conditiones illae efficiunt, ut totaliter corruant sponsalia, neque ullum effectum retineant.

IV. Conditiones, quae rei promissae, i. e. matrimonii substantiae repugnant, ipso naturali iure, et quidem ab initio, sponsalia annullant. Qui enim rei alicuius substantiam non vult, is ipsam rem simpliciter non vult. Quaenam sint conditionis matrimonii substantiae repugnantes, dicetur Parte VI.

V. Idipsum dicendum est de conditione impossibili, quæ scl, vel rerum naturalium ordinem superat (si sit casualis) vel excedit vires personae contrahentis (si sit potestativa, e. g. si quis dicat puellae pauperi: „Nuptias tibi promitto, dummodo infra biduum mille mihi praebeas florenos"). Qui enim sub conditione impossibili promittit, potius iocari quam promittere est dicendus. — Ita cum sententia hodie

communiori, contra aliquos (e. g. Bangen, I, p. 18; Zitelli, *Apparatus iur. eccl.*, p. 363) qui cum Sanchezio (V, XVII), ad sponsalia eam extendunt iuris dispositionem, qua conditiones impossibiles, si matrimoniali contractui apponantur, pro non adiectis habentur, ita ut matrimonii validitati nullatenus officiant. Vide can. 1092, 1°.

104. Intricatior est quaestio (spectato can. 1017, § 1 hodie vix umquam practica) circa efficaciam conditionum simpliciter turpium, quibus scl aliquid inhonesti (e. g. sponsorum cohabitatio, negotii turpis vel iniusti exercitium), substantiae tamen matrimonii non repugnans, in pactum sponsalitium deducitur.

I. Imprimis ab omnibus fere auctoribus tamquam indubium habetur, sponsalia huiusmodi ante impletam turpem conditionem nihil omnino valere; proinde neutram partem teneri ad exspectandum conditionis implementum, utramque vero potius plenissimo suo iure a contractu sic turpiter inito recedere. Cuius rei evidens est ratio: nulla nempe potest dari obligatio ad peccandum. Admodum pauci tantum auctores (Bangen et Zitelli, l.c.), cum Sanchezio, de eiusmodi turpibus conditionibus eodem modo iudicant ac de conditionibus impossibilibus, i. e. eas habent pro non adiectis (cfr. n. 103, V, in fine). At immerito prorsus, nam specialis ille favor, quem ius sub hoc respectu matrimonio tribuit, minime legitur tributus sponsalibus.

II Quid vero si conditio turpis fuerit de facto impleta? Subsistitne contractus sponsalitius, annon?

Iamvero, equidem puto, ipsum contractum sponsalitium, conditione turpi impleta, minime perfici [1]), quod sic probo:

Admittunt communiter iurisperiti et moralistae, quoslibet contractus sub conditione turpi initos ante conditionem impletam nullius esse roboris. Vide Marres, Lib, III, n. 158 et

1) Ita cum Zallinger, *Inst. iur. can.*, Romae, 1832, in Lib. IV, tit. V, § 88; von Schulte, *Handb d Kath Eherechts*, Giessen, 1855, S. 290; Knopp, S. 332; Heiner, S. 41: Santi, p 197 aliisque contra Reiff,, Tit, V, n. 58, Palmieri, III, p. 493; Marres, Lib, II, n. 293; Gasp., n. 100 aliosque apud eundem Gasparri, l. c.

159; cfr. n. 215. Consequenter in huiusmodi contractibus nihil ab initio efficitur, i. e. nulla omnino oritur obligatio, ne quidem in suspensivo, uti contingit in pactis conditionatis honestis. Potest enim, fatentibus omnibus, uterque contrahens, ac si nihil pactum fuisset, a tali contractu recedere.

Quo admisso, intelligi nusquam potest, quomodo per seu post conditionis turpis implementum contractus, hucusque nullus et iure non existens, subito incipiat existere, propriosque habere effectus iuridicos. Quid enim, quaeso, efficit, proprie loquendo, conditio impleta in contractu conditionato? Non alliud efficit, nisi quod obligatio, quae propter conditionem adiectam sed nondum impletam in suspenso haerebat, iam, impleta conditione, evadat pura seu absoluta. Sed qui fieri potest, ut huiusmodi effectus obtineatur, ubi, ut in hypothesi, nulla obligatio, ne in suspenso quidem, praeexistebat?

Ergo dicendum, fieri non posse, ut contractus sponsalitius, qui antea nullatenus subsistebat, postea subsistere incipiat. Hinc, putamus, nullam per se seu tanquam e sponsalibus validis, obligationem oriri ad matrimonium ineundum.

Scio equidem, auctores, ubi quaestio praesens (de conditionibus turpibus) relate ad contractus *in genere* movetur, communius docere, contractus sub inhonesta conditione initos, conditione impleta firmari, ac proinde debitorem teneri obligatione solvendi pretium (vide Marres, l. c. n. 158 et 160); at, quamvis eorum conclusionem libenter admittam, non undequaque tamen modum probo, quo aliqui ipsam quaestionem proponunt aut solvere conantur. Quaestione enim sic proposita: „Utrum ipse ille contractus qui, opere turpi nondum secuto, nullus erat, eodem secuto firmus fiat atque validus", negative puto respondendum; ad quaestionem vero sic conceptam: „Utrum ipsum opus turpe, semel praestitum, possit, in quantum est pretio aestimabile (propter periculum vel damnum ei annexum), ius aliquod inferre ad rem promissam accipiendam," affirmative respondeo: non quidem, quasi per eiusdem operis praestationem praecedens contractus (qui ab initio nullus erat) firmetur, sed quia ipsa praestatio illius operis, spectatis, circumstantiis, involvit con-

tractum realem et innominatum „facio ut des." Cfr. Lehmk., I, n. 1249.

Hinc, licet per impletam conditionem ipsa sponsalia firmari haud admittam, admitto tamen, ex eadem in talibus adiunctis oriri ius ad matrimonium, idque e contractu innominato „do ut des" vel „facio ut des." Sed hic contractus in foro, saltem externo, Ecclesiae urgeri nequit.

Sententiae supra propositae suam auctoritatem confert Instr. Austr., quae § 35 ita habet: „Sponsalia valide et pure inita obstant, ne sponsorum alter cum alterius consanguineis in primo gradu matrimonium contrahat. Idem operantur sponsalia *sub honesta conditione* contracta, postquam eadem purificata fuerit." E sensu contrario huius § impedimentum publicae honestatis *non* operabantur sponsalia sub conditione *inhonesta* contracta, ipsa conditione licet purificata. Ergo manebant invalida.

Tandem velim observetis, huic sententiae minime obstare sive doctrinam S. Thomae in IV, D. XXVIII, qu. 1, art. 2, ad 4, sive decisiones S. Sedis, quae habentur apud Marres Lib. II, n. 293 et Lehmk., n. 841. Ibi enim docemur quidem, stupratorem *obligari ad ducendam* puellam a se sub fide matrimonii violatam, minime autem, veri nominis *sponsalia* inter eosdem existere, uti immerito inde concludit Marres, l.c.

105. Valentne sponsalia inter personas aliquo matrimonii impedimento (e. g. consanguinitatis) ligatas, si contrahantur sub conditione „si Papa dispensaverit?"

Triplex datur sententia:

I^{a} affirmat, dummodo tale sit impedimentum, in quo Papa dispensare et possit et soleat, atque insuper sufficiens habeatur dispensationis causa. Ratio est, quia in tali casu conditio adiecta est honesta et iuridice possibilis. Obtenta igitur dispensatione, quam sponsi procurare et exspectare tenentur, sponsalia statim, absque novo consensu, absoluta fiunt atque valida. Ita S. Lig., n. 859; Aertn^{6}., 426 qu. 2^{0}; Ballerini ad Gury, n. 725, qu. 3^{0}; Gasp., n. 62 et 104.

II^{a} absolute negat, quia ante dispensationem de facto obtentam et applicatam eiusmodi spondentes, sicut ad contra-

hendum, ita ad promittendum matrimonium sunt iuridice inhabiles: hinc nonnisi post impedimenti remotionem, seu post obtentam et applicatam dispensationem, ad sponsalitium consensum sibi dandum procedere possunt. Ita, cum Reiff. et Pichler, e. g. Bangen, I, p. 4; Kutschker, II, S. 31; Lehmk., n. 840; Silbernagl, S. 570.

III[a] pariter negat, sed cum aliqua restrictione, i.e. admittit nullitatem non ex rei natura, sed e sola voluntate positiva Ecclesiae, pluribus S. C. C. decisionibus manifestata et fundata in morum periculis huic modo sponsalia contrahendi facile annexis. In hac sententia sponsalia sub hac conditione inita, quamvis invalida, tamen non sunt prorsus despicienda, eaque aliqualem inducunt obligationem, si minus iustitiae saltem aequitatis ac decentiae, petendi et exspectandi dispensationem. Ita Wernz, n. 95; Santi, p. 198; De Smet n. 21. Cui sententiae et nos calculum adiicimus.

106. Quaenam stipulationes accessorie fieri possunt, et quis earum effectus?

Sunt illae, quae in doctrina de contractibus vocantur, *modus, causa* et *demonstratio.* Quarum tum conceptus tum effectus vide Aertn[9]., n. 864 et 865, ac dein huic contractui applica.

107. Quid de iuramento contractui sponsalitio addito?

Quia, uti habet can. 1318, § 1, „iusiurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adiicitur," contractus sponsalitius, si quidem validus sit, substantialiter eo non mutatur, quamvis indolem religiosam et obligationem virtute religionis auctam inde acquirat; sin autem invalidus, non obstante iuramento, invalidus remanet.

Excipe si iurantes expresse intenderent se obligare independer ab obligatione promissionis, quia tunc iuramentum non esset eiusdem accessorium sed quid principale seorsim. Cfr. Wouters, p. 10.

108. Quid de poena conventionali, qua scl. sponsi stipulentur, ut, qui a contractu resiliat, alteri aliquid solvere teneatur?

Ex c. 29 *de sponsalibus* huiusmodi poenas adiicere erat prohibitum et poena adiecta, utpote libertatis nimium impeditiva erat irrita, adeo ut ne quidem ab eo qui iniuste resiliret exigi valeret. Cfr. tamen S. Lig, n. 853.

109. Quid de arrhis sponsalitiis?

Arrhae nomine venit quidquid sponsi, vel eorum parentes pro eis, sibi invicem tradunt, quasi pignus in matrimonii promissi securitatem, eo pacto, ut qui absque iusta causa resilit, quod dedit alteri amittat, quod autem ipse recepit restituere teneatur.

Arrhae, quarum usus non est prohibitus, inito matrimonio possunt repeti; rescisso contractu sponsalitio, restitui debent ab iniuste resiliente, et servari possunt ab altera parte; si vero iuste contractus rescindatur, arrha utrinque reddenda erit.

110. Quid de iocalibus?

Ab arrhis differunt iocalia seu munera sponsalitia, quae sponsi non tam in pignus quam sub spe et intuitu futuri matrimonii invicem conferunt, quaeque, praesertim si pretiosiora non sunt, tamquam merae liberalitates et affectus signa sunt consideranda.

Spectata hac sua natura iocalia censeri possunt absolute tradi ideoque in nulla hypothesi restituenda. Attamen, si sint pretiosiora, naturam largitatis absolute collatae facile mutant, quatenus nempe tunc censeri possunt nonnisi sub implicita matrimonii conditione tradita fuisse; quo casu si matrimonium non sequatur, mutuo sunt reddenda. Excipe, si una pars iniuste resilit; tunc enim altera titulo compensationis ea sibi retinere poterit.

Caput V. De promissionis matrimonii effectibus

111. Quia primo de validae, deinde de invalidae promissionis effectu inquiremus, praemittimus quaestionem quid requiratur ut promissio matrimonii valeat.

Iamvero ad hoc, praeter ea quae haec promissio natura sua postulat (cap. I) et praeter capacitatem subiecti (Cap. II)

requiritur hodie, i.e. ex quo novus Codex viget, etiam servata forma iuridica (cap. III).

112. Num defectus formae promissionem prorsus invalidam reddit?

Affirmative. Nam promissio informis dicitur in can. 1017 „irrita pro utroque foro" i.e. tam pro foro interno seu conscientiae, quam pro foro externo seu iudiciali. Hinc quidquid ex matrimonii promissione iuris et obligationis iure naturae per se spectato, sequeretur, id in casu formae non servatae nulla ratione urgeri potest, scl. neque coram iudice ecclesiastico neque in tribunali Poenitentiae.

Igitur verbis illis „pro utroque foro", quae Codex articulo decreti „Ne temere" addidit, controversia antea inter decreti illius commentatoribus agitata, num scl. invaliditas sponsalium informium etiam ad naturales eorundum obligationes se extendat, a Codice dirempta est in favorem sententiae affirmantis.

Quo patet, legislatorem ecclesiasticum hîc etiam quoad sponsalia ea potestate usum esse, qua Ecclesia multoties quoad matrimonium usa iam fuerat, nempe potestate contractum naturalem sua lege dirimendi. Cfr. n. 39, sequ.

113. Quinam sunt effectus promissionis validae?

a. In foro conscientiae sunt: 1° obligatio contrahendi tempore determinato vel opportuno matrimonium promissum 2° incapacitas tum licite ineundi matrimonium, tum valide faciendi sponsalia cum alia persona; 3° fidelitas sponsalitia, obligans tum ad conversandum cum comparte more sponsorum tum ad sic non conversandum cum aliis.

b. In foro externo unicus effectus est actio ad reparationem damnorum, si quae debeatur, erga partem foedifragam, alteri a iure concessa. „Ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem [1]); datur

1) Nondum vigente Codice ius Ecclesiae huiusmodi actionem reapse concedebat. Quinimo ex cap. 10 *de sponsalibus* iudex ecclesiasticus poterat obligationem sponsalitiam, saltem in casu quo infelices matrimonii exitus non

tamen actio ad reparationem damnorum, si quae debeatur." Ita can. 1017, § 3. De abrogata publica honestate e sponsalibus vide inferius, P. IV. Cfr. interim n. 80 in fine.

114. Qualis et quanta est huius promissionis obligatio? Ad 1^m^ Est obligatio iustitiae, saltem si agatur de promissione bilaterali, seu onerosa. Cfr. Marres, L. IV, n. 6, 2^0^ et 3^0^. Quodsi vero agatur de promissione unilaterali, et quatenus haec attendi mereatur (n. 84), obligatio videtur solius esse fidelitatis, nisi quis specialiter ex iusitia obligari se voluerit; cuius animi signum forte per se haberetur, si servata foret forma iuridica. Cfr. Wouters, p. 11, 2 — Porro eadem obligatio est iuris naturalis, quia, independenter a quolibet iure positivo, immediate fundatur in natura promissionis.

Ad 2^m^. Est obligatio gravis seu quae, quoad praestandam rei substantiam, urget sub mortali. Siquidem eius obiectum substantiale, scl. matrimonium, est utique in se sat gravis momenti, et etiam ab Ecclesia semper tale fuit aestimatum, uti patet e. g. ex c. 10 *de spons.* Cfr. p. 107 in nota et Aertn^6^., L. VII, n. 13.

115. Num promissio invalida nihil umquam obligationis importat?

Per se quidem nihil omnino, secundum quod dictum est n. 112. Attamen varia adiuncta, quae sponsalitio contractui accedere possunt, obligationem, etiam gravem, per accidens nonnumquam important, sive ad matrimonium contrahendum, sive praesertim ad damnum reparandum. Attamen in solo conscientiae foro. Eiusmodi adiuncta sunt: damnificatio dolosa, copula intuitu matrimonii obtenta, causata mulieris praegnantia. Etiam secluso dolo aut damnificatione, huiusmodi obligationem per accidens (scl. ad matrimonium ineundum) aliquando importabit occasio proxima peccandi.

---

essent timendi, etiam per censuras urgere. Quod sapientissime Codice abrogatum est, quia huiusmodi actio aut ducebat ad matrimonium plus minusve coactum, ideoque minus saltem felix; aut inferebat lites saepe diuturnas, inextricabiles et inutiles. Nisi enim partes aut a parocho aut ab Ordinario ad quamdam pecuniariam transactionem perducerentur, tota res prolixa dispensatione pontificia (in vinculo sponsalitio) terminabatur.

116. Actio ad reparationem demnorum, cuinam competit et ad quid obtinendum?

Iterum praemonemus, supponi promissionem matrimonii formatam; nam promissio informis nullam omnino actionem praebet. Quo praenotato, respondemus:

Ad 1^m. Competit parti, ratione promissionis sponsalitiae a comparte iniuste damnificatae, etiamsi haec ipsa sit quae tandem, ob causam tamen canonicam, a contractu resiliat. Quod contingere potest si compars vel euismodi causam culpa sua adduxit, vel eiusdem generis causam, si iam ante initum contractum extiterit, alteri culpabiliter celavit. Vide Instr. Austr., § 9. Cfr. Kutschker II, § 92. Ratio huius asserti est ipse textus can. 1017, § 3, hanc actionem generaliter matrimonii promissioni coniungens, ideoque nihil derogans praxi forensi hucusque observatae.

Ad 2^m. Codex, concedens actionem ad reparationem damnorum „si quae debeatur", sola intendit damna realia, non autem mere moralia, ut v. gr. tristitia. Ad ipsa damna realia quod attinet, nomine damni resarciendi in foro externo non veniet nisi quod probari possit, nec nisi damnum proprie dictum, seu quod vocatur damnum emergens; non autem, saltem regulariter, quod oritur e lucro cessante. Dico: „saltem regulariter"; quodsi enim in iudicio constaret, partem culpabilem habuisse animum malignum compartem lucro isto privandi, etiam lucrum cessans compensari deberet.

Nota 1. In foro interno, si quando, secundum superius (n. 115) dicta, damni illati ratio sit habenda, eo nomine, praeter id quod in foro externo probari possit, etiam illud attendendum est quod altera pars revera incurrisse noscatur, licet externa probatio deficiat. Item onus resarciendi damnum e lucro cessante in eodem foro parti culpabili etiam tum incumberet, si praedictum animum malignum, quamvis externe probari non posset, reapse tamen habuisset.

Nota 2. Constito de iure alterutrius partis damnorum compensationem habendi, iudex primum in id conamina adhibeat, ut partes circa eam eiusque mensuram libere conveniant; eiusmodi vero conaminibus frustra adhibitis, ipse

iudex eandem sua sententia determinet, attentis circumstantiis atque personarum facultatibus.

Nota 3. Quodsi partes nolint hac in re iudicis ecclesiastici sententiae acquiescere aut satisfacere, relinquitur ipsis facultas adeundi tribunal civile; agitur quippe de actione mixti fori, uti declaravit Comm. Pont. 2—3 Iun. 1918 ad II (A. A. S., 1918, p. 345) et aliunde de se patet [1]).

117. Quid confessario, parocho et Ordinario agendum si querela sponsalium sibi afferatur?

I. Querelam sponsalium informium statim repellant. Quodsi tamen opportunitas patiatur, consilium aut monitum paternum partibus impertiantur de sectando quod in quolibet casu, pensatis utrinque rationibus, aequum saltem videatur.

II. In casu querelae de sponsalibus formatis generatim observetur can. 1925 de praemittenda, ad litem pro viribus evitandam, exhortatione, qua partes ad quandam transactionem, seu compositionem, perducantur. Quodsi vero huiusmodi concordiae spes non affulgeat:

a. confessarius poenitentem *actorem* remittat ad parochum, quia tunc agitur de causa solius fori externi. Poenitentem vero *reum* (scl. is adversus quem querela instituetur), si quando hic ea de re conscientiam aperiat, ad fidem datam servandum exhortetur, nisi tamen agatur de sponsalibus aut invalidis aut legitime resolvendis (vide cap. VI); aut saltem eum (etiam sub

---

1) Cod. noster civ. art. 113 ita habet: „Trouwbeloften geven geene regtsvordering tot het aangaan des huwelijks, noch tot vergoeding van kosten, schaden en interessen, uit hoofde der niet-vervulling van de belofte; alle bedingen tot schadeloosstelling te dezer zake zijn nietig.

Wanneer echter de aangifte des huwelijks bij den ambtenaar van den burgerlijken stand van eene afkondiging gevolgd is, kan zulks grond opleveren tot het vorderen van vergoeding van kosten, schaden en interessen, uit hoofde der werkelijke verliezen, welke de eene partij, door de weigering der andere, in hare goederen mogt hebben geleden, zonder dat daarbij eenige winstderving in aanmerking zal kunnen komen.

Deze regtsvordering verjaart door verloop van achttien maanden, te rekenen van de eerste huwelijksafkondiging". Ad hunc artic. cfr. Marres, L. II, n. 293, I. Similiter fere in Cod. civ. Belgico, artt. 1382 et 1383, necnon in Cod. Civ. Germanico, § § 1297—1303.

denegatione absolutionis) adstringat ad resarcienda alteri parti ea damna, quae haec ex violata fide certe passura sit. Utrum autem, si praedicta exhortatio feliciter non succedat, ipsa tandem fides servanda per absolutionis denegationem a confessario sit urgenda, id, praesertim hodie, vigente scl. Codice I. C., est dictu difficile. Auctores, qui antea ad hoc quaesitum negative respondebant, hanc afferebant rationem: Praeterquam quod matrimonia coacta difficiles solent exitus habere, confessario ad licite absolvendum sufficiet, si poenitens paratum se exhibeat ad obtemperandum iudici fori externi. Sed haec ratio quoad alteram suam partem hodie deficit. Nam ex can. 1017 § 3 iudex fori externi actionem sponsalium, quatenus ipsam fidem servandam respiceret, iam non suscipit, quippe admittens tantum actionem reparationis damnorum. Nihilominus in foro conscientiae etiam ipsa fides servanda remanet (n. 113, *a*) ideoque, quum ea in foro externo urgeri iam non possit, saltem in foro interno, etiam per absolutionis denegationem urgenda videtur. Accedit deinde haec ratio sententiae iam olim affirmantis: pars, quae fidem servare renuit, revera est in statu peccati mortalis, utpote id recusans exsequi, ad quod tamen gravi obligatione tenetur. Ita, cum Salmanticensibus, Billuart (*De matr.*, Diss. II, art. 4), v. d. Burgt, p. 325, Palmieri, t. VI, n. 131. Unde putamus, hanc affirmantem sententiam, absolute loquendo, hodie solam esse probabilem. Nihilominus in praxi nonnisi rarissime applicanda veniet, scl. nonnisi in casu quo confessario constet, displicentiam poenitentis erga matrimonium promissum voluntarie foveri, aut etiam malum exitum matrimonii semel initi non esse pertimescendum. Quodsi secus res se habeat, scl. in casu displicentiae gravis nec bona voluntate seponendae, quum matrimonia invite inita regulariter male exeant, confessarius videat quomodo poenitentem alia ratione disponat, v. gr. suscipiendo eius promissionem de adhibendis opportunis conatibus ad alteram partem (e. g. mediante parocho, aut mediantibus aliis ei fidis ac gratis) matrimonii infeliciter successuri persuadendam, qua persuasione ad sponte renunciandum perveniat. Quibus frustra adhibitis, res sat desperata et casus sat perplexus alicui videatur haberi. Sed plerumque

tunc ea erunt adiuncta quae, praesertim simul sumpta, legitimam causam sponsalia dissolvendi agnoscere permittent;

b. parochus, si sit competens [1]) nec spes ei supersit rem ex concordia componendi, ad causam Ordinario praeparandam procedat, praevie inquirendo de promissionis datae valore necnon de causis eam forte ex post facto infirmantibus. Tum super hac inquisitione, tum super conaminibus ad rem componendam a se adhibitis, *protocollum* (i.e. accuratam descriptionem) conficiat, idque, si opus tandem maneat, una cum scriptura (de qua Cap. III), ad Ordinarium transmittat;

c. ipse Ordinarius examinato protocollo a parocho accepto, primum videat num obtinere possit quod parochus obtinere non potuit. Lite non sopita et actione ad dammi reparationem formiter instituta, iudicialiter negotium tractetur et secundum hinc inde a partibus eorumque testibus deducta sententia desuper feratur. Cfr. superius n. 116, Nota 2.

Nota. Avertendis huiusmodi querelis et litibus nonnihil iuvabit opportuna populi fidelis instructio de iure sponsalium, saltem in regionibus ubi ea sunt in moribus. Praesertim parochus, si quando sponsalibus in forma contrahendis interveniendum sibi sit, expresse partes moneat, inde praeter ius ad damnorum reparationem, nihil prorsus iuris in foro externo urgendi eis obvenire.

118. Num querela de sponsalibus, contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium illud suspendat usquedum actum fuerit de damnorum reparatione, si quae debeatur?

Commissio pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos, diebus 2-3 Iunii 1918, ad hanc quaestionem *negative* respondit (A. A. S. 1918, p. 345). Unde etiam, querela vel lite, sive apud parochum sive apud Ordinarium pendente, non est cur matrimonii illius publicatio et celebratio differantur aut suspendantur.

---

1) Quia, secundum regulam iuris hîc applicandam, „actor sortitur forum rei", querela deferri debet ad parochum proprium illius partis quae fidem frangere accusatur.

Caput VI. Promissionis matrimonii dissolutio

119. *Praenot.* Matrimonii promissio dicitur „dissolvi" si in ipsa contractus ratione corruat, e. g. morte alterutrius sponsi, deficiente conditione apposita ; dicitur „rescindi" si, licet perseverante contractus ratione, tamen sponsorum alteruter ex iusta causa a promissione implenda excusetur.

Quum vero tum dissolutio tum rescissio sponsalium practice idem efficiant, discrimen illud theoreticum ultra negligentes, quoad utramque simul sumptam quaerimus :

120. Quibusnam de causis sponsalia aut dissolvuntur aut rescinduntur ?

Eiusmodi causae, praeter mutuum sponsorum consensum et praeter caetera, numero praecedenti iam recensita, sunt praecipue 1^0 violatio fidei sponsalitiae ; 2^0 notabilis rerum mutatio ; 3^0 susceptio status perfectioris ; 4^0 impedimentum matrimonii superveniens.

121. Fides sponsalitia quomodo violatur ?

Censetur fidem violare et sic solvere obligationem compartis, licet ipse obligatus maneat :

a. qui tempore debito matrimonium contrahere recusat, (cfr. Math., n. 45) ;

b. qui cum tertia quadam persona aut sponsalia facit aut matrimonium contrahit, vel tertiae cuidam personae matrimonium simpliciter seu gratuito promittit (cfr. Math., n. 47) ;

c. qui in regionem longinquam recedit, quin sit probabiliter brevi rediturus (cfr. Math., n. 46) ;

d. qui cum tertia quadam persona fornicatur, aliove modo turpiter agit. Vide c. 25 *de iureiurando* (II, 24) et Math., n. 39 et 41.

Nota 1 Plerumque auctores, hoc ultimum punctum tractantes, nonnullos recensent casus, in quibus plus iuris concedunt sponso ob turpem conversationem suae sponsae, quam, vice versa, sponsae ob turpem agendi rationem sui sponsi. Idque quia putant, per actus turpes sponsam magis vilescere sponso, quam, vice versa, sponsum sponsae.

Ita e. g. Gasp., n. 132, 133 et 141 ; Lehmk., n. 856 ; Gury, *Casus*, II, n. 862. Haec autem ita se habere possint iuxta mores quarumdam regionum (e. g. in Hispania vel Italia, e quibus celebriores canonistae et moralistae sunt oriundi), quoad nostrates vero, si infimam plebiculam excipias, profecto dicendum est, sponsam non minus abhorrere fornicationem turpesque conversationes sponsi, quam vice versa. v. d. Burgt, p. 337. Nec dicere equidem vereor, in quibusvis casibus sponsum et sponsam, saltem honestiores, pari omnino iure esse hac in re censendos [1]), ac proinde omnino aequaliter posse hoc ex capite a sponsalitio contractu recedere. Cfr. Math., n. 39 et 42.

Nota 2. Quodsi pars, quae ob fidem violatam iuste poterat a contractu inito resilire, re cognita non resilit, sed potius verbis vel factis eum confirmat, non poterit postea fidem violatam opponere. Tali enim casu censebitur culpam alteri condonasse, et iuri suo renunciasse. Gasp., n. 125, *b*.

122. Quandonam potest ob res mutatas a sponsalibus resiliri ?

Nomine rerum hic intelligitur quidquid homines, sponsalia ineuntes, respicere solent, videlicet bona tum corporis (integritas, valetudo), tum animi (morum honestas, recta fides, bona indoles, etc.) tum fortunae.

Iamvero, sponsalia iuste dissolvuntur quoties, quoad aliquam ex rebus supradictis, superveniat vel detegatur aliqua circumstantia, quae, si praevisa vel ab initio cognita fuisset, prudentum iudicio a sponsalibus ineundis alterutrum retinuisset. — Ratio est, quia sponsalia, utpote contractus qui plenissimam libertatem requirit, merito censentur contrahi sub hac clausula: „dummodo res in eodem statu permaneant", vel „dummodo res se habeant, sicuti apparent". Accedit textus expressus Innoc III in c. 25 *de iureiurando*

1) Can. 4, Causa 32, qu. 4 ita habet: „Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est: nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quae ab uxore debetur castimonia." Hoc de coniugatis effatum a fortiori valet de sponsis, nullo indissolubili vinculo adhuc ligatis. Cfr. *Theol. Quartalschr.* (Tübingen), 1899. S. 154.

(II, 24). — Hinc uni sponso resilire liberum est, si alteri superveniat aut in altero detegatur e g. notabilis aliqua deformitas, morbus incurabilis, virginitas violata (Math., n. 40 et 43); item si perversitas morum, lapsus in haeresim vel irreligiositatem, animi asperitas, saevitia, etc. (Matth., n. 38); item denique si notabilis fortunae vel honoris diminutio. Cfr. Math., n. 38, 40, 43 et 44.

Quinimo „obligatio standi promissis per contractum sponsalitium datis, tunc quoque cessat, quando, omnibus perpensis circumstantiis, supponendum merito sit, matrimonium a sponsis contrahendum infaustum fore". Ita Instr. Austr., § 10. Ratio est, quia nulla promissio tam absoluta est, ut ad rem promissam praestandam obliget, licet haec videatur infausta non solum promittenti, sed (quod in matrimonio infausto certe verificatur) etiam ipsi promissario, et imo humanae societati. Ita Kutschker, II, S. 241.

Attamen, uti iam supra (n. 116) dictum est, ea pars quae culpa sua effecit, ut infelix fore matrimonium praevideri debeat, ad compensationem damnorum alteri obligatur. Weber, S. 322 et 323.

123. An pars laborans aliquo occulto defectu illud comparti aperire tenetur ante sponsalia, vel, iis contractis, ante matrimonium?

a. Tenetur, si defectus ille foret perniciosus vel iniuriosus alteri parti, v. gr. si puella sit gravida, si sponsus morbo venereo laboret, vel aere alieno gravetur, etc. Ratio est, quia sicut peccat contra iustitiam, qui credenti se bonas merces emere, vendit noxias, ita, a fortiori, qui cum defectu pernicioso vult matrimonium contrahere. Ergo, si defectum aperire nolit, a contrahendo abstinere debet.

b. Non vero tenetur, si defectus non reddat nuptias perniciosas, sed tantum minus appetibiles v. gr. si puella, quae putatur virgo, sit corrupta; si, quae putatur nobilis aut dives, sit ignobilis vel pauper. Ratio est, quia consuetudine receptum est, ad eiusmodi defectus alteri manifestandos neminem teneri. Insuper nemo tenetur manifestare suum defectum cum pro-

pria infamia, quando defectus non laedit ius grave alterius. Ita S. Lig., n. 864 et alii communiter.

124. An et quatenus sponsalia dissolvuntur si alteruter sponsorum ad statum perfectiorem se convertat?

Praenotandum. Status perfectior is intelligitur, qui obligationem secumfert Deo specialius inserviendi, maxime autem castitatis servandae, ideoque cum statu coniugali incompatibilis est. Ad eiusmodi igitur statum is convertitur qui aut religionem profitetur, aut subdiaconatum suscipit, aut castitatem perpetuam vovet.

Multi auctores docent, unamquamque partem posse tuta conscientia et absque ullo compartis praeiudicio non tantum religionem cum votis sollemnibus profiteri — quod sponsis quibuslibet [1]) conceditur in c. 16 *de sponsalibus* necnon in capp. 2 et 7 *de conversione coniugatorum* (III, 32) — sed etiam ordines suscipere aut castitatem perpetuam simpliciter (i. e. non-sollemniter) vovere. Ratio est, quia sponsalia quaelibet censeri debent sub hac tacita conditione contracta fuisse: „nisi superveniat vocatio ad statum superiorem". Vide S. Lig., n. 869—874; Gasp., n. 144; Rosset, II, n. 1003 sequ. — Excipiunt tamen casum, quo sponsus a sponsa copulam obtinuerit sub formali promissione matrimonii, aut ei teneatur damnum reparare, quod nisi matrimonio reparari non potest, puta quia legitimari debet proles iam suscepta.

Alii vero putant, praedictam conditionem tacitam, quae quibuslibet sponsalibus inesset, nullo iure probari. Contra, docent, privilegium conversionis, quod in citatis decretalibus favore professionis religiosae est constitutum, non posse ad alios status perfectiores extendi, nec proinde aut viro licere sacros suscipere ordines, aut sponsorum alterutri aliquod emittere votum (praeter votum de religione ingredienda) quo praeiudicium inferat comparti. Ita e. g. Billuart *De matr.*,

---

1) In citatis decretalibus id expresse quidem conceditur sponsis „de praesenti" (i.e. matrimonio rato coniunctis), sed ideo implicite, scl. *a fortiori*, sponsis „de futuro". Hoc autem privilegium, quamvis quoad illos Codice (can. 542, sub 1°) abrogatum, quoad hos tamen permansisse videtur.

Diss. II, Art. V in fine, Feye, n. 565 et alii multi apud Rosset, l. c. n. 1001.

Quidquid autem sit de hac quaestione, qui comparti animum manifestat amplectendi statum quomodocumque perfectiorem, is eo ipso censetur iuri suo renunciare, plenamque libertatem comparti restituere. Quod propabilius de eo quoque dicendum est, qui vel solum minores ordines aut primam tonsuram suscipere se velle comparti patefaceret. Nam secundum disciplinam hodie vigentem, ordines illi, quamvis per se cum statu coniugali incompatibiles non sint, merito tamen considerantur tamquam via ad ipsos ordines maiores. Can. 973, § 1.

Sed quid de ipso renunciante? An et quomodo solvitur obligatio ipsius erga compartem, in hypothesi nempe quod haec iure suo non abdicet?

Imprimis certum est, ipsum eiusmodi renunciantem plene et absolute obligatione sua non solvi, nisi de facto susceperit statum perfectiorem perpetuum, i. e. nisi aut professionem religiosam cum votis perpetuis fecerit, aut subdiaconatum susceperit. Ex altera tamen parte in utroque isto casu obligatione sua solvitur adeo absolute, ut, etiamsi postea Romanus Pontifex dispensationem ei concedat qua in saeculum regredi possit, obligatio sponsalitia nihilominus extincta maneat, nec reviviscat. Nam, tum professione religiosa cum votis perpetuis, tum susceptione subdiaconatus inducitur status de se perpetuus, quo proinde sponsalitia obligatio non mere suspenditur (uti probabilius contingit, si cum tertia persona matrimonium contrahitur), sed perpetuo extinguitur.

Contra vero, quamdiu status de se perpetuus susceptus nondum fuerit (puta quia locum habuit merus ingressus in religionem vel in seminarium, aut professio religiosa mere temporanea, aut susceptio ordinum minorum tantum) posteaque contingat vel animum mutari, vel tempore transacto ad saecularia rediri, obligatio sponsalitia iterum reviviscet, poteritque denuo per aliam partem urgeri, nisi haec eam interim expresse vel tacite remiserit.

125. Quid efficiunt, respectu obligationis sponsalitiae, vota de

statu perfectiori in futurum amplectendo, cuiusmodi sunt: votum religionem ingrediendi aut suscipiendi sacros ordines?

a. Imprimis certum est, votum ingrediendi aliquam religionem cum votis perpetuis licite ab alterutro sponso, altero licet invito, emitti. Idque ob saepedictum privilegium, professioni religiosae in c. 7 de *conv. coniugat.* concessum. Quinimo, qui ita vovet, tenetur ad religionem revera ingrediendum. Quia tamen per solum ingressum in religionem quis nondum constituitur in statu perpetuo, sponsalitia obligatio suspendetur, donec ipsa professio secuta fuerit.

b. Votum suscipiendi ordines alii (e. g. Billuart, Feye) docent licite non posse, nisi consentiente sponsa, a sponso adimpleri; hinc nihil efficere respectu obligationis sponsalitiae. Alii vero, qui per eiusmodi votum nihil praeiudicii sponsae inferri autumant, consequenter tenent, illud posse et imo debere a sponso quantocius impleri; hunc proinde statim et perpetuo sponsalitia obligatione liberari, dummodo tamen votum emiserit *bona fide,* i. e. absque spe dolosa dispensationem a voto ordinis sacri impetrandi, eaque impetrata aliam mulierem ducendi. Tunc enim, inquiunt, impetrata forte dispensatione, obligatio erga priorem sponsam revivisceret.

126. An et quatenus rescinduntur sponsalia, quibus aliquod supervenit impedimentum dirimens matrimonii?

a. Si quod supervenit impedimentum sit iuris naturalis ideoque indispensabile, e. g. impotentia vel amentia perpetua, sponsalia ipso facto omnino corruunt: nam impossibilium nulla est obligatio.

b. Si superveniat impedimentum ligaminis, eo scl. quod alteruter sponsorum interim matrimonio iungatur cum tertia persona, sponsalia quoad eam quidem partem, cui fides violatur, extinguuntur omnino; quoad eam vero, quae fidem ipsa violavit alteri, probabilius non prorsus extinguuntur sed suspenduntur tantummodo; nam eorum obligatio est de se perpetua. Gury, Casus, II, n. 844 et 845;

c. Si supervenerit publica honestas ex matrimonio invalido aut ex publico vel notorio concubinatu, ab uno sponsorum inito aut instituto cum persona alteri in primo

vel secundo gradu lineae rectae consanguinea, pars innocens utique omnino libera existit ; sed pars culpabilis, rupto vinculo invalido vel nefario, sponsalitiam obligationem, si compars exigat, adimplere tenetur, petendo scl. dispensationem.

127. Utrum in vinculo sponsalitio dispensari possit.

Vinculum sponsalitium, uti notatum est n. 114, est vinculum iuris naturae. Hinc potestas Ecclesiae illud per dispensationem relaxandi iam a priori videtur exclusa. Nihilominus, Codice nondum vigente, R. Pontifex aliquando, de consilio S. C. C., litibus, super sponsalitia obligatione coram se motis, finem imponebat per rescriptum, quod vocabatur *dispensatio.* Vide Gasp., n. 1057 et 1610. At, uti recte videtur docere Feye, n. 601, eiusmodi rescriptum nonnisi sensu quodam latiori et improprie dispensatio dicebatur, quum proprie non esset nisi auctoritativa *declaratio,* qua nempe R. Pontifex in casibus omnino peculiaribus, in quibus scl. nulla ex recensitis canonicis dissolutionis causis certo verificabatur, nihilominus, tamquam supremus iuris naturalis interpres, ob causam sibi cognitam declarabat, sponsalitiam obligationem corruisse.

128. Quodsi sponsi de iustitia causae dissolutionis dissentiant, daturne tunc reclamanti actio in foro externo de sponsalibus non dissolvendis ?

Comm. Pont., in decisione supra iam citata, respondit: „Negative, seu non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium." Unde, si actionem ad reparationem damnorum (n. 113, *b*) excipias, res tota relinquitur foro conscientiae.

Quare mirum non est Codicem, in canonibus de cognoscendis et definiendis causis matrimonialibus (can. 1960—1992), nihil omnino tradere de causis sponsalitiis.

PARS III

DE IIS QUAE MATRIMONII CELEBRATIONI PRAEMITTI DEBENT

---

129. Quaenam matrimonii celebrationi praemitti debent?

Praemitti debent 1⁰ examen de sponsorum statu libero; 2⁰ publicationes matrimoniales; 3⁰ sponsorum instructio et praeparatio. De quibus totidem capitibus.

Caput I. Examen de statu libero

130. Quid „status liber" sponsorum?

Est eorum libertas seu immunitas ab omni quod in foro externo validae ac licitae matrimonii celebrationi obsistere posset, praesertim immunitas a quolibet matrimonii impedimento [1]).

131. Utrum et quatenus de statu libero sponsorum constare debeat.

„Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere." Can. 1019, § 1.

„Constare" autem id dicitur, cuius scientia habetur ex argumentis non mere negativis aut coniecturalibus, sed ex positivis ac certis, quod proinde fulcitur probationibus a iure requisitis." Cfr. can. 1097, § 1, 1⁰.

132. Status liberi probationes, quomodo colligendae?

Praeterquam publica matrimonii denunciatione, de qua Cap. II, colligendae sunt diligenti parochi investigatione

---

1) Germanice „lediger Stand", quo tamen praecipue indicatur immunitas ab impedimento *ligaminis*; olim etiam ab impedimento *sponsalium*.

et allatis sponsorum testimoniis baptismalibus. Unicus datur casus exceptus, scl. mortis periculum, in quo „si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento." Can. 1019, § 2.

Art. I. *De parochi investigatione.*

133. De investigandi officio haec habet can. 1020:

„§ 1. Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet."

„§ 2. Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier, praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat."

„§ 3. Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare."

Quare etiam prae oculis habeantur decreta Concilii nostri Provincialis et statuta dioecesana huc facientia.

134. Canonem explicantes in primis quaerimus: Quinam parochus debet de statu libero investigare?

Debet ille „cui ius est assistendi matrimonio", secundum inferius (Parte VII) dicenda.

Quodsi sponsi habeant parochos diversos, investigatio utriusque pertinet ad parochum sponsae. Cfr. can. 1097, § 2 et C. P., p. 180.

134 *bis.* Debetne parochus investigare per seipsum?

Quamvis parochus alium sacerdotem ad hoc deputare possit, id tamen temere et pro lubitu non fiat. Ita S. D., p. 58.

135. Quo tempore investigatio peragenda?

Peragenda est „opportuno antea (i.e. ante matrimonii celebrationem) tempore". (§ 1).

Tempus autem opportunum est quod matrimonii publica-

tiones antecedit [1]), vel etiam quod antecedit sponsalia, si ad haec parochus adhibeatur [2]). Quodsi, initis sponsalibus, matrimonium diu differatur, investigatio ante illius denunciationem denuo peragatur.

Laudabiliter sane curabit parochus, hunc primum gressum ad matrimonii sacramentum fieri a sponsis antequam civili officialatui se sistant.

136. Apud quem vel quosnam parochus investigare debet?

Primario apud ipsos nupturientes (§ 2). Hi enim tum generatim possunt prae ceteris haberi melius informati de iis quae validae ac licitae matrimonii celebrationi forte obsistant, tum in specie soli sunt qui circa quaedam (e.g. circa consensum libere praestandum) respondere valeant.

Nonnumquam tamen etiam apud alios suppletorie investigandum erit, e.g. circa aliquem remotiorem consanguinitatis gradum, qui forte matrimonium impediat.

137. Circa quaenam investigandum?

I. Circa ea quibus pateat num ipse investigans sit competens, i. e. num matrimonii negotium vere ad se pertineat an potius ad alium parochum, cui sponsi tunc dirigantur. Hinc videat num quoad alterutrum saltem sponsorum (nominatim quoad sponsam) domicilium, commoratio menstrua, vel saltem qualiscumque commoratio actualis in paroecia verificetur.

II. Circa parochias, in quibus sponsi sint de iure proclamandi. Vide n. 151, sequ.

III. Circa eas coniugandorum qualitates, quibus induci possit alicuius canonis matrimonialis observandi ratio, nempe *a.* utrum sint sui iuris an parentum vel tutorum potestati obnoxii (cfr. n. 261); *b.* an uterque sit catholicus, nec iis accensendus de quibus can. 1065 et 1066 (cfr. n. 243); *c.* an forte alteruter vel uterque aliis nuptiis iunctus iam fuerit, quo casu „inquisitio, utrum de morte prioris coniugis

---

1) Ita Synodi nostrates omnes.

2) Knecht, S. 40 et 46.

certo constet, a parocho facienda est" [1]); *d.* an alteruter vel uterque sit vagus, quo casu ad matrimonium procedi non potest nisi de licentia Ordinarii (can. 1032 et inferius n. 175).

III. Circa eorumdem, praesertim mulieris, quoad matrimonium contrahendum animi libertatem, utrum nempe libenter et a nemine coacti in matrimonium vicissim coniungantur.

IV. Circa eorumdem immunitatem ab omni impedimento. Rite vero notetur, nec sponsos nec alios interrogandos esse nisi de impedimentis quae natura aut cognitione publica sunt (vide n. 185, 4⁰). Occultorum enim impedimentorum exploratio ad confessarium spectat. S. D. n. 57. Quo tamen statuto ea tantum impedimenta occulta parochi investigationi subtrahuntur, quae, utpote ex peccato orta, in foro conscientiae natura sua latent, cuiusmodi olim erat affinitas ex copula fornicaria et etiam hodie est impedimentum criminis. Nihil enim obstat quominus parochus, si ad hoc ansa sibi praebeatur, prudenter et seorsim sponsos de iis interroget impedimentis quae quamvis vulgo tradi non soleant, ad dictum tamen forum per se non pertinent, nempe de voto prohibente et de impotentia coeundi.

V. Circa eorumdem scientiam de rebus fidei, videlicet num ea calleant, quae scitu necessaria sunt necessitate medii et praecepti, et an sciant modum conferendi Baptismum in necessitate. S. D., p. 56.

VI. Circa eorumdem idoneitatem legis civilis formalitatibus quoad omnia satisfaciendi [2]).

1) S. D., p. 57 ei inferius n. 281.

2) Onze burgerlijke wet vordert:

1⁰ aangifte van het voorgenomen huwelijk, te doen door beiden de aanstaande echtgenooten (hetzij in persoon hetzij in geschrifte) bij den ambtenaar van den burgerlijken stand der woonplaats van één hunner. B. W. artt. 105 en 106. Deze woonplaats is de burgerlijke gemeente, waar één hunner, meerderjarig zijnde, is ingeschreven. Bij onmondigheid is deze woonplaats de gemeente, waar diegene der ouders die de ouderlijke macht uitoefent of waar de voogd is ingeschreven B. W. art. 78;

2⁰ afkondiging van het voorgenomen huwelijk door middel van aanplakking op Zaterdag aan het huis der gemeente. Het geschrift, waarbij die afkondiging (door de zorg van den ambtenaar van den burgerlijken stand) te geschieden heeft, zal gedurende tien dagen aangeplakt blijven. B. W. art. 107, alin. 1;

138. Haec investigatio, quatenus apud ipsos sponsos instituenda, qua ratione facienda est?

Circa pleraque praedictorum fieri poterit apud sponsos ambo simul parocho praesentes, seu in *examine sponsorum*, quod vocatur. Attamen can. 1020, § 2 iubet tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interrogare. Quod tamen putamus ea tantum investigationis puncta respicere, quorum investigatio, seorsum non peracta, alterutri vel utrique sponso aut timorem aut perturbationem incuteret.

3° overlegging der navolgende akten;

a. geboorte-akten van ieder der aanstaande echtgenooten. B. W. art. 126, 1°;

b. eene akte, door eenen ambtenaar van den burgerlijken stand opgemaakt, of een andere authentieke (notariëele) akte, houdende de toestemming dergenen, wier toestemming door de wet vereischt wordt (zie hierna, n. 253[1]). B. W. art. 125, 2°. De hier bedoelde akten zijn niet noodig, indien de persoon wiens toestemming vereischt wordt persoonlijk bij de voltrekking des huwelijks, en dus ook bij het opmaken der huwelijksakte, tegenwoordig kan zijn;

c. verlof van den rechter om zonder verkregen toestemming, als boven, te mogen huwen (zie hierna 253[1], IV);

d. notariëele akte van onvermogen om zijn wil te verklaren, bijaldien zulk onvermogen bestaan mocht voor een der personen, wier toestemming tot het huwelijk gevorderd wordt;

e. akte van overlijden van den vorigen echtgenoot of der vorige echtgenooten, bijaldien een of beide der aanstaande echtgenooten gehuwd is geweest (bij „gescheiden" echtgenooten: de akte van echtscheiding of afschrift van het verlof van den rechter, bij afwezigheid van den anderen echtgenoot verleend);

f. akten van overlijden van al degenen wier toestemming tot het huwelijk vereischt zou zijn geweest.

Akten van geboorte en overlijden kan men halen of per brief aanvragen bij den ambtenaar van den Burgerl. Stand der gemeente, waar de betrokken persoon geboren of overleden is. Haalt men ze persoonlijk of laat men ze halen, dan moet voor iedere akte f 0.25 betaald worden, tenzij men een bewijs van onvermogen overlegge, afgegeven door den burgemeester van de gemeente der inwoning. Ontbiedt men ze per brief, dan moet men er bovendien de noodige frankeer-zegels bij insluiten.

Notariëele akten van toestemming kosten, behalve hetgeen den notaris verschuldigd is, f 2.07½ aan zegel, getuigenloon en registratie. Burgerlijke-stand-akten van toestemming kosten slechts f 0.25.

139. Num investigatio etiam fieri debet a parocho de praedictis iam moraliter certo?

Quoad explorandam sponsorum immunitatem ab impedimentis necnon omnimodam consensus libertatem, affirmative. Haec enim duo lege can. 1020, § 2 expresse praecipiuntur. Quae lex, haud secus ac (secundum omnes) lex bannorum (n. 146), non obstante morali illa certitudine, observanda manet. Quod confirmat exceptio ipsa lege apposita quoad explorandam sponsorum scientiam de rebus fidei in casu quo „ob personarum qualitatem haec ... interrogatio inutilis appareat".

Art. II. *De testimoniis baptismalibus.*

140. Quorumnam nupturientium testimonia baptismalia debet parochus matrimonii exigere?

Eorum omnium, quibus baptismus non in suo ipsius territorio fuerit collatus, non tantum catholicorum sed etiam acatholicorum (ex dispensatione in impedimento mixtae religiones cum catholicis nupturientium); nisi agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, quo casu de testimonio baptismali partis acatholicae non est curandum. Ita ex can. 1021, § 1.

141. Quid testimonia baptismalia statui libero sponsorum probando conferre possunt?

Quum vi can. 470, § 2 in libris baptizatorum, praeter ipsa baptismata, „adnotetur quoque si baptizatus ... matrimonium contraxerit [1] ... aut sacrum subdiaconatus ordinem susceperit, vel professionem sollemnem emiserit", quumque vi eiusdem canonis eaedem adnotationes in documenta accepti baptismatis sint referendae, ideo haec documenta directe conferunt detegendo, si qua exstent, impedimenta disparitatis cultus, ligaminis, ordinis sacri et voti sollemnis.

Haec utique solos c a t h o l i c e baptizatos respiciunt. Quoad acatholice baptizatos testimonium baptismale, quatenus saltem

[1] Insuper ex can. 1988: si matrimonium sententia iudicis ecclesiastici nullum declaratum fuerit. De solis matrimoniis, quae „conscientiae" vocantur, liber baptismalis probationem non praebet. Vide can. 1107.

factum accepti Baptismatis demonstrat, conferre potest ad probandam solam nupturientis immunitatem ab impedimento disparitatis cultus. Aliorum enim impedimentorum argumenta libri baptismales acatholicorum, quod scimus, non continent.

142. Ut testimonia baptismalia vim probandi hac in re exserant, quid in eis requiritur?

Praeter indubia authentiae indicia, requiritur, saltem quoad nupturientes catholicos, documentum recens, nec sufficit editum a multo iam tempore, e. g. a prima S. Communione. Quod manifesto postulat finis can. 1021, § 1, qui, saltem primario, est status liber ex iis adnotationibus probandus (can. 470, § 2), quarum ultima forte recentius tantum baptismali libro inserta fuit. Quare nonnullae synodi postulant documentum trimestri non antiquius [1]).

Quoad nupturientes acatholicos, quum de solo probando eorum baptismo agatur, documentum etiam antiquum, sufficere videtur.

Nota. Praeter finem probandi status liberi sponsorum can. 1021, § 1 etiam intendit probationem susceptorum Sacramentorum Baptismatis et S. Chrismatis. Cfr. ibid. § 2 et can. 470, § 2 „si confirmationem receperit".

Caput II. De publicationibus matrimonialibus

143. Quid publicatio matrimonialis?

Publicatio (proclamatio, denunciatio) matrimonialis est publicum edictum, quo fideles certiorantur de matrimonio inter certas personas contrahendo.

Nomen huic edicto passim applicatum est „bannum", qua germanica voce primario quidem denotatur iurisdictio et locus seu territorium [2]) ubi iurisdictio exercetur; sed deinde etiam denotatur iurisdictionis exercitium per edictum publicum.

Brevitatis causa publicationes matrimoniales hoc „bannorum" nomine deinceps vocabimus.

---

1) Schaepm. *C. en H.*, blz. 9.

2) Du Cange, Glossarium, ad *Bannum*; Kluyver, *Woordenb.*, II, 948.

Art. I. *De lege bannorum generatim.*

144. Legis canonicae de bannis quinam ortus et progressus?

Usum publice proclamandi matrimonia, eo praecipue fine ut facilius detegerentur impedimenta matrimonii forte existentia, consuetudine particulari (praesertim in Gallia) introductum, Conc. Lat. IV, in legem universalem transtulit [1]). Quam dispositionem renovavit Conc. Trid. in cap. „Tametsi" [2]) praescribens „ut antequam matrimonium contrahatur ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis, in ecclesia, inter missarum sollemnia publice denuncietur, inter quos sit matrimonium contrahendum". Quam tridentinam legem Codex iisdem fere verbis repetit, additis tamen nonnullis tum modificationibus, tum novis dispositionibus. Cann. 1022—1028.

145. Quaenam huius legis v i s et o b l i g a t i o?

Vis legis est m e r e p r a e c e p t i v a absque ulla vi matrimonia sine bannis contracta irritandi, quia nec Conc. Lateran., nec Tridentinum, nec Codex ullam clausulam irritantem apposuerunt.

Obligatio vero huius legis est, secundum omnes, de se g r a v i s, idque tum quoad parochum tum quoad nupturientes; quam obligationis gravitatem suadent primo quidem verba a Concilio Lateranensi („penitus inhibemus") adhibita; dein momentosus legis finis (n. 144), ac denique poenae ei olim adiectae (n. 148).

146. Utrum lex bannorum obliget etiam parochum de nullius impedimenti existentia moraliter certum?

Affirmative, secundum omnes. In primis enim non cessat lex, si eius causa finalis cessat in casu particulari tantum. Deinde, difficile parochus omnino certus esse potest, nullum impedimentum matrimonio obstare et, licet nullum impedimentum appareat ante bannorum proclamationem, fieri tamen potest, ut iis proclamatis aliquod superveniat. Praeterea, si legis huius applicatio in casibus particularibus iudicio paro-

1) C. 3 *de cland. despons.* (IV, 3).
2) Sess. XXIV, cap. 1. *de ref. matr.*

chorum relinqueretur, ipsa lex facile posset in desuetudinem abire, et consecutio finis legis, seu impedimentorum revelatio in multis casibus certissime frustraretur. Adde denique, praeter hunc finem primarium etiam alios esse eiusdem legis fines, e. g. ne matrimonia filiorum familias invitis insciisve parentibus vel tutoribus ineantur, ut fideles ad orandum pro futuris coniugibus excitentur, ipsique sponsi opportune de necessitate moneantur, se, decurrente bannorum tempore, ad sacramenti matrimonii susceptionem rite praeparandi.

146 *bis.* Num lex bannorum admittit parvitatem materiae, ita ut v. gr. unam ex tribus denunciationibus sine iusta causa omittere sit peccatum veniale tantum?

Secundum multos [1]) negative, quia 1^0 etiam una proclamatio est pars notabilis ac gravis huius praecepti; 2^0 quia Ben. XIV [2]) de hac lege adaequate sumpta dicit: „canonicas ordinationes super denunciationibus ... non sine gravi animi angore conscientiaeque stimulo servandas" esse; 3^0 Ecclesia, ob gravitatem materiae, Episcoporum, non autem parochorum prudentiae reliquit, quando denunciatio sit omittenda; ipsi autem Episcopi in Const. Ben. XIV. „Satis vobis" gravissime monentur, ut sint „difficiliores ad remittendas publicationes" [3]).

Alii vero [4]) secundum S. Alphonsum „probabiliter" sentiunt, hoc esse veniale tantum, dummodo parochus certo sciat, nullum subesse impedimentum; idque quia tali casu materia nonnisi levis adesse videtur.

Communissime vero, et certo probabilius, auctores tenent, duas publicationes omittere quolibet casu esse peccatum mortale.

147. Quaenam causa iusta banna omitendi?

Eiusmodi causa est in primis necessitas matrimonium quantocius ineundi, coniuncta cum impossibilitate ad dispensationem aliquo modo petendam et debito tempore obtinendam. Tali

1) Zitelli, p. 371; Rosset, n. 1089; cfr. S. Lig., n. 990.
2) Const. „Nimiam licentiam", 18 Maii 1743, § 14 (*Bull.*, t. 2, p. 131).
3) *Collect.* p. 411 (1).
4) E. g. Lehmk., n. 861; Math., n. 51.

casu parochus uti poterit *epikeia*[1]). Aliam causam praebet casus quo convalidandum sit matrimonium, quod, in forma publica ac proinde praemissis iam denunciationibus celebratum, postea, ob aliquod impedimentum natura quidem sua publicum sed de facto occultum, invalide contractum fuisse appareat. Cfr. can. 1135, § 2 et 3.

148. Lex bannorum estne etiam p o e n a l i s?

Cum nulla antiquarum poenarum in Codice mentio fiat, eae omnes vi can. 6, 5° pro abrogatis sunt habendae.

De poenis autem antiquis haec historice annotentur:

Conc. Later. IV parochum hanc in legem negligentem suspensione ferendae sententiae plectebat ab officio per triennium.

Ipsis vero contrahentibus huius legis transgressoribus condignam iubebat iniungi poenitentiam, eosque si forte, licet de caetero bona fide, invalide contraxissent, privilegio illo privabat quo secus proles, e matrimonio putativo suscepta, legitima censebatur. Insuper Conc. Trid (S. XXV, c. 5 *de ref.* matr.) eos, absque spe dispensationis consequendae, separandos esse decrevit.

Art. II. *Legis bannorum interpretatio.*

149. Lex bannorum estne stricte an late interpretanda?

Iam antea, scilicet in explicando textu decreti tridentini de bannis (vide n. 144), alii auctores severe insistebant decreti l i t t e r a e, alii vero, faciliores se praebentes, praecipue considerabant eius scopum seu f i n e m. Hinc, inquirentes quonam t e m p o r e, quo l o c o et a qua p e r s o n a banna facienda essent, illi non admittebant media aequivalentia, sed verba stricte volebant observari; hi vero aequivalentia permittebant.

Illis universe adhaerendum iam pridem putabamus; quia, licet finis legis etiam in aliis circumstantiis, ac in eius littera sunt expressae, possit obtineri, ipsa tamen lex (tridentina) perspicuis omnino verbis c e r t a s circumstantias temporis, loci ac personarum designavit; idque quamvis legislator praedictam possibilitatem, scl. obtinendi finem legis per media

1) S. Lig., n. 991. Vide eiusmodi casus apud Lehmk, n. 866, ad IV; Gury, *Casus*, II, n. 880; Math., n. 53, 54 et 52.

aequivalentia, minime ignoraverit. Hoc autem, quod de legislatore tridentino iam valebat, multo magis nunc valet de legislatore Codicis. Hic enim substantiam legis bannorum iisdem fere verbis, quibus Conc. Tridentinum, hoc canone 1024 retulit: „Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia" ... Eodem autem hoc canone expresse legitimat publicationem, quae publicationi „inter Missarum sollemnia" aequivalet, nempe eam quae fiat „inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat". Quo tamen ipso indicare videtur, in caeteris se velle litteram canonis servatam.

Quare nisi aut necessitas, aut consuetudo, aut dispensatio Episcopi, aut denique intentio manifesta ipsius Codicis, interpretationem minus strictam permittat, ab huius canonis verbis privata auctoritate recedere parochis non licet: alioquin certa panderetur corruptelis via [1]). Quod compluribus firmatur S. C. C. declarationibus infra citandis.

§ 1. De subiecto legis bannorum.

150. Pro quibusnam matrimoniis banna sunt facienda?

Facienda sunt pro omnibus matrimoniis, exceptis tantummodo matrimoniis mixtis, quae scilicet contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis. Quinimo pro his banna fieri est canone 1026 prohibitum „nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, ea permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecésserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae."

Rationem hanc exceptionem admittendi praebere posset suspicio alicuius impedimenti, quod sola parochi investigatione satis non posset explorari.

§ 2. De paroecia et de parocho bannorum faciendorum.

151. In quanam paroecia banna sunt facienda?

1) Cfr. Feije, n. 240; Rosset, n. 1104.

Respondet can. 1023 § 1: „Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio".

Quodsi vir et mulier paroeciae sint diversae, fieri debent utrobique. Quod manifesto postulat finis legis explorandi per banna statum liberum utriusque sponsi, etiam seorsum sumpti; et aliunde expresse praescribitur in Rituali Rom., Tit. VII, C. 1, n. 8. Hic igitur applica quae de parocho proprio superius (n. 63 et sequ.) exposuimus. Lehmk. (n. 863, III, 2), nullo adducto argumento excipit casum, quo paroeciae sint „valde vicinae". Attamen hac admissa exceptione nec litterae legis satisfit, nec, in multis saltem casibus, ut in paroeciis civitatensibus ac generatim maioribus — eius scopo satisfiet.

152. Quid si alterutur vel uterque sponsus plura habeat domicilia, vel unum aut plura domicilia et insuper quasi-domicilium?

Nisi obtineatur dispensatio, banna in omnibus illis locis fiant necesse est, quia eorum omnium parochus revera est parochus proprius [1]).

Haec quaestio praesertim quoad filiosfamilias practica esse potest. Siquidem hi sint „minores" at infantia egressi (can. 93, § 2; cfr. can. 88, § 1), possunt quasi-domicilium proprium obtinere, quo tamen non amittunt domicilium eorum, quorum potestati subiiciuntur; imo hoc domicilium necessario retinent. De his igitur nullum dubium quin in utroque domicilio parochum proprium sortiantur ideoque proclamandi sint.

Sin autem sint „maiores", praeter quasi-domicilium quod sibi fixerint, possunt, si ita velint, etiam domicilium v. gr. parentum suorum retinere. Quod reapse continget si, quasi-domicilium (e. g. in loco famulatus) constituturi, quoad domicilium parentum animum illuc tamquam in domicilium revertendi non deponant, seu domicilio illi non renuncient. Utrum autem necne renunciaverint, id quolibet casu adeo facile non patescet; ideoque saepe etiam dubium manebit sintne, an non, etiam in domicilio parentum proclamandi. Generatim res praesertim a consuetudine pendebit. Inde forte ex-

1) Ita cum Feye, n. 251, 2⁰; Lehmk., n. 862, III, 2; Gasp., n. 209. Cfr. Instr. Austr., § 61.

plicari potest cur nonnulla Concilia Provincialia recentiora [1]) illorum matrimonia, praeterquam in paroecia quasi-domicilii, etiam in domicilio parentum (vel tutorum) proclamari iubeant; quod tamen ab aliis synodis minime postulatur. Etiam nostrae synodi nihil ea de re statuunt. Unde, quoad obligationem banna etiam in loco parentum faciendi, servetur praxis in unaquaque diocesi vigens. Nil utique obstat ea facienda curare si ipse nupturiens id petat.

153. Vagi ubinam proclamandi?

„Connubia vagorum et aliorum qui incertas sedes habent denuncientur tum in loco in quo actualiter degunt et matrimonium sunt contracturi, tum in loco orginis, vel saltem in loco in quo diutius commorati sunt." Ita S. D., p. 58, cuius hac in re statutum, etsi quoad alteram suam partem („tum in loco originis . . ." etc.) sit *praeter* ius Codicis, non tamen est *contra* (cfr. can. 6, 1°) ideoque vigorem obtinet ex can 1020, § 3. Quod de similibus statutis iuris nostri particularis, mox adducendis pariter teneatur.

154. Ubinam proclamandi sunt milites.

„Militum matrimonia proclamentur in propria parochia, et in illa in qua actu morantur." S. D., l. c.

155. Utrum banna etiam in domicilio (quasi-domicilio) recenter derelicto sint facienda?

„Institui debent proclamationes in parochia utriusque sponsi, etiam in ea quam reliquerunt, nisi iam a sex mensibus eam deseruerint" [2]).

Ratio huius dispositionis est evidens: scl. proclamatio matrimonii in solo domicilio recenter acquisito, ubi nupturiens forsan omnino paucis adhuc notus est, parum conferret ad finem legis obtinendum. Caeterum haec dispositio est potius *secundum* quam praeter legem Codicis, scl. secundum can 1023, § 2, de quo infra ex professo [3]).

1) Lehmk., n. 863.

2) Ita C. P., p. 178. Cfr. S. C. C. in Senogallien., 3 Apr. 1734 apud Richter, n. 28.

3) Cfr. inferius n. 170, 1° et 171 necnon Prosyn. Harl. 1919, VI, p. 3

Nota. „Casu quo sponsi, praeterquam in sua parochia, etiam in alia parochia proclamandi sunt, non tantum illorum nomina sed locus quoque habitationis (straat en huisnummer) huius parochiae rectori communicentur." Hoc statutum prosynodale Harlemense (1917, IV, 1⁰) sane continet monitum generaliter practicum.

156. Parochus proprius potestne banna etiam per alium proclamare? Et, si affirmative, potestne ad hoc eum delegare qui non est sacerdos?

Ad 1^m. Nomine parochi proprii, ex communi interpretatione et praxi, hîc etiam vicarius parochi comprehenditur. Imo communissime docent auctores, banna licite fieri per quemlibet alium sacerdotem. Idque ob manifestam mentem legislatoris, concedentis, ut ex parochi delegatione „alius sacerdos" possit ipsi matrimonio assistere (can. 1094), ideoque a fortiori matrimonii denunciationem alii sacerdoti committendam permittere videtur. Siquidem „cui licet quod est plus, licet utique quod est minus", uti habet *regula* 54 *iuris* in 6⁰. Math., n. 56.

Ad 2^m. Communius auctores [1]), tenent, banna licite proclamari per diaconum, et imo iuxta eosdem, excepto Rosset, per clericum etiam inferiorem, dummodo non fiant per laicum (cfr. tamen Math., n. 56). Et ratio est, quia ex una parte non obstant illa verba „a proprio parocho": his enim non prohibetur parochus suas vices alteri committere, uti dictum est ad 1^m. Ex altera autem parte nulla solida ratio allegari potest, cur parochi delegatus hac in re necessario deberet esse sacerdos, sicut expresse requiritur quoad eum qui loco parochi ipsi assistit matrimonio. — Minus tamen congruere videtur, quod huiusmodi minus publicum et inter divina officia obeundum exerceatur per aliquem laicum aut (sec. Rosset) per simplicem clericum. Quinimo Rosset ipsum diaconum supponit ab Episcopo ad praedicandum verbum Dei approbatum. Sed hanc limitationem alii auctores modo citati non apponunt. Hinc non videtur improbanda consuetudo

1) Feye, n. 250; Gasp., n. 208; Rosset, n. 1126; Math., n. 56, paucis contradicentibus, e. g. Theologus Romanus in nota ad Luc. Ferraris *Prompta bibliotheca*, ad *v. Matrimonium*, Art. IV, n. 24.

seu praxis, qua parochi huius dioecesis seminaristis, in ordine diaconatus constitutis et feriarum tempore ad altare ministrantibus, una cum aliis eo die proclamandis, etiam matrimonia paroecianorum denuncianda committunt.

§ 3. De tempore bannorum faciendorum.

157. Can. 1024 postulat ut banna „fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto ... inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat." Quam ob causam et quo sensu requiruntur tres dies continui, seu nullo alio die apto interrupti?

Ad 1m. Requiruntur dies continui, ne ex interruptione fideles desides fiant in impedimentis explorandis et manifestandis, falso forte putantes, sibi ad hoc tempus adhuc abunde suppetere, vel matrimonii ineundi propositum esse dimissum.

Ad 2m. Sensum huius requisiti pro casu trium dierum aptorum sibi immediate et sine allo intervallo succedentium [1]) Synodus nostra dioecesana (p. 59) cum multorum doctrina ita est interpretata, ut tali casu unum alterumve vel paucos dies interponendos statuat. Quod etiam servandum iubet si, dispensato in una denunciatione, duo dies apti immediate sibi succedant. Ratio est quia in huiusmodi casibus, servata littera legis tantum, tempus nimis breve relinqueretur impedimentis indagandis et revelandis et sic finis legis facilius frustraretur. Quod esset contra *regulam iuris* 88 in VI0: „Certum est, quod is committit in legem, qui, verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem."

158. Num etiam festa suppressa apta sunt ad banna facienda?

Codice nondum vigente, etiam festa suppressa secundum multos auctores [2]) comprehendebantur nomine dierum „festivorum" a Concilio Tridentino adhibito, saltem in hypothesi

1) Qui casus hodie vix aliter occurrat nisi festo Nativitatis Domini incidente aut in IIam aut in VIam hebdomadae feriam; ac ne tunc quidem si in festo suppresso S. Stephani banna fieri prohibitum habeatur. Cfr. inferius n. 158.

2) Lehmk., n. 862, II, 2; Gury. Ball, n. 736; Pezzani, p. II, vol I, p. 206.

quod huiusmodi festa frequenti populi accessu ad divina officia adhuc celebrarentur. Idque erat valde probabile, quia, ratione externae festivitatis qua celebrabantur, vero aliquo sensu „festivi" vocari poterant. Nihilominus multi alii auctores huic interpretationi non subscribebant [1]). At vero legislator Codicis, hanc controversiam prae oculis licet habens et nihilominus dies festivos *de praecepto* postulans, eam in favorem posterioris sententiae diremisse videtur [2]). Manet quidem Ordinariis facultas in lege bannorum, etiam (et a fortiori) in hac parte, dispensandi; sed secundum naturam dispensationis, quae est „legis in casu speciali relaratio" (can. 80), ea facultas ad generales concessiones non videtur extendenda [3]). Cui tamen doctrinae Prosyn, Harl. 1913, V, et, in huius consequentia, praxis nostrae dioecesis, hucusque nondum consonat.

Multo minus banna legitime fiunt diebus profestis et ferialibus, quantumvis in eis sit frequens concursus populi ad ecclesiam. Ita cum v. d. Burgt, p. 362 et Feije, n. 246 contra Gury, n. 736 et Dens, p. 47. Cfr. Aertn.[6], L. VI, n. 464.

159. Num banna fieri possunt tempore, quod olim „clausum" seu „feriatum" vocabatur, scl. in Adventu et Quadragesima?

Affirmative, quia secundum can. 1108, § 1 „ipsum matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest"; ideoque, si eo tempore sit contrahendum, banna fieri non tantum possunt, sed etiam debent.

160. Quomodo intelligendum est, banna fieri debere „intra missarum sollemnia"?

Secundum acta in Conv. provinciali 22 Julii 1868 requisito illi in hac provincia ecclesiastica satisfit licet banna fiant in missa non-cantata [4]), dummodo sit missa quae hora

---

1) Gasp., n. 212; Rosset, n. 1112; Silbernagl, S. 587; Tilloy, n. 2353.

2) Cfr. Haring in *Theol. Quartalschr.* (Linz), 1918, S. 25.

Ita etiam Linneborn, S. 84.

3) Aliter Schaepman. *C. en H.*, blz. 11.

4) Schaepman *C. en H.*, blz. 11, erronee dicit, banna hucusque nonnisi in missa cantata („enkel in de Hoogmis") fieri potuisse,

fixa celebranda populo annunciata fuerit. Sufficit praeterea si in una tantum ex pluribus eiusmodi missis publicatio fiat.

160 *bis.* Num extra „missarum sollemnia" banna quandoque fieri permittuntur?

Affirmative. Iure enim Codicis sufficit publicatio „inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat", v. gr. inter Vesperas vel Laudes, non autem, uti nobis quidem videtur, inter officia Congregationum, quippe quibus non intersit „populus".

161. Quanto temporis banna matrimonio praecedere debent?

Nisi rationabilis causa aliud postulet, parochus matrimonio ne assistat antequam tres dies decurrerint ab ultima publicatione. Ita Can. 1030, § 1, cuius canonis in die nuptiali figendo ratio habeatur. Prosyn. Harl., 1919, XIV. Utrum autem rationabilis causa aliud postulet, iudicio ipsius parochi relinquitur.

Huc etiam spectat statutum S. D., p. 59 „Quoties super una alterave proclamatione a Nobis vel delegato Nostro dispensatum fuerit, prohibemus, ne eo die quo posterior instituta fuerit denunciatio, matrimonium contrahatur, nisi de expressa licentia Ordinarii".

162. Num banna, a sponsis petita, aliquando sint differenda, aut, si iam incepta, suspendenda?

a. Differenda non sunt nisi in casu alicuius impedimenti publici ante inceptas publicationis detecti. Tali casu „parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit". Can. 1031, § 2, 2^0; cfr. § 1, 2^0.

b. Banna iam incepta nullo casu suspendi debent neque scl. ob ullum dubium de existentia alicuius impedimenti (can. 1031, § 1, 2^0) neque ob ullum impedimentum sive occultum sive publicum, inceptis iam publicationibus detectum (ibid. § 2). Igitur statutum Synodi nostrae dioecesanae p. 58, huic canoni oppositum, ultra iam non viget.

163. Banna rite iam peracta, quandonam repetenda? Rituale Rom., Tit. VII, c. 1, n. 11 ita habet: „Si infra duos menses post factas denunciationes matrimonium non contrahatur, denunciationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur". Cfr. Conc. Prov., p. 178. Sed Codex loco bimestris illius semestre posuit: „Si infra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur". Can. 1030, § 2. Hinc laudatum praescriptum Rit. Rom. ultra non valet.

§ 4. De loco et forma bannorum faciendorum.

164. Ad locum quod attinet, can. 1024 postulat banna „in ecclesia" fieri. Quaenam autem aedes sacrae eo nomine veniunt?

Prae caeteris venit ecclesia paroecialis, quod immediate sequitur ex eo quod matrimonium „a parocho" sit denunciandum. Unde legi non satisfit per solam denunciationem sive in aliquo oratorio (licet publico, licet eo die a plebe frequentato), sive in aliqua ecclesia (e.g. ad monasterium vel locum pium pertinente), nisi sit ipsius paroecialis ecclesiae succursalis, et simul detur ad eam frequens accessus populi [1]).

165. Quod denique ad formam attinet, in qua banna fieri oporteat, de regula ordinaria adhibeatur forma denunciationis publicae, eo modo peractae, quo populus intelligere valeat „inter quosnam matrimonium sit contrahandum". Hinc fiant in lingua vernacula, alta et intelligibili voce, expressis nupturientium nominibus, cognominibus et paroecia necnon, in denunciationibus viduorum, nomine et cognomine coniugis praemortui. Admoneantur quoque fideles si sit denunciatio prima, secunda vel tertia. Quodsi in una alterave proclamatione sit dispensatum, id pariter fidelibus notificetur. Denique iidem admoneantur si in aliquo impedimento publico iam sit dispensatum [2]).

1) Cfr. can. 1161 et A. S. S., t. 33, p. 519, sequ.

2) Vide formulam Ritualis Romani, quae quoad substantiam hoc modo referri potest: „[Met reeds verkregen kerkelijke dispensatie in den derden graad van

Praeter vero hanc formam ordinariam Codex etiam aliam induxit, nempe: „Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur." Ita Can. 1025, quo canone ad universam Ecclesiam extensum est quod S. Sedes die 28 Martii 1908 concessit Emin. Archiepo Parisiensi, qui, ad obtinendum tale indultum, ita S. Sedi scripserat: „Cum haec [oralis] denunciationum recitatio, prae magno numero matrimoniorum, per nimium tempus protahatur, fideles qui sacro intersunt et publicata nomina saepissime ignorant, taedio afficiuntur, vix capiunt quod legatur; imo, quod gravius est, avertuntur ne huic missae paroeciali intersint, et sacrum ipsum praedicationis officium valde praepeditur". *Canoniste*, 1908, p. 385.

Art. III. *De obligatione impedimenta revelandi.*

166. Utrum et quaenam detur impedimenta revelandi obligatio.

Ad 1m. „Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario ante matrimonii celebrationem revelare." Can. 1027.

Ad 2m. Haec obligatio est per se gravis, etiam quoad revelanda impedimenta quantumvis occulta, nec tantum si certa sunt sed etiam si probabilia tantum. Agitur enim de prospiciendo dignitati ac reverentiae sacramenti matrimonii, necnon spirituali bono tum ipsorum sponsorum tum reipublicae christianae.

Nota. Obligatio illa adimplenda est quamprimum moraliter, quia si forte obtineatur dispensatio unius vel alterius denunciationis, tempus ad manifestandum amplius non sup-

---

bloedverwantschap] zijn voornemens een christelijk huwelijk aan te gaan: Joannes Jacobus X [weduwnaar van Antonia Y] uit de parochie van den H. . . . te N., en Anna Maria Z. uit deze parochie, waarvan heden de eerste, (tweede, derde, laatste) afkondiging geschiedt. Degenen, wien eenig huwelijksbeletsel bekend is, zijn verplicht daarvan zoo spoedig mogelijk kennis te geven aan den pastoor".

petet. Praeterea sponsorum interest, ut quam primum fiat manifestatio, tum ut abstineant a praeparatione et impensis nuptiarum, tum ut statim petant dispensationem et queant praefixo tempore contrahere.

167. Tenenturne hac obligatione qui impedimentum cognoscunt sub secreto?

a. Secundum omnes tenentur ii, qui impedimentum cognoscunt sub secreto mere naturali, etiamsi commissum sit ac iuratum; quia eiusmodi secretum non obligat, quando damnum grave communitati vel tertiae personae imminet S. Lig., n. 994.

b. Quinimo, aliqui auctores tenent, ne quidem secretum professionale a praedicta obligatione eximere, quia maius est inconveniens seu magis contra bonum publicum quod corrumpatur matrimonium et multiplicentur concubinatus, quam quod in casu frangatur secretum professionale. Ita e.g. Rosset, II, n. 1149. Sed plerique prohabilius censent, secretum professionale propter maius suum bonum publicum, etiam in hoc casu religiose servandum esse. Gury, n. 742, qu. 1°. Idque ob eandem rationem probabiliter saltem teneas de secreto consilii, seu quod specialis cuiusdam confidentiae titulo et ad consilium capiendum (e.g. a sacerdote non parocho, ab amico intimo) commissum fuit [1]).

168. Quinam ab hac obligatione certo excusantur?

a. Confessarii, qui impedimentum nonnisi ex confessione sacramentali cognoscunt. Math., n. 69.

b. Qui nequeunt revelare absque gravi suo incommodo vel detrimento. Ratio est, quia generatim leges et charitas non obligant cum tali incommodo. Hinc non tenetur revelare cum propria infamia e. g. ancilla quae dominae suae crimen adiuvit; nec villicus, cui, si herum prodat, imminent verbera, iactura gravis, etc.

c. Qui in casu, quo de impedimento infamante agitur, noverit, dispensationem impedimenti in foro interno iam obtentam esse; dummodo tamen fama publica impedimenti nondum existat.

1) Deshayes, *Questions pratiques de droit et de morale sur le mariage.* Paris, 1898. Question 87.

169. Cuinam impedimenti manifestatio fieri debet?

Regulariter parocho (aut loci Ordinario) facienda erit, attamen:

a. si agatur de impedimento infamante, ipsi nupturientes prius monendi sunt, ut hi, si velint, sibimetipsis provideant, scl. vel a nuptiis desistendo, vel dispensationem impedimenti petendo. Deberet tamen, etiam in hoc casu impedimenti infamantis, immediate parochus adiri, si vel periculum esset in mora, vel monitio ipsorum nupturientium non profutura praevideretur;

b. haec ipsorum nupturientium vel saltem alterutrius monitio facienda est ab iis quoque, qui a revelatione parocho facienda excusantur. Cfr. n. 167, *b* et 168, *b.*

Art. IV. *De auctoritate Ordinarii ante nuptias invocanda.*

170. Quibusnam in casibus ad Ordinarium recurrendum est, antequam matrimonium ineatur?

De iure communi [1]) id requiritur:

1⁰ Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem. Can. 1023, § 2.

2⁰ Si banna sint dispensanda. Can. 1028.

3⁰ Si post parochi investigationem et banna peracta dubium de alicuius impedimenti existentia perseveret. Can. 1031, § 1, 3⁰.

4⁰ Si aliquod impedimentum certum detectum fuerit. Can. 1031, § 2.

5⁰ Si agatur de nupturiente vago. Can. 1012.

6⁰ Si maneat conflictus inter nupturientes „minores" eorumque parentes. Can. 1034.

De quorum singulis nunc singillatim.

171. Can. 1023, § 2 ita habet: „Si pars alio in loco [2]) per

1) Iure nostro particulari recursus ad Ordinarium non requiritur in casu de quo statim, n. 171, necnon in casu de quo n. 172 ad 1m, quum nempe dispensatio in una denunciatione a Decano petitur. Idem vero recursus iure particulari insuper requiritur in casu de quo n. 182, II, *c.*

2) Intelligitur locus quilibet a propria paroecia diversus. Cfr. idem can., § 1.

sex menses commorata sit post adeptam pubertatem [1]), parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat".

Ob maximam difficultatem hunc canonem quolibet casu (saltem quoad l i t t e r a m) observandi, quaerendum est, utrum et quibusnam aliis mediis eius saltem f i n e m persequi liceat.

Praenotandum est hunc canonem veluti locum obtinuisse decreti illius Clementini [2]) de *examine testium* super statu libero nupturientium. Vi illius decreti duo saltem testes debebant, ante matrimonii in ecclesia publicationem, secundum certam interrogandi formam et sub fide iuramenti, coram Ordinario eiusve delegato super statu libero utriusque nupturientis deponere, ad certitudinem iuridicam desuper obtinendam.

Quod quidem decretum, licet primario *exteros* respiceret, i.e. sponsos non pertinentes ad dioecesin in qua matrimonium esset contrahendum, necnon eos qui post nubilem aetatem in aliena dioecesi per notabile tempus essent commorati, tamen, rigorose acceptum, quoslibet sponsos respiciebat.

At vero, idem decretum in plerisque dioecesibus aut numquam in praxin deductum fuit, aut in desuetudinem abiit. Siquidem ipsum examen praedictum, singulis matrimoniis praemittendum, haud levem difficultatem iam prae se ferebat. Quam deinde recentiori tempore „non parum auxerunt longe frequentior multorum etiam in longinquas regiones transmeatio et continua saepe commigratio, impedita hodie episcoporum ad testes cogendos potestas, etc.". Feye, n. 261; v. d. Burgt, p. 355. Quare plerique Ordinarii ad alia pro circumstantiis statum liberum probandi media recurrere solebant, puta affirmationem iuratam contrahere volentium, testimonium aliorum eos notos habentium, testimonium parochi alterius dioecesis ab eius Ordinario recognitum.

Iamvero praesens canon, qui, ut iam diximus, decreti Clemen-

1) Cfr. can. 88, § 2.

2) Intelligitur decr. auctoritate Clementis X a S. C. S. Off. 21 Aug. 1676 editum (*Collect.*, n. 1363), a S. Sede etiam recentiori tempore saepius confirmatum. *Collect.* n. 1375, 1076.

tini veluti locum in Codice obtinet, quamvis disciplinam multo faciliorem statuat, et ipse tamen erit exsecutionis sat difficilis. Ut enim mittamus *exteros,* seu ad alias dioeceses pertinentes, quot hodie non sunt inter ipsos paroecianos et dioecesanos qui post annos pubertatis, sive in dioecesi sive extra, de uno loco continuo migrant in alium (causa famulatus, opificii, studii, officii publici)? Nihilominus parochus, si canoni stricte sit obediendum, de horum omnium commorationibus, ad sex menses [1]) in alio loco protactis, ad Ordinarium referre debebit, antequam ad banna progredi sibi liceat.

Quare mirum non est, inter auctores qui hunc canonem sunt commentati, aliquos eiusdem quod litteram non-observantiam iam praenunciasse, seu potius exspectare singulorum Episcoporum statuta quibus fini canonis assequendo meliori modo provideatur [2]). Revera Illmus Ep. Harlemen. in Prosyn. 1919, ad VI „non minus prudens" iam iudicavit [3]), si etiam deinceps ad statum liberum probandum, servetur ius nostrum provinciale et dioecesanum, pro validitate matrimoniorum omnino sufficiens et securum, „nisi forte adiuncta vel personarum indoles causa foret, cur de statu libero dubitari possit".

1) Quinimo, secundum § 3 „si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium"...

2) Ita e.g. Schaepm., *C. en H.,* blz. 11; Göller, S. 36.

3) Cuius iudicii fundamentum iuridicum quadamtenus praebet Comm. pontif. ad codicem interpretandum, quae scl. ad dubium: „Si pars post adeptam pubertatem plus quam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficitne in casu ad certiorandam libertatem status iuramentum partis cum testimonio duarum, vel, si non possint haberi duo, saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus?" respondit, rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, praescribere potest ad normam can. 1023, § 2 (A. A. S. 1918, p. 344).

Potest etiam invocari desuetudo decreti Clementini supra assignata, quae, utpote plus quam centenaria, vi can. 5, huic canoni derogat. Ita etiam Göller, l.c. — Scio equidem desuetudinem illam quibusdam (Gasp., n. 185; Feye, n. 216) legitime praescriptam non videri, scl. ob dissensum legislatoris in suis responsis ad Epos Orientales et ad Epum S. Alberti in Canada (*Collect.,* n. 1375 et 1376). Sed non puto his responsis particularibus inesse vim ad cohibendam praescriptionem desuetudinis illius fere universalis.

172. Quis et quanam ex causa in bannis dispensare possit.

Ad 1m. respondet can. 1028: „§ 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena Dioecesi [1]) faciendis dispensare. — § 2. Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest".

Ordinarius Harlemensis districtuum Decanis facultatem concessit „dispensandi *in una denunciatione matrimoniali* si necesse fuerit, cum oratoribus sui Decanatus, vel etiam cum iis oratoribus huius Dioecesis qui coram parocho sui Decanatus matrimonium contracturi sunt, et quorum saltem alter est dicti Decanatus subditus." *Stat. Renovata,* 1913, App. II, I[2]).

Parochis alia dispensandi facultas non est nisi quae includitur canonibus 1043 et 1044, scl. in urgenti mortis periculo et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit. Cfr. Prosyn. Harl. 1919, VII. Quae facultas est etiam tum sacerdoti qui matrimonio ad normam can. 1098, n. 2 assistit, tum confessario qua tali ad eandem normam.

Ad 2m. Causa dispensandi requiritur, quae pro „prudenti ipsius Ordinarii (eiusve delegati) iudicio" sit legitima. Quum autem Codex hac in re ius tridentinum simpliciter renovet,

---

1) Haec facultas Ordinariorum, scl. dispensandi a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis, est prorsus nova. Quum porro sit ordinaria, est etiam delegabilis, ita ut etiam facultas delegata Decanorum, de qua infra, ea augeri possit.

2) Potest igitur Decanus in una denunciatione dispensare:

a. „Si necesse fuerit." — „Attamen tamquam verus abusus est improbanda alicubi iam vigens praxis eorum, qui fere semper rerum adiuncta eo progredi sinunt, ut *necessaria* fiat dicta dispensatio, quae nonnisi *exceptio* manere debet". *Stat. Renov.,* l.c. Quod etiam postea saepius inculcatum est.

b. „Cum oratoribus sui Decanatus". Hinc quoties uterque orator ad suum Decanatum pertinet, Decanus hac facultate uti potest, etiamsi forte oratores ipsum matrimonium, de consensu parochi sponsae, extra suum Decanatum sint contracturi.

c. „Cum iis oratoribus quorum saltem alter est (sui) Decanatus subditus". Sed in hoc casu requiritur 1° ut altera pars non pertineat ad aliam Dioecesin, et 2° ut oratores matrimonium contracturi sint coram aliquo Decanatus sui parocho.

causae legitimitas eodem prorsus modo quo antea dimitienda est.

Iamvero, generaliter loquendo, facilius ab una vel altera proclamatione quam ab omnibus dispensari potest. Nam ut pro omnibus dispensetur Ben. XIV in Const. „Nimiam licentiam" requirit „urgentem, legitimam, gravissimam et ineluctabilem causam, ut liquet ex Tridentino."

Causas legitimas in specie designare nonnisi exemplificative fieri potest. Ipsum Tridentinum eo modo hoc unum adducit „si probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunctiationes." Insuper vero ab auctoribus recensentur: mortis periculum, ut si vir in periculo mortis constitutus velit ducere concubinam; animae periculum, ut si duo concubinarii velint matrimonium contrahere, et periculum sit ne carnaliter iterum commisceantur, si matrimonium protrahatur; scandali periculum, ut si mulier iam aliquo tempore praegnans sit, praesertim si sit partui proxima. Huc etiam pertinet casus, quo contrahi vel revalidari debeat matrimonium inter duos, qui publice habentur valide coniuncti, quamvis reipsa non sint. Non enim levis rumor et dicteria apud populum suborirentur, si talis matrimonii denunciationes fierent; ipsius matrimonii periculum, ut si timor subsit, ne vir puellam a se stupratam derelinquat; necessitas profectionis, ut si una pars statim in longinqua proficisci debeat, nec matrimonium sine incommodo gravi differri possit, quoadusque publicationes expleantur; notabilis contrahentium disparitas, ut si senex cum iuvencula, vel nobilis cum plebeia sit contracturus. Facile enim continget, ut eiusmodi sponsi et ipsum sacramentum matrimonii, quod suscepturi sunt, ludibrio exponantur, si proclamationes fiant; periculum matrimonii civilis, ut si parochus timeat ne, matrimonio ecclesiastico post trinam denunciationem procrastinato, sponsi iam diu antea ad matrimonium civile ineundum properent. A fortiori si subsit timor, ne iidem mere civiliter coniungantur. Quaevis notabilis contrahentium commoditas, ut si viduus iterum nubens valde egeat adiutorio simili sibi ad curam infantium habendam, aut si forte opportunius sit tempus et non possint matrimonium remittere sine aliquo notabili incommodo. Cfr. S. Lig., n. 1005 et 1006.

173. Quid parocho agendum si de existentia alicuius impedimenti dubium exortum fuerit?

Respondet can. 1031, § 1: „1° Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit ipsas quoque partes [1]); 2° publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes (cfr. supra, n. 162); 3° matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit."

174. Quid, detecto impedimento certo, parocho agendum?

Respondet can. 1031, § 2:

1° „Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium, vel ad Sacram Poenitentiariam".

2° „Si sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat, et rem ad Ordinarium deferat."

Finis delationis ad loci Ordinarium vel ad S. Poenitentiariam vix aliud esse potest nisi dispensatio impedimenti expostulanda, si dispensationi concedendae locus sit.

175. Auctoritas Ordinarii quandonam quoad matrimonia vagorum invocanda?

Regulam hac in re praebet can. 1032: „Matrimonio vagorum, de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, numquam assistat, nisi, re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit."

Dubium est, num hac regula comprehendantur qui, quin

1) Igitur infamia partibus timenda allegatur quidem ut causa excusans ab interrogatione iurata testium, non vero ut excusans ab interrogatione partium ipsarum. Secus enim clausula illa „dummodo..." etc. post verba „ipsas quoque partes" locum obtinuisset. Cfr. Quartalschr. (Linz), 1918, S. 26. Neque hoc mirum est: infamari enim quis non potest nisi apud alios.

ullo domicilio vel quasi-domicilio fruantur, habent tamen commorationem menstruam in loco ubi intendunt contrahere.

Utpote domicilio vel quasi-domicilio carentes canonice vere sunt vagi, et ideo comprehendi videntur. Sed inspecto canone 1097, § 1 („Parochus ... vel Ordinarius loci matrimonio licite assistunt ... constito sibi ... de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione" ...), relate ad matrimonium vagis non videntur annumerandi. Relate ad hoc dubium putamus, canonem 1032 secundum canonem 1097, § 1 ita interpretandum esse, ut menstruam commorationem habentes a regula praedicta excipiendi sint [1]).

Art. V. *De documentis antenuptialibus.*

176. Can. 1030 § 1 ita habet: „Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit" ... Quaenam autem sunt illa documenta?

Responsum partim ex iam dictis, partim ex adhuc dicendis colligendum est.

a. Ex iam dictis requiritur: 1° testimonium baptismale relative recens utriusque contrahentis, et, in casu matrimonii mixti, etiam partis acatholicae (can. 1021); 2° documenta authentica investigationum aut publicationum ab alio parocho (ab aliis parochis) peractarum (can. 1029); 3° documentum dispensationis in lege bannorum alteri parocho forte concessae; 4° licentia assistendi matrimonio vagorum ab Ordinario concessa (can. 1032).

b. Ex adhuc dicendis pro casuum adiunctis aliquando requiritur 1° documentum de obitu coniugis praemortui (can. 1069, § 2); 2° rescriptum dispensationis in aliquo impedimento matrimonii forte petitae; 3° sententia definitiva super nullitate vinculi praeëxistentis, aut super diremptione matrimonii rati et non consummati, a iudice ecclesiastico forte sollicitata; 4° necessariae probationes in casu quem vocant „Apostoli"; 5° aliquando permissio Sedis Apos-

1) Schaepm., *C. en H.*, blz. 16 en 65; Wouters, *De forma*, etc., p. 30.

tolicae transeundi ad alias nuptias non obstante „vetito" prius dato (cfr. n. 273[1]).

Tandem, si ius particulare ita statuat, etiam testimonium confessionis sacramentalis peractae erit praehabendum. Cfr. n. 182.

177. Quum facile contingere possit, testimonium bannorum ab alio parocho faciendorum tempore opportuno non pervenire ad parochum matrimonii, quaeritur quid tunc faciendum si iam instet nec retardari possit dies matrimonii.

In primis parochus matrimonii omni quo fieri possit modo testimonium illud adhuc studeat obtinere. Tempore ad hoc deficiente, adeatur, si fieri adhuc possit, Ordinarius. Sin autem, fas erit parocho epikeiam facere et, testimonio diutius non exspectato, nuptiis assistere, dummodo tamen de statu libero nupturientium moralem certitudinem ipse habeat. Ita cum v. d. Burgt n. 404.

Caput III. Sponsorum instructio et praeparatio

178. Quaenam sponsi sunt instruendi?

Praenot. „Parochus ne omittat populum prudenter erudire de matrimonii sacramento eiusque impedimentis". Ita can. 1018, ad quem cfr. Conc. Prov., Tit. IV, Capp. XII et XIV necnon Syn. Dioec., Cap. XIX.

Ad sponsos vero quod attinet „ne omittat parochus, secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem"... Can. 1033. Praeterea ex Rituali Romano „uterque sponsus sciat rudimenta fidei, quum ea deinde suos filios edocere debeant".

Nomine autem rudimentorum fidei ea veniunt doctrinae christianae puncta, quae quilibet homo christianus necessitate tum medii tum praecepti callere tenetur.

Inter mutuas coniugum obligationes locum praecipuum tenet obligatio matrimonio caste utendi; inter obligationes vero parentum erga prolem praecipua est curandi Baptismum a prole, praesertim in casu necessitatis, suscipiendum.

179. Quid parocho agendum quoad sponsos fidei rudimenta minus instructos?

Eos parochus ante nuptialem contractum semel iterumque examinet; et, si forte matrimonium vix aut ne vix quidem differri possit, donec uberior instructio fuerit adhibita, ea saltem supponitur, qualis requiritur ad Confessionem. S.-D., p. 56. Iuvat quoque hac de re audire Bened. XIV, qui quandoque dicit evenire „ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat, et credat, cetera pariter, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit; sed, quia hebetis est ingenii et exilis memoriae, post adhibitam diligentiam illa memoria retinere et recitare non valeat: in hoc autem rerum statu non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturae, et propterea nemini sine propria culpa est denegandum; sed curabit parochus, ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat, quae semel crasse didicit, ne ab eius mente penitus dilabantur." *De Syn.*, L. VIII, C. 14, n. 6 [1]).

Si quis tamen sufficienter intellectu est praeditus, praedicta capita necessario scire et memoria tenere quoad sensum saltem debet.

180. An, quomodo et quando sponsi usum matrimonii sunt instruendi?

Ad 1[m]. Affirmative ex Rit. Rom., t. VII, c. 1, n. 17: „[Coniuges] quomodo in [matrimonio] recte et christiane conversari debeant, diligenter instruantur ex divina Scriptura, exemplo Tobiae et Sarae, verbisque Angeli Raphaëlis eos edocentis, quam sancte coniuges debeant convivere." Verba autem angelica, quibus hîc alluditur, haec sunt ad Tobiam nupturientem: „Audi me, et ostendam tibi, qui sunt, quibus praevalere potest daemonium. Hi namque, qui coniugium ita

1) Ben. XIV, l.c., ignorantiam elementorum doctrinae christianae matrimonii impedimentis accenset. Quod tamen, spectato praesertim Codice I. C., nonnisi improprie fieri potest. Codex enim non tantum huiusmodi ignorantia laborantibus matrimonium non prohibet, sed ne quidem postulat ut in casu ignorantiae perdurantis Ordinarius consulatur; sed rem totam committit curae et conscientiae parochi.

suscipiunt, ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem daemonium super eos. Tu autem cum acceperis eam [scl. Saram], ingressus cubiculum ... accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris." Tob. VI, 16—22.

Ad 2^m. Certa instructionis formula, quae omnium statui, aetati, culturae, etc. adaptata sit, vix tradi potest. Quare, perspectis, quantum licebit, singulorum conditione et indole, parochus ea tradat et eo modo, quae et quo in Domino expedire sibi videantur, plane utique ab iis abstenturus, quae scandalo esse possint vel offensioni. Praecipua instructionis puncta hisce paucis comprehendantur:

a. Utrique sponso *primo*, quantum ex prudenti interrogatione opus noverit, dicat, quid sit ipse actus coniugalis, et quomodo, quamvis eum concupiscentia comitetur, sit tamen ex intento a Deo fine cohonestatus et quasi sanctificatus; *secundo* doceat obligationem per se gravem reddendi debitum coniugale, serio petente altero coniuge; *tertio* breviter dicat, a quibusnam coniuges, etiam inter se agentes, abstinere debeant ne in luxuriae peccata dilabantur: cui instructionis parti maxime inserviat principium illud sat notum, postea explicandum: „Quae contingunt secundum matrimonii finem ideoque generationi favent, ea peccato prorsus vacant; quae vero contra, ideoque generationem positive impediunt, ea semper sunt peccatum grave; quae tandem praeter finem ideoque generationi neque favent neque adversantur, ea de se peccatum veniale numquam excedunt". In cuius tamen explicatione non descendat ad nimis particularia, fere potius tacens de iis, quae nonnisi levem habent deordinationem (e.g. de situ minus convenienti) et quoad dubia, quae postea oboriantur, ad confessarium remittens.

b. Virum in specie moneat, ne, debitum immoderate petendo, maritalem affectum citius in uxore refrigeret, neve iis temporibus incircumspecte petat, quibus copula valetudini minus prodesse et subinde etiam obesse possit, ut aliquando sunt tempora fluxus menstrui, praegnationis et purgationis. Insuper ei commendet peculiarem quamdam indulgentiam et

mansuetudinem erga uxorem parituram, ne forte haec, vehementius commota, ventris aut damnum aliquod patiatur aut periculum subeat.

c. Mulieri in specie suadeat congruam in re maritali obedientiam necnon summam erga conceptam forte prolem providentiam ac cautionem, qua nempe tempore graviditatis abstineat a quocumque vehementi motu sive corporis sive animi. Doceat quoque obligationem et modum foetus abortivos baptizandi, diligenter adhuc inquirens, utrum formam Baptismatis rite pronunciare valeat (vide n. 181). Tandem moneat ne infantem non anniculum in lecto secum ipsa habeat, propter periculum oppressionis. Quoad dubia primam alteramve graviditatem concernentia eam remittat ad matrem aut ad aliam mulierem honestam et eius rei expertam.

Ad 3^{m}. Per se non refert utrum ante, an potius post contractum matrimonium praefata instructio fiat. Aliquando tamen ante matrimonium dari summopere expediet, maxime sponsis „innocentibus," quae copulam forte ignorant. Aertn^{G}., n. 515. In dioecesi Harlemensi hoc viget prosynodale statutum: „Nonnumquam (etsi raro) contingit, ut ex *instructione matrimoniali* facta *post* initas nuptias, incommoda multa, rixae et malae sequelae oriantur. Quapropter per praesentes omnes parochos et confessarios, ad quos spectat, in Domino obstringimus, ut hanc instructionem honeste et clare semper tradant antequam Matrimonium celebretur." Stat. Renov., p. 19 ad IV.

181. Quid sponsi docendi sunt de baptizanda prole in casu necessitatis?

Haec quaestio nullam utique difficultatem habet quoad prolem partu, licet forte aliquatenus praematuro, editam. Hinc potius respicit prolem abortu edendum, seu *foetus abortivos.* Iamvero sponsi pro capacitate et opportunitate docendi sunt:

1^{0} obligationem, eamque gravem, baptizandi etiam foetus illos abortivos, quos non certo constet aut putrefactos ideoque mortuos iam esse, aut nullum foetus humani initium prae se ferre sed potius esse massam carneam vel sanguineam quam „molam" medici vocant [1]). Quam deinde obligationem

1) Neutrius huius facti certitudo citius admittatur: tum enim ipsius

sponsi sciant extendi ad foetus etiam minimos, priori licet graviditatis tempore editos: siquidem hodie valde communis est sententia, foetum ex copula conceptum statim in ipsa conceptione animari [1];

2° modum foetus abortivos baptizandi. Quocirca notetur:

a. pro materia remota adhibendam esse aquam nonnihil tepidam, quia aqua frigida foetus, praesertim si sint minimi, citius occiduntur;

b. pro materia proxima utiliori et certiori consilio non infusionem sed immersionem esse faciendam, ita quidem ut foetus involucro suo adhuc inclusus, *in* vel *sub* aqua teneatur, ac dein, involucro lente rescisso, forma baptismi super eum pronuncietur. Quod ni fiat, ob involucrum extra aquam disruptum, foetus, praesertim si sit minimus, ipso aëre, loco liquoris amnialis (vruchtwater) sibi accedente, illico occidetur. Insuper, ut aqua baptismalis defluere possit et sic foetus vere abluatur, hic sub formulae baptismalis terminatione aqua extrahatur;

c. in baptizandis foetibus minimis adhibendam esse formam conditionatam, nempe aut „si es capax...", (in dubio num subiectum sit vere foetus humanus), aut „si vivis...", (in dubio num foetus adhuc vivat);

d. ad baptismum foetui abortivo adhuc viventi certo valide administrandum, modum descriptum baptizandi tum requiri, tum per se solam sufficere. Olim quidem auctores ad foetum certo valide baptizandum duplicem baptizandi actum postulabant, unum super foetum involucro adhuc inclusum, sub conditione „si es capax", ac dein alterum super eundem amnio liberatum, sub conditione „si non es baptizatus". Quum vero, secundum physiologos [2], saltem exterior involucri mem-

---

putrefactionis initium vitam foetalem non semper statum expellit, tum foetus plus minusve degenerati propriam vitam vegetativam, et tunc etiam animam humanam, nonnumquam secumferunt.

1) Hinc prospiciendum ne quod in abortu mulier emittit, ideoque etiam foetus, quamvis forte minimus, non praemissa diligenti inspectione proiiciatur. Ipse foetus, dummodo aliqualiter evolutus, facile plerumque agnoscitur ex ovata sua specie et subalbido involucro.

2) Capellman, *Medicina past.*, p. 112 et Capellm.-Bergm. *Pastoral-Medizin*

brana *(decidua)* non oriatur ex ovo et hinc ad foetum ipsum non pertineat[1]), ideo prior ille baptizandi actus inutiliter ideoque illicite applicaretur. Posterior vero actus, dummode fiat uti supra indicavimus, solus sufficit ad baptismum pro posse humano valide foetui conferendum.

182. Nupturientes quomodo ad matrimonii Sacramentum praeparandi?

I. Ad praeparationem *remotam* requiritur *a.* probata ad statum coniugalem vocatio; *b.* prudens futuri coniugis electio; *c.* sancta sponsorum conversatio seu procatio[2]).

a. Ad probandam vocationem imprimis quisque videat, num forte ad Deo in statu virginitatis arctius se coniungendum, quam ad statum coniugalem sit vocatus; sed dein, utrum corpore et animi indole ita sit comparatus, ut fines praecipuos ac nobiliores, matrimonio divinitus praestitutos, saltem non sit frustraturus; hinc, utrum non solum corpore aptus sit ad filios procreandos (vide inferius, n. 264 et sequ.), sed etiam utrum ad educandos non sit saltem prorsus ac certo ineptus; item, utrum non sit fere certo defuturus adiutorio consorti afferendo[3]).

b. In facienda electione, petito Dei lumine et parentum consilio „virtutem morumque similitudinem ante omnia spectent et in paribus sibi personis eas qualitates scrutentur, non pulchritudinem et divitias ut primarium finem sibi proponant". Ita v. d. B., l.c.

c. Durante procatione, (nonnisi intentione et spe fundata matrimonii inchoanda) caveant a peccatis ac peccati occasionibus, praesertim voluntariis, necnon frequentatione sacramentorum et orationis assiduitate nitantur in nuptias felices suo tempore celebrandas.

II. Ad praeparationem *proximam* praecipue pertinet con-

S. 219. Cfv. v. d. Acker in *N. K. St.*, 1909 blz. 364 et iterum in eod. periodico, 1913, p. 20. Vide etiam Lehmk., n. 103.

1) Involucrum integrum *(secundina)* tribus distinctis constat membranis quae respective *amnion, chorion* et *decidua* vocantur.

2) Legatur omnino De Smet, *Het christ. huwelijk*, Brugge, 1918.

3) Cfr. v. d. B., n. 373.

fessio sacramentalis matrimonio praemittenda. Quocirca haec notentur:

a. confessio haec, si spectetur lex Christi et ius commune Ecclesiae non est de praecepto sed de consilio tantum. „Parochus [sponsos] vehementer adhortetur ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur." Ita can. 1033 consonans tum capiti „Tametsi" Tridentino, tum Rituali Romano. Hinc etiam sponsis ad statum peccati mortalis delapsis per seloquendo sufficit si actu perfectae contritionis statum gratiae recuperare studeant, quem ad matrimonium, ut sacramentum vivorum, afferre tenentur. At vero:

b. potest dari obligatio ad confitendum per accidens, non tantum in foro interno — quod obtinebit si peccator non possit fidere se verum perfectae contritionis actum elicere posse — sed etiam in foro externo, ita ut peccatori benedictio matrimonii iuste a parocho denegetur. Quod in triplici casu locum habebit, nempe 1^0 si quis est publicus vel notorius peccator, v. gr. publice in concubinatu vivit, communionem paschalem non peragit (cfr. n. 246); 2^0 si quis in contemptum vel despectum Ecclesiae confessionem renuit; 3^0 si ex matrimonio sine praevia confessione celebrando scandalum oritur [1]). Praeterea:

c. praevius accessus ad Poenitentiae tribunal potest quibusvis nupturientibus praescriptus esse lege particulari, non ita tamen ut sponsorum inobedientia in impedimentum ipsius matrimonii ab Episcopis convertatur. Siquidem S. C. de Prop. F., rogata, an approbare vellet decretum Vicarii Ap. Constantinopolitani, vi cuius parochi debebant a sponsis fidem exigere confessionis praevie peractae, ad mentem Conc. Trid. rescripsit: „Quoad fidem confessionis, suadendum ut exhibeant, sed si renuant, non ideo a matrimonio excludendi, et detur decretum 17 Apr. 1820." Secundum hoc autem decretum, Episcopo Quebecensi datum, „peccatores occulti, praemissa salutari admonitione, etiam si peccata sua confiteri recusaverint, non sunt a matrimonio excludendi." *Collect.*, n. 197. Secundum haec decreta intelligenda et applicanda est ordinatio

---

1) S. C. C. in *Moguntia* 28 Aug. 1852 apud Bangen. II, 233.

iuris nostri particularis, ita in Conc. Prov. (p. 181) statuentis: „Ut sponsi rite parati ac dispositi Sacramenti gratiam in matrimonio suscipiant, peccatorum suorum confessionem praemittent; quae tempestive facta, id est, si fieri potest, octo diebus saltem ante matrimonium, detegendis quoque impedimentis est utilissima." Cui legi provinciali haec adduntur in nostra Synodo Dioecesana: „Confessio sacramentalis, quam ordinatio provincialis matrimonio praemitti iubet, regulariter octo saltem diebus ante matrimonium instituatur; nec umquam Parochi, inconsulto Ordinario, nisi *confessos* saltem ad matrimonii *solemnisationem* admittant." Hinc, in praxi, si nuptu-rientes non in propria paroeciali ecclesia confessionem peregerint, s c h e d u l a m confessionis alibi peractae parocho suo proprio exhibeant; non exhibentes et generatim non confessi saltem ad matrimonii s o l l e m n i z a t i o n e m (i. e. ad benedictionem nuptialem) non admittantur Ordinario inconsulto: ipse vero Ordinarius sequatur regulam, modo ex decretis S. C. de Prop. Fide propositam.

N o t a 1. Secundum Codicem I. C., can. 1033, sponsi etiam vehementer a parocho sunt adhortandi ut „sanctissimam E u c h a r i s t i a m pie recipiant". Quae pars canonis non videtur stricte alliganda verbis immediate praecedentibus de confessione sacramentali „a n t e matrimonii celebrationem" facienda; hinc videtur non solum sufficere sed etiam commendari posse, sponsos, licet ritu matrimoniali iam peracto, tamen infra ipsam Missam „pro sponso ac sponsa" S. Communionem recipere.

N o t a. „Catholici qui sacramentum c o n f i r m a t i o n i s nondum receperunt, illud antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo." Ita can. 1021, § 2.

PARS IV

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

Caput I. De impedimentis generatim

Art. I. *Notio, conspectus et divisio impedimentorum.*

183. Quid sit matrimonii *impedimentum.*

a. Vi vocis per se sumptae est quidquid quomodocumque (casu vel actu hominis, iuste vel iniuste, lege vel praecepto) *impedit,* seu obstat, quominus matrimonium ad esse perveniat, sive tandem ad esse simpliciter (quod v. gr. impediret vis physica) sive ad esse validum aut licitum.

b. Usu loquendi canonistarum hucusque nomine impedimenti fere communiter intelligebatur quidquid lege (divina vel humana) matrimonii sive validitatem sive liceitatem impediebat, sive illud ex parte ipsius contrahentis personae, sive ex parte consensus ad matrimonium praestandi, sive denique ex parte formae consensus exprimendi se haberet [1]).

c. Terminologia Codicis — quam aliqui recentiores canonistae [2]) iampridem usurpaverant — nomine „impedimenti" nonnisi id accipit quod ex parte ipsius personae contrahentis matrimonii sive solam liceitatem impedit sive etiam validitatem. Quae vero ex parte consensus aut non observatae legitimae formae matrimonio valide ac licite ineundo obstare

---

1) Canonistae antiquiores nomen „impedimenti" sensu adeo amplo accipiebant, ut e.g. etiam „tempus *feriatum* seu *clausum*" inter impedimenta recenserent; quum tamen dicto tempore non matrimonium ipsum, sed tantummodo eius sollemnia vetita essent.

2) Von Scherer, Allègre et Cardinales d'Annibale et Gasparri. Quos etiam nos in priori huius tractatus editione iam eramus secuti.

possunt, ea Codex canonibus suis de impedimentis non comprehendit, sed seorsim moderatur.

Cuius acceptionis admodum restrictae haec videtur est ratio: A matrimonio valide vel licite ineundo is quidem vere *impeditur*, cui a lege irritante vel vetante quid se attinens obiicitur; non autem is qui in matrimonium ipse consentire aut non potest aut non vult, neque etiam is qui debitam matrimonii formam servare aut recusat aut non curat.

Itaque definitio impedimenti ad mentem Codicis sic forte rite concipitur: Est *circumstantia personam attinens, qua haec a matrimonio licite, vel licite simul et valide ineundo lege impeditur.*

Dicitur: 1° *„Est circumstantia"*, scl. qualitas, defectus, factum, relatio;

2° *„personam* attinens", exclusis circumstantiis attinentes vel consensum nuptialem vel formam, uti iam explicatum est;

3° „qua haec. *lege* impeditur", ad excludendum „vetitum", quo quandoque citra legem (sive universalem sive particularem) matrimonium alicui in casu peculiari ab ecclesiastica autoritate interdicitur (can. 1039);

4° „a matrimonio *licite, vel licite simul et valide* ineundo...", ut iam in definitione adaequate notetur impedimentorum universim sumptorum duplex effectus, quoad singillatim sumpta admodum diversus; quia scilicet quaedam nonnisi matrimonii liceitatem, quaedam vero insuper validitatem, impediunt.

184. Quaenam iure Codicis nonnisi liceitatem, quaenam vero insuper validitatem matrimonii impediunt?

I. Impediunt solam liceitatem, et quidem ita ut sint veri nominis „impedimenta impedientia" nonnisi Ecclesiae dispensatione auferenda: 1° *votum simplex* (can. 1058); 2° *cognatio legalis* ex adoptione orta, si alicubi haec nuptias faciat civili lege illicitas (can. 1059); 3° *mixta religio* duarum personarum baptizatarum (can. 1060). Pariter iure ecclesiastico matrimonii quadamtenus liceitatem impediunt, quin tamen veri nominis „impedimentis" sint accensenda: 1° *apostasia a fide catholica*; 2° adscriptio alicui *societati ab Ecclesia damnatae* (can. 1065);

3° qualitas *peccatoris publici* aut *censura notorie innodati* (can. 1066). Haec „quasi-impedimenta" haud incongrue vocantur.

II. Impediunt insuper validitatem, et proprio nomine „impedimenta *dirimentia*" vocantur: *aetas* immatura (can. 1067); *impotentia* coeundi (can. 1068); *vinculum* prioris matrimonii (can. 1069); *disparitas cultus* inter personam baptizatam et non baptizatam (can. 1070); *ordo sacer* (can. 1072); *votum sollemne*, aut eiusmodi votum *simplex* quod hac in re sollemni aequiparatur (can. 1073); *raptus* mulieris quoad virum raptorem (can. 1074); *crimen* adulterii et coniugicidii (can. 1075); *consanguinitas* (can. 1076); *affinitas* (can. 1077); *publica honestas* (can. 1078); *cognatio spiritualis* (can. 1079); *cognatio legalis*, si alicubi haec lege civili nuptias invalidas reddat (can. 1080).

Uti accuratior singulorum impedimentorum descriptio docebit, plus unum eorum pro varietate casuum varias potest induere species.

185. Quotupliciter et quomodo impedimenta dividuntur?

Dividuntur multipliciter, videlicet:

1° Ratione fontis, i.e. iuris e quo profluunt, in impedimenta iuris *naturalis*, ut est e.g. impotentia coeundi (can. 1068, § 1), iuris *divini positivi*, ut est e. g. vinculum prioris matrimonii (can. 1118) et iuris *humani*, i.e. aut iuris *ecclesiastici*, quoad baptizatos, aut iuris *civilis*, quoad non baptizatos. Impedimenta quae originarie sunt iuris civilis nonnumquam ab Ecclesia etiam quoad baptizatos canonizantur, quod e. g. locum habuit in cognatione legali; quo tamen facto, impedimentum formaliter fit iuris ecclesiastici. Quaedam impedimenta partim iuris divini sunt, partim ecclesiastici, ut est e.g. mixta religio (can. 1060).

2° Ratione ambitus seu extensionis in *absoluta*, quae cum qualicumque persona, et in *relativa*, quae cum certis tantum personis matrimonium fieri impediunt. Prioris generis sunt e. g. vinculum prioris matrimonii, ordo sacer, votum; posterioris sunt e. g. consanguinitas et caetera propinquitatis impedimenta. Utramque speciem pro varietate casuum induere potest unum impotentiae impedimentum, uti videre est in can. 1068, § 1.

3° Ratione durationis in *perpetua* et *temporanea*. Per-

petua sunt quae vel absolute, vel saltem de se (i.e. seclusa dispensatione) perpetuo a matrimonio arcent. Sic absolute perpetuo a nuptiis ineundis arcetur qui e.g. impotentia absoluta et perpetua laborat; sic saltem de se perpetua est e.g. consanguinitas cum plerisque aliis impedimentis iuris ecclesiastici. Temporanea vero sunt quae aut decursu temporis sponte cessant, ut e.g. aetas et impotentia temporanea, aut ipsius personae facto cessare possunt, ut est e.g. impedimentum raptus (can. 1074, § 2).

4⁰ Ratione notitiae in *publica* et *occulta*. „Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum". Ita can. 1030.

5⁰ Ratione gradus cognitionis in *certa* et *dubia*, prout dubium prudens aut excluditur aut admittitur. Ipsum dubium potest esse aut *iuris tantum* (utrum, necne, lex impedimentum revera statuat), aut *facti tantum* (utrum, necne, impedimentum, lege certum, aliquo casu de facto adsit) aut *iuris simul et facti*. Insuper dubium iuris potest versari circa *ius divinum* aut circa ius *humanum*.

6⁰ Ratione effectus in *impedientia* et *dirimentia* [1]) quae distinctio canone 1036 authentice sic explicatur:

„§ 1. Impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur.

§ 2. Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.

§ 3. Quanquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum." Cfr. superius n. 184.

7⁰ Ratione ponderis *a.* in *dispensabilia*, quae nonnumquam ab Ecclesia per dispensationem relaxantur, et *indispensabilia*, in quibus Ecclesia numquam aut vix umquam dispensat, sive quia non potest (quoties nempe agitur de impedimentis

---

1) Verbum „dirimere" etymologice significat rem iam existentem (e. g. contractum) solvere. Quod sane respectu matrimonii nullo „impedimento" umquam fieri potest. Ideo expressio „impedimentum *dirimens*", stricte sumpta, sensu caret. Attamen usu, etiam in Codice retento, sensum illum obtinuit quem supra exposuimus.

iuris naturalis et divini), sive quia non solet; *b.* in impedimenta *gradus minoris* et *maioris*, quae distinctio, recenti tempore [1]) inducta, respicit faciliorem dispensandi praxin quoad priora (can. 1054), rigidiorem quoad posteriora.

Art. II. *Auctoritas quoad impedimenta matrimonii competens.*

186. Quis potest impedimenta constituere?

a. Impedimenta iuris divini (naturalis et positivi), utpote naturali lege et Dei ordinatione immutabiliter condita et inviolabili fidei deposito recondita, constitui utique iam non possunt. Quatenus vero necessarium esse potest „authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat", facultas declarandi est „supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae", (uti habet can. 1038, § 1) i.e. Romani Pontificis et corporis Episcoporum.

b. „Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis" (can. 1038, § 2), quo canone quoad hanc materiam excluditur non modo quaelibet potestas auctoritatis civilis quoad baptizatos (cfr. n. 43), sed etiam quaelibet potestas Episcoporum cum Romano Pontifice collegialiter non decernentium. Itaque relinquenda iam est sententia eorum canonistarum qui hucusque, contra sententiam communiorem, Episcopis agnoscebant potestatem constituendi pro suis dioecesibus impedimenta matrimonium solummodo *impedientia* [2]). Quod etiam valet de Episcopis in concilio particulari adunatis, utpote de suprema ecclesiastica potestate tunc minime participantibus.

c. Hic canon intactam relinquit auctoritatis civilis hac in re potestatem quoad non baptizatos, de qua supra n. 51.

1) Const. „Sapienti consilio" 29 Sept. 1908 (A. A. S., 1909, I, p. 91). Cfr. can. 1042.

2) Constitutio impedimentorum dirimentium iam a multis saeculis universaliter habita fuit ut „causa maior", supremae in Ecclesia potestati reservatae. Ben. XIV *de Synodo*, l. XII, cap. V., n.n. 2, 7 sequ.: S. Lig., n. 980.

187. Num impedimenta matrimonii consuetudine induci possunt?

Quaestio est de sola consuetudine universali, quippe quae, mediante consensu saltem tacito supremi legislatoris, sola de „suprema" ecclesiastica potestate procedit.

Iam codice novo nondum vigente, quaestio haec vix practica erat. Licet enim quaedam impedimenta (e. g. disparitas cultus) e consuetudine ortum habuerint, tamen iam a pluribus saeculis is fuit status Ecclesiae ut consuetudo universalis, si quando orta fuisset, iam ante suam praescriptionem ad notitiam R. Pontificis pervenisset. Quo casu R. Pontifex eam sane expresse vel approbasset vel reprobasset. Quidquid vero sit de praeterito, in posterum valet novi codicis can. 1041: „Consuetudo novum impedimentum inducens ... reprobatur." Cfr. can. 27, § 1 in fine et § 2.

188. An quaelibet facultas fideles a matrimonio prohibendi Episcopis deest?

Firmo manente canone 1038, § 2, quo Episcopis abnegatur facultas matrimonium „per modum legis" (ideoque constitutione impedimenti proprie dicti) fidelibus prohibendi, nihilominus:

a. „Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonium in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante." Can. 1039, § 1. At vero haec vetandi facultas est mere prohibitoria, actum contrarium nonnisi illicitum faciens; nam, uti eodem canone § 2 additur, „vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest." Causae iustae sunt e. g. probabilis suspicio latentis alicuius impedimenti sive dirimentis, sive prohibentis, timor prudens ne ratione matrimonii instent graves rixae, scandala aliave incommoda [1]). Quinimo, docente Ben. XIV, l.c., n. 4, Ordinarius potest suo vetito adiicere poenas contra parochum, testes et sponsos inobedientes.

b. Ordinarii etiam per modum legis ea prohibere possunt vel praecipere, quae, quin sint vere ac proprie impedimenta

1) Cfr. c. 3 *de cland. despons.* (IV, 3); capp. 1 et 2 *de matr. contr. contra interd. Eccl.* (IV, 16).

matrimonii, nupturientis habilitatem vel inhabilitatem directe moderantia, potius respiciunt aliquid matrimonio adeo extrinsecum, ut nupturientis persona nonnisi indirecte[1]) a matrimonio ineundo prohibeatur. Huiusmodi antea erat nonnullarum dioeceseon prohibitio ne tempore clauso nuptiae utcumque celebrarentur[2]); et etiam nunc foret e. g. prohibitio de nuptiis vespertino tempore non celebrandis. Huiusmodi pariter est decretum concilii Provincialis Ultraiectensis (p. 181) de confessione sacramentali cuivis matrimonio tempestive praemittenda.

189. Estne hac in re aliqua facultas parochi?
Nulla omnino. Parochus enim, utpote carens iurisdictione fori externi, neque per modum legis, neque per modum vetiti ullum paroecianorum suorum matrimonium vero sensu inhibere potest. Attamen ex officio „pastoris" (can. 216) poterit atque etiam tenebitur, quoties in peculiari casu aliquam ex causis supra (n. 188) indicatis adesse putaverit, pastorali quodam vetito nuptias provisorie interdicere, quo ipse prius rem ad Ordinarium deferat eiusque instructionem[3]) sequi possit. Ben XIV *de Syn.* l. VIII, C. 14, n. 5.

190. Quanam auctoritate impedimenta abrogari possunt vel eisdem potest derogari?

Praenot. Abrogatur impedimentum cum lex impedimenti supprimitur ex toto, uti fecit Codex e. g. quoad *affinitatem ex copula illicita* et quoad *conditionem servilem*; derogatur eidem cum lex impedimenti supprimitur ex parte tantum, uti fecit Codex e. g. quoad *consanguinitatem* et quoad *affinitatem ex matrimonio.*

Ex notissima *regula iuris* 1ª in VI° „Omnis res per quas-

1) Hoc autem, nempe aliquid praecipere vel vetare quo indirecte quis a matrimonio prohibetur, non tantum Episcopi possunt sed, servata caeteroquin subordinatione erga Ecclesiam, etiam legislatores civiles, Vide superius, p. 57 et v. d. B.-Sch., n. 42.

2) Sed huiusmodi probibitiones, si qua adhuc exstent, nunc sunt canoni 1108, § 1 („Matrimonium quocumque anni tempore contrahi potest") *oppositae*, ideoque vi canonis 6, 2°, abrogatae.

3) Cfr. Ben XIV, *de Syn.*, l VIII, c. 14, n. 5.

cumque causas nascitur, per easdem dissolvitur," si comparetur iis quae de potestate impedimenta constituendi n. 186 statuimus, quasi sponte sequitur responsum ad quaestionem praesentem. Nimirum:

a. Nulla potestas humana, neque ipsa suprema potestas ecclesiastica, de impedimentis iuris divini hac in re quidquam potest praeter id, ad quod ipsum ius divinum facultatem ei fecerit. Utrum quaedam sit eiusmodi facultas et quousque se porrigat, id solo ipsius supremi magisterii iudicio definiendum est.

b. „Praeter R. Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare" ... Can. 1040. Hoc, quod praesens canon quam generalissime („*nemo* potest") edicit, iam pridem specialiter edictum erat respectu potestatum civilium, quibus Iansenistica synodus Pistoriensis ius attribuerat „sive abolendi sive restringendi impedimenta, Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata" (*Ench.*, n. 1560). Insuper in ipso codice (can. 1041) specialiter etiam „consuetudo... impedimentis existentibus contraria reprobatur."

191. Quinam possunt in impedimentis dispensare?

Praenot. Dispensatur in impedimento, cum, integra manente ipsa lege impedimenti, certa aliqua persona ab ea eximitur. Cfr. can. 80.

Iamvero idem ille canon 1040, de quo numero praecedenti, edicit, praeter R. Pontificem neminem posse in impedimentis, etiam solius iuris ecclesiastici, dispensare „nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit." Sed de dispensationibus matrimonialibus seorsim dicemus in Parte V.

Art. III. *Quinam impedimentorum legibus teneantur.*

192. *Praenotandum.* Praesens articulus unice versatur circa leges impedimentorum ab Ecclesia constitutas, ac proinde circa solos homines baptizatos. Nam impedimenta, quae sunt iuris naturalis et divini, profecto omnes homines,

etiam non-baptizatos ligant. Ex altera parte certum est, homines non-baptizatos Ecclesiae legibus minime subiacere. Hinc quaeritur:

193. An etiam acatholici baptizati Ecclesiae impedimentis ligantur?

Status quaestionis. Sermo non est de acatholicis qui facto suo proprio ab Ecclesia recesserunt: hos enim per rebellionem suam a legibus Ecclesiae non eximi, facile concedunt omnes. Proinde quaestio restringitur ad eos, qui, in haeresi vel schismate nati, bona fide eisdem adhaerent, quales sunt hodie plerique haeresi aut schismati addicti in nostra patria.

Deinde: eosdem, utpote vi Baptismatis Ecclesiae subditos, per se, i.e. si ita velit Ecclesia, quibusvis legibus ecclesiasticis, ac proinde etiam legibus connubialibus, ligari, pariter nullum est dubium. Sed quaeritur praecise, utrum Ecclesia adhuc velit eos ligare, an potius praedictas leges quoad eos sustulerit, si minus per derogationem expressam, saltem per quamdam conniventiam, tacite scl. approbando consuetudinem contrariam, apud heterodoxos vigentem.

Patet, hanc quaestionem esse maximi ponderis: ab eius enim solutione pendet praxis quoad haereticos conversos sequenda. Fieri enim potest, Titium et Caiam, e. g. in 2^0 gradu sibi consanguineos, postquam in haeresi matrimonium contraxerunt, ad Ecclesiae gremium redire. Iamvero, si ad quaestionem nostram negative sit respondendum, iidem in haeresi valide contraxerunt; sin vero affirmative, eorumdum matrimonium fuit invalide contractum, ac proinde revalidandum est.

I. Revera aliqui a. a., praesertim Germani, (Wirceburgenses, Schmalzgrueber, Pichler), ad quaestionem praesentem negative responderunt, dicentes: *a.* Ecclesiam velle non posse, tot inter haereticos matrimonia invalide contrahi, tot committi peccata, tot nasci filios illegitimos: hinc credibile non esse, quod Ecclesia praedictas leges quoad heterodoxos urgere velit, ubi eaedem cessaverunt conferre ad bonum commune. Ita e. g. Theologi *Wirceburgences,* Paris. 1854, tom. V. p. 559.

Accedit: *b.* in acatholicorum coetibus iam per diuturnum tempus consuetudinem viguisse, qua praedictae leges irritantes non fuerunt observatae; atqui huiusmodi consuetudo videtur esse vere rationabilis: „nam expediens fuit, ut vis canonum coniugia illa acatholica irritantium post continuatum tanto tempore non-usum cesset, tum quia sperari non potest eorum canonum observantia, tum maxime, quia illorum quoad vim irritandi cessatio plurimum confert ad conservationem pacis et tranquillitatis publicae inter catholicos et heterodoxos, ipsorumque ad Ecclesiae gremium faciliorem reductionem, quarum illa (scl. pax) saepe adduceretur in discrimen, et ista (scl. conversio) multo difficilior fieret, si ea, de quibus nobis sermo est, coniugia pro incestis et inutilibus, et proles ex iis procreatae pro spuriis et illegitimis haberentur." Ita Schmalzgrueber, l. c., n. 379 [1]).

II. At vero, sententio affirmans, quam, iuxta ipsum Sanchezium, tenent, „fere omnes", adeo certa est, „ut qui hac de re dubitant, nesciant quid dicant." Ita Gasp., n. 308 [2]). Argumento sunt:

a. Auctoritas R. R. Pontificum. Benedictus XIV in celeberrima Constitutione „Matrimonia" 4 Nov. 1741 (*Ench.* n. 1454) statuit, matrimonia in „. . foederati Belgii provinciis inter haereticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, *dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum,* pro validis habenda esse."

Dum igitur Pontifex his verbis ex una parte declarat, haereticos nostrates fuisse et fore liberos a lege tridentina clandestinitatis, tamen ex altera parte *alia canonica impedimenta*

1) Iam antea Sanchez (L. VII, d. 72, n. 5) docuerat, in regionibus, in quibus haeretici cum catholicis permixti vivunt, ut in Germania, Gallia, Polonia, ex consuetudine recepta et tolerata, matrimonia mixta licere „quia ista coniugia ineuntur . . . ob amicitiae leges et ob communem pacem et reipublicae tranquillitatem tuenda."

2) Vide etiam Wernz, n. 66, qui sententiam negantem ostendit fuisse aliquorum dumtaxat canonistarum Germanorum; eamque a plerisque aliis canonistis Germanis, tam recentioribus quam antiquioribus reiectam; cui quinimo ipsi Protestantes, eo quod non pauca impedimenta canonica theoretice et practice retinuerint, fere quodlibet reale fundamentum subtraxerunt.

revera eos ligare aperte significat. Quod explicitius adhuc et ex professo docet in Const. „Singulari Nobis" 9 Febr. 1749, §§ 15 et 16, ubi nullum declarat matrimonium, quod mulier quaedam haeretica celebraverat cum viro Hebraeo, seu cum impedimento ecclesiastico *disparitatis cultus* [1]).

b. Ecclesiae praxis constanter fuit, et etiam hodie est, ut revalidentur matrimonia haereticorum conversorum, cum aliquo ecclesiastico impedimento in haeresi contracta. Quem in finem Episcopis inter facultates sibi a S. Sede olim communicatas, eam quoque habere solebant, qua possent „cum haereticis conversis" dispensare in quovis consanguinitatis et affinitatis gradu, dummode non attingat gradum primum." Quae facultas evidenter supponit acatholicos impedimentis ecclesiasticis vere ligari.

c. Codex Iuris Canonici, qui nullo verbo hanc acatholicorum exemptionem vel levissime insinuat; contra, eos (can. 1099, § 2°) expresse eximendo a forma matrimonii, can. 1094 generaliter praescripta, indirecte significat, eos legibus matrimonialibus per se et generaliter teneri.

Rationibus in contrarium adductis sic obviari potest:

Ad *a.* Quod Wirceburgensibus „incredibile" videtur, id omnino fit credibile, et imo certum, si inspiciantur declarationes Pontificum supra allegatae. Aliunde, qui nativitate et educatione sua extra Ecclesiam inveniuntur, ii saepe erunt bona fide, ideoque non peccabunt si contra leges Ecclesiae contrahant; et quia, propter bonam fidem, vivunt in matrimonio *putativo* (n. 56), eorum proles non habetur illegitima, uti postea videbimus. Cfr. interim can. 1114.

Ad *b.* Consuetudo, ad quam provocat P. Schmalzgrueber, plus uno laborat vitio. In genere enim consuetudo, quae tendit in impedimentorum dirimentium abrogationem, ex iis est, quas ius expresse ut corruptelas reprobat (can 1041). Deinde est etiam in se irrationabilis: ea enim passim admissa, oriretur in hac legum materia ea confusio eaque sequerentur incommoda, ad quae apprime vitanda S. Sedes ipsam pote-

1) *Bullarium Ben. XIV*, Ed. Mechl. tom. VII, p. 10 sequ. Similes declarationes postea ediderunt Pius VI, Pius VII et Greg. XVI, Cfr. Feye, n. 103; v. d. Burgt-Sch., n. 46.

statem impedimenta inducendi sibi reservavit (n. 145). Denique, quaelibet consuetudo contra legem, ut praescribere possit, consensum saltem tacitum legislatoris requirit: hîc autem pro consensu dissensus potius legislatoris habetur.

194. An, et quibusnam ecclesiasticis impedimentis ligantur infideles baptizati?

R. 1⁰ Certe ligantur iis impedimentis, quae post susceptum Baptisma oriuntur: quod de se est evidens.

R. 2⁰ Quoad impedimenta, quae iam ante Baptismum inter eos exiterint, Sanchez (L. VII, Disp. 65) ita distinguit:

a. aut agitur de impedimentis ecclesiasticis, quorum ratio quaerenda est in quadam relatione, seu in quodam vinculo naturali inter personas impeditas; et tunc huiusmodi relatio, utpote quae etiam in infidelitate (in statu iuris naturae) oritur, post Baptismum utique permanet, ac proinde vi iuris ecclesiastici, cui iam baptizati subesse incipiunt, speciem induet impedimenti dirimentis. Huiusmodi est indubie [1]) e.g. cognatio naturalis seu consanguinitas.

b. aut agitur de impedimento, cuius ratio tota quaerenda est in mente Ecclesiae; et tunc ea circumstantia, in qua Ecclesia ponit rationem alicuius impedimenti dirimentis, si tempore infidelitatis orta fuerit, nullam relationem naturalem constituet inter personas de quibus agitur, nullam proinde relationem quae possit post Baptismum permanere, et sic cadere sub lege Ecclesiae, eam tamquam impedimentum dirimens considerantis. Huius generis est indubie e.g. cognatio spiritualis.

Scilicet: ratio ob quam Ecclesia constituit varia impedimenta cognationis (etiam quoad gradus, qui iure naturae matrimonium non impediunt), generatim quaerenda est in vinculo quodam propinquitatis, quod in diversis cognationis speciebus ipsa agnoscit. Iamvero, admodum differt propinquitatis vinculum quod e.g. in cognatione naturali invenitur, a vinculo quod

1) Quid hoc ex capite censendum sit de affinitate et publica honestate in infidelitate contracta, necnon de crimine adulterii aut coniugicidii (ut impedimento matrimonii), a complicibus infidelibus patrato, id suis locis indagabimus.

existit inter spiritualiter cognatos. Consanguinitas enim naturalem quamdam propinquitatis relationem constituit, quam ipsae barbarae gentes plerumque cognoscunt et quodammodo reverentur; contra, propinquitas quae oritur e cognatione spirituali est merum Ecclesiae inventum, non autem naturalis quaedam relatio. Est enim haec statui iuris naturae prorsus ignota.

195. Utrum impedimento unius partis (e g. voto, ordine sacro, aetate) etiam pars altera, nullo ipsa laborans impedimento, inhabilis fiat?

Affirmative, scilicet ad valide contrahendum non sufficit habilitas unius partis sed requiritur utriusque. Siquidem contractus, ut „duorum in idem placitum consensus," est quid individui et ratione huius suae individuitatis non potest „claudicare", uti aiunt, i. e. non potest esse validus ex una et invalidus ex altera parte.

Cuius principii per se evidentis satis prona est applicatio, si agatur de duobus contrahentibus, eidem auctoritati, sive ecclesiasticae sive civili, subiectis, scl. aut de duobus fidelibus aut de duobus infidelibus. In utraque enim hypothesi pars impedimento carens inhabilitate compartis saltem indirecte et ipsa afficietur, nempe ratione propriae subiectionis illi regimini, quo compartis inhabilitas sit constituta.

Nec multo difficilior est applicatio, si pars non baptizata sit quidem lege civili habilis, sed contrahere velit cum baptizato lege canonica inhabili, sive hic talis sit ratione impedimenti sibi omnino proprii (e. g. voti, aetatis) sive ratione alicuius impedimenti quo ligetur relate ad partem non-baptizatam (ut est disparitas cultus, consanguinitas, affinitas, publica honestas, cognatio legalis et etiam crimen cum non-baptizato commissum). In omnibus enim hisce casibus pars non baptizata iterum indirecte impedimento afficietur, nempe ratione subiectionis partis baptizatae quoad legem canonicam.

Non vero adeo prona est praedicti principii applicatio in casu quo pars fidelis, lege Ecclesiae omnino habilis, intendit contrahere cum parte infideli, quae lege sua civili inhabilis est, e. g. ob impedimentum aetatis. Sunt qui opinantur, impe-

dimentum civile tunc reddi inane per legem Ecclesiae, partem fidelem habilem relinquentis. Etenim, ita hi a. a., tali casu habetur *conflictus* inter legem civilem et legem Ecclesiae, in quo conflictu Ecclesia, ut societas superior, praevalere debet [1]).

Vel etiam dicunt [2]), Ecclesiam tali casu etiam in partem infidelem *competentia* ad permittendum matrimonium gaudere, idque tum ratione partis fidelis, tum ratione materiae, i.e. ratione rei etiam naturaliter sacrae (cfr. supra, n. 53). Sed verius alii putant, impedimentum civile tali casu tenere, directe quidem, seu ratione subiectionis, partem infidelem; indirecte vero, seu ratione connexionis, partem fidelem. Nec ullus hic cernitur conflictus inter utramque potestatem: quippe Ecclesia, habilem relinquendo partem fidelem, eam habilitatem nulla sua lege extendit ad matrimonium cum persona alia lege inhabili; nec ulla hic demonstratur indirecta Ecclesiae competentia. Nam admissa competentia civili in matrimonia infidelium generatim, potestas civilis toties competenter et plane independenter ab Ecclesia decernit quoad suos, quoties in decernendo non egreditur fines iuris naturalis et divini, eamque competentiam Ecclesia tunc revereri tenetur. Idque non obstante indole rei sacrae, matrimonio „sua vi, sua natura, sua sponte" propria; inde enim robur quidem accedit competentiae Ecclesiae in suos, non vero oritur ei titulus competentiae in eos „qui foris sunt". Cfr. Sch.-v. d. B., n. 48.

196. An impedimentis dirimentibus ligantur qui se ea habere invincibiliter ignorant?

Affirmative, sive circa ius ignorantia versetur, sive circa factum. Ita ex can. 16, § 1: „Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur." Hinc „etsi quandoque ignorantia et bona fides excusare valeat a peccato, tamen numquam efficere potest matrimonium validum, quod obice dirimente fuerit initum" [3]).

---

1) Ita e. g. Resemans. *De Competentia civili,* etc., p. 2.

2) Ita Emus Gasparri in 3ª Ed., n. 306, ubi recedit a sententia opposita cui prius (Ed. 1ª et 2ª, n. 297) calculum adiecerat. Vide etiam Wernz, n. 60, *Scholion.*

3) Ita S. C. S. Officii in Instructione data ad Vic. Apost. Siamensem anno

De solo impedimento criminis ignorato olim dubitabatur. Sed ob can. 16 cit. nullum iam dubium superest.

197. Possuntne licite ac valide contrahere qui detinentur aliquo impedimento dubio?

Praenotandum. Supponitur agi de dubio *a.* positivo; *b.* debita diligentia discusso; *c.* eoque tunc adhuc fundato, seu in quo, pensatis pensandis, habilitas ad contrahendum maneat saltem vere probabilis, et ut talis universe vel certe ab auctoribus recepta. Quo praenotato aliter respondendum est quoad impedimenta iuris ecclesiastici, aliter quoad impedimenta iuris naturalis aut divini.

I. Dubium iuris ecclesiastici erit vel *iuris,* quod vocant, vel *facti.*

a. In dubio *iuris* iam antea sententia satis communiter recepta ac tuta tenebat, matrimonium semper licite ac valide, quamvis nulla obtenta dispensatione, contrahi posse; idque sive ex applicatione principii illius reflexi, quo lex dubia habenda sit pro lege nulla, sive ex applicatione alterius principii reflexi quo legislator, quoties legi probabiliter existenti opponitur agendi libertas pariter probabilis, praesumitur legem suam nolle urgere. Prima solutio est theoretica, altera practica. Cfr. S. Alph., n. 901. Iamvero hanc practicam solutionem authentice approbat can. 15: „Leges, etiam irritantes et inhabilitantes in dubio iuris non urgent."

b. In dubio *facti* praedictis principiis reflexis non est applicandi locus, ita ut lex de se certa in vigore suo remaneat. Ratio est, quia in tali dubio dubietas non se habet, sicut in dubio iuris, ex parte Ecclesiae eiusve legis; proinde non eodem iure ac in dubio iuris Ecclesia praesumi potest defectum forte existentem supplere. Hinc idem can. 15 citatus, in dubio facti dispensationem necessariam esse supponens, eiusdem concedendae facultatem concedit Ordinario „dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet". Conf. can. 1031, § 1, 1° et 3°.

1854 et allegata in Instructione data ad Episcopum S. Alberti Canadarum, 9 Dec. 1874. *Collect.,* n. 1401, p. 451. Vide etiam eiusdem S. C. responsum 11 Martii 1868 ad Vic. Ap. Iaponiae in *Collect.,* n. 1226 et cfr. Math., n. 186.

Nota. In ipso dubio *iuris* parochis et confessariis extra casus urgentiores Ordinarium consulere admodum expediet, sive ut dubium sufficienti diligentia discutiatur, sive ut ipsi Ordinario ansa praebeatur S. Sedem desuper consulendi et ab ipsa authenticam solutionem sollicitandi [1]).

II. Si agitur de dubio iuris naturalis aut divini, sive *iuris* sit, sive *facti*, prorsus illicitum erit cum tali dubio matrimonium contrahere. Siquidem qui hoc ageret perpetuum subiret periculum aliquid intrinsece malum perpetrandi, scl. vivendi in coniunctione fornicaria, adulterina vel incestuosa. Praeterea, quia Ecclesia nequit in eiusmodi impedimentis dispensare, frustra hîc adhiberetur ea praesumptio, quam supra adhibuimus ad I, *a*.

Ut descendamus ad praecipuos casus particulares, in quibus huius generis dubia occurrere possunt:

1° Notandum est, dubium iuris circa ius naturale et divinum vix aliter versari quam circa quosdam proximiores gradus consanguinitatis, nempe circa gradum secundum et tertium in linea recta necnon circa gradum primum in linea collaterali (frater et soror). Iamvero quaeritur e. g. an frater et soror infideles (quos haec consanguinitas non ligat in quantum est impedimentum ecclesiasticum) possint, stante dubio super iure naturali, matrimonium cum invicem contrahere? Et respondendum est: Minime; nam eiusmodi matrimonium, praeterquam quod foret probabiliter nullum seu incestuosum, insuper certo foret graviter indecens atque illicitum. Idque de aliis impedimentis mox recensitis repetendum.

2° Dubium facti, quoad impedimenta, quae certo sunt iuris naturalis aut divini, in triplici praesertim casu occurrere potest:

a. si quis dubitet, an puella quam ducere vellet, sit ipsius filia naturalis. Quisque videt, in hoc casu subesse periculum nefandae commixtionis inter patrem et filiam. A tali igitur coniugio, perseverante dubio, omnino erit abstinendum. Quod canone 1076, § 3 confirmatur, et simul extenditur ad omne

---

1) Gasp., n. 262; Feye, n. 636; Allègre, p. 90.

dubium „si quod subsit, num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis". Cfr. infra, n. 331.

b. si quis, secundas nuptias inire cupiens, dubitet utrum prior coniux revera fuerit defunctus. Hîc igitur habetur dubium facti de existentia impedimenti *vinculi.* Iamvero, etiam quoad hunc casum evidens est, secundum matrimonium licite contrahi non posse, quia stante dubio possidet prius matrimonium (non autem possidet libertas eius qui nubere velit), ac proinde possidet lex divina damnans bigamiam; cfr. can. 1069 et infra, n. 281;

c. si quis dubitet de sua physica potentia ad matrimonium. Sed de hoc casu dicemus inferius (n. 273), ubi de impotentia dubia ex professo.

198. An impedimentis dirimentibus ecclesiasticis ligantur qui ex una parte nequeunt sine magno incommodo matrimonium praetermittere vel differre, ex altera vero versantur in impossibilitate petendi vel obtinendi dispensationem?

Generatim loquendo ligantur, ita ut in nulla necessitate possint, nisi dispensatione obtenta, valide contrahere cum tali impedimento. Nam communis est sententia, leges irritantes quaslibet, etsi in aliquo necessitatis casu effectu carere possint quoad culpam et poenam, numquam tamen per se cessare quoad vim irritantem. Aertn[9]., L. I. n. 162, IV et 176, Princ. II. Quod non tantum valet si impossibilitas dispensationem petendi sit particularis (uti e.g. potest esse pro concubinario in articulo mortis) sed etiam si sit communis, e.g. in aliquo regno, tempore persecutionis vel perturbationis.

Sed excipiendus est casus, quo impedimentum aliquod ecclesiasticum, propter peculiares in aliqua regione circumstantias, efficeret ut matrimonia simpliciter iniri non possent: tali enim casu eiusmodi impedimentum, ratione damni communis inde secuturi, merito censeretur suspendi ex benigna mentis legislatoris interpretatione. Ita cum Ballerini-Palmieri (I, 318) Maroto, 243. Cfr. v. d. B.-Sch., n. 50. Exemplo sit casus quo in aliquo infidelium loco adeo pauci essent christiani, ut non possent inter se matrimonia contrahere,

atque, ob locorum distantiam, non valerent dispensationem petere pro iugo cum infidelibus ducendo: in tali casu praedicti christiani non ligarentur impedimento disparitatis cultus. S. C. S. Off. 4 Iunii 1851 ad Vic. Apost. Mandciuriae in *Collect.*, n. 1275. Cfr. can. 1098.

Caput II. De impedimentis impedientibus speciatim

Art. I. *De impedimento voti*

199. Quaenam vota matrimonium impediunt?

„Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi Ordines sacros et amplectendi statum religiosum." Ita can. 1058, § 1.

Tria priora, cum similitudinem inter se habeant, ab ipsis voventibus aliquando confunduntur, ita ut non statim pateat quodnam praecise votum emissum fuerit. Quae dubitatio ex inquisitione de *obiecto* et de *motivo* voti emissi auferri aliquando potest. Nam votum virginitatis, pressius sumptae, pro obiecto prohibito habet *illud primum peccatum consummatum,* quo virginitas laeditur, i. e. voluntariam seminis effusionem, si agatur de viro; si vero de muliere, copulam aut innaturalem corporalis integritatis laesionem culpabiliter factam. Votum non nubendi, seu caelibatus, si vocem premas, pro obiecto habet, quod illicitus fiat *unicus actus ineundi matrimonii*; igitur non formaliter sed consequenter tantum inducit obligationem observandi continentiam. Votum castitatis formaliter et per se *quemlibet actum castitati contrarium,* sive externum sive internum, ex motivo religionis prohibitum reddit. Ita fere Lehmk., n. 946.

Communiter quidem, qui apud nos aliquod ex praedictis votis se emisisse confiteantur, specifice votum castitatis perfectae intelligent. Quodsi tamen in aliquo casu dubitetur, neque ex *obiecto,* quod vovens intendit, dubitatio auferri possit, adiumento potest esse interrogatio circa *motivum* quo poenitens ductus fuerit ad vovendum. Quodsi enim vovit ex desiderio specifico *declinandi onera matrimonialia,* praesumi

potest caelibatum vovisse, nisi aliud constet. Si impulsus fuit desiderio *specialem aureolam virginum* sibi comparandi, aut *carnem servandi illaesam*, concludi potest virginitatam presse sumptam Deo promissam fuisse. Quodsi denique *ex amore ipsius virtutis puritatis* permotus fuit, formaliter castitatem vovisse dicendus est. Zitelli, p. 98; Lehmk., l. c.; Matharan, n. 160.

200. *a.* An et quomodo peccat qui, aliquo ex praedictis votis ligatus, nihilominus matrimonium contrahit? *b.* Ad quid adhuc tenetur p o s t q u a m, matrimonium ineundo, votum suum violavit?

Ad *a.* In omnibus et singulis illis casibus contrahens graviter peccabit, sive directe contra votum agendo, si nempe adsit votum non nubendi; sive periculo violationis voti se exponendo. Excipe tantummodo casum vix practicum, quo duo castitatis aut virginitatis voto devincti, exemplo B. Mariae Virginis et B. Ioseph, matrimonium contraherent absque probabili periculo votum violandi.

Ad *b.* Qui cum mero v i r g i n i t a t i s voto contraxit, etiam coniugatus ad virginitatem servandam ipse tenetur, salvo tamen iure compartis coniugale debitum exigendi. Hinc, quamvis debitum coniugale ipse petere non possit, potest tamen comparti iure suo petenti debitum reddere.

Idem quoad servandam castitatem perfectam, dicendum est de eo, qui iam in matrimonio vivit dum c a s t i t a t i s voto ante matrimonium emisso Deo obstrictus manet. Quibusnam in casibus ius debitum coniugale exigendi alteri parti evanescat, ideoque coniugi voto ligato debitum non tantum petere sed etiam reddere sit prohibitum, id inferius dicetur.

Qui mero c a e l i b a t u s voto devinctus nuptias iniit, is, quum votum adhuc implere impossibile reddiderit, ad nihil ultra tenetur. Qui contra votum a m p l e c t e n d i s t a t u m r e l i g i o s u m (cfr. can. 487) nuptias contraxit, is his durantibus ad nihil ultra tenetur. Nam secundum can. 524, 1^0 durante matrimonio invalide ad noviciatum admitteretur, etiamsi ad hoc consensum compartis obtinere posset. Quamvis autem ab huius canonis lege Sedes Apostolica dispensare utique possit,

nulla tamen videtur obligatio dari ad huiusmodi dispensationem petendam. Poterit proinde debitum coniugale tum reddere tum petere, et quidem statim; nam privilegium, neo-coniugibus de religione ingredienda cogitantibus a iure antiquo concessum, scl. non reddendi debitum coniugale per primum coniugii bimestre, a Codice silentio praeteritum ideoque (ex can. 6⁰, 4) abrogatum est [1]).

Etiam ad suscipiendos ordines sacros ex voto obligatus, quum „viri uxorem habentes" sint ex can. 987, 2⁰ ab ordinibus sacris impediti, durante coniugio ad nihil tenebitur.

201. Quaenam sunt praecipuae causae dispensandi in voto?

Praenotandum 1. Haec quaestio, sicuti et duae sequentes, proprie ponenda esset in Parte nostra V. — Sed noluimus pauca illa, quae de votis dispensandis dicenda sunt, ab hoc articulo seiungere.

Praenotandum 2. Quia voti religio obligat ex iure divino, nemo superior ecclesiasticus, neque ipse Romanus Pontifex, potest nomine Dei votum dispensando condonare, nisi iusta aliqua causa condonationem suadeat. De ipsa Ecclesiae potestate dispensandi in votis alibi agitur. Vide e. g. Lehmk., I, n. 470; Aertn⁹., n. 494, II. Iamvero, praecipuae dispensandi causae sunt:

1⁰ Imperfectio actus quo votum emissum fuit, puta si ante pubertatem, si ex metu, moerore, tristitia aliave perturbatione mentis.

2⁰ Infirmitas voventis, puta cum vovens adeo difficulter continere se possit, ut votum ipsi moraliter occasio ruinae esse debeat.

3⁰ Detrimentum voventis, puta si ratione voti multis crucietur scrupulis et anxietatibus, a quibus se liberare frustra diu sit enixus.

4⁰ Bonum commune, puta si connubium voventis notabiliter conferat ad lites et dissidia, quae ob successionem interdum in familiis oriuntur, sedanda. Ad bonum commune

---

1) Schaepman, *Codex en Huwelijksrecht*, blz. 80.

refertur etiam compositio pecuniaria ad pias causas: charitativa enim ac religiosa opera, quae per copiam pecuniae procurari possunt, ipsius voti bono praeponderant.

Pro dispensatione in voto illius qui matrimonium iam contraxit tamquam causa allegari potest:

5⁰ Difficultas, et imo impossibilitas servandi voti in statu matrimoniali. Cfr. S. Lig., L. IV, n. 252 en 253.

202. Quinam possunt in impedimento voti dispensare?

1⁰ Romanus Pontifex plenissima gaudet potestate dispensandi in utroque foro.

2⁰ Ex canone 1313 vota non reservata possunt dispensare:

a. Loci Ordinarius quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos.

b. Superior religionis clericalis exemptae quod attinet ad personas quae can. 514, § 1, enumerantur.

c. Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas.

Reservata natura sua sunt quaelibet vota „publica", utpote „nomine Ecclesiae" a legitimo Superiore ecclesiastico acceptata. Can. 1308, § 1. Ex votis „privatis" (i. e. non-publicis) reservata tantummodo sunt votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingediendi religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum 18^{m} aetatis annum. Can. 1309. De circumstantiis voti reservationem auferentibus vide Aertn^{9}., n. 498.

Religio *clericalis* est cuius plerique sodales sacerdotio augentur. Can. 488, 4⁰. Personae, can. 514, § 1 enumeratae, sunt, praeter professos et novitios, omnes alii in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis.

Sedis Apostolicae *delegatio* quoad casus nonnullos facta est ipso iure non solum Ordinariis (can. 1313, 1⁰, cfr. can. 198, § 1 et 2) sed etiam parochis et confessariis (can. 1043—1045); praeterea contineri solet tum certis privilegiis antiquis, praesertim Regularium, novo Codice per se non abrogatis. Cfr. can. 4.

Quoad *indulta* a S. Sede hac in materia forte concedenda

notetur, ea communiter quidem extendi ad vota simplicia in aliqua Congregatione regulari emissa, dummodo tamen:

a. agatur de instituto mere dioecesano, domos non habente in aliis dioecesibus cum superiore vel superiorissa generali, et

b. audiatur superior vel superiorissa, consentientibus eius consiliariis. In qualibet huiusmodi dispensatione concedenda cavendum est ne dispensatio laedat ius aliis quaesitum. Can. 1313, initio.

3° Vi can. 81 Ordinarii in ipsis votis reservatis dispensare possunt si „difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni" ...

203. Dispensatio in impedimento voti quomodo petenda, et, si obtenta fuit, quomodo exsequenda?

R. ad 1m. Petendae dispensationi triplex haec formula inserviat.

Formula I, pro petenda dispensatione in voto privatim emisso, ad matrimonium contrahendum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Sempronia *(nomen fictitium)*, huius Harlemensis dioecesis subdita, votum simplex castitatis perpetuae (*vel* ad ... annos) privatim emisit; nunc vero cupit matrimonium contrahere, ideoque humillime petit, ut super praefato voto secum dispensetur.

Causa est *(allegetur una alterave ex causis n. 201 assignatis)*.

Illustrissimae Dominationis Vestrae

famulus devotissimus

N. N.

Parochus (sacellanus) ad N.

Formula II, pro petenda dispensatione in voto privatim emisso ad licite utendum matrimonio iam contracto.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Maevia, huius dioecesis subdita, a quattuor circiter mensibus matrimonium in facie Ecclesiae contraxit. Iamvero, praevie votum simplex perpetuae castitatis privatim emiserat, et cum tali voto matrimonium scienter inivit et consummavit, marito hoc ignorante (*vel:* quin tamen illud consummare audeat).

Quare, de praemissis maxime dolens, humillime Amplitudinem Vestram rogat, ut, mediante dispensatione super voto praedicto, liceat ipsi maritaliter vivere.

Causa est: difficultas, imo et impossibilitas servandi voti in statu matrimoniali. Reverendissimae Amplitudinis Vestrae, etc. *(ut supra).*

Formula III, pro petenda dispensatione, ad matrimonium contrahendum, super voto triplici, in aliqua Congregatione emisso.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Ioanna N., aetatis 25 annorum, nunc parochiana mea, reverenter exponit, se die .... anni .... tria vota simplicia emisisse in Congregatione N. *(addatur utrum sit Congregatio mere dioecesana, an secus).*

Iamvero, de consensu superiorissae et, quod testatur oratrix, de consilio confessarii, domum religiosam a duobus circiter mensibus egressa, christianum matrimonium inire sibi proposuit. Quare humillime petit, ut Illustr. Vestra Dominatio super hisce votis dispensare vel dispensationem Sedis Apostolicae procurare benigne dignetur, quo matrimonium contrahere et consummare licite valeat.

Causae sunt: etc. (ut supra).

R. ad 2^m. Obtenta dispensatione *a.* attente perpendantur singula verba rescripti; interdum enim non dispensatio conceditur, sed mera commutatio voti castitatis in alia pia opera, v. gr. in frequentem confessionem sacramentalem. Deinde solet rescriptum hanc continere clausulam: „Ita quod commutatio quoad votum sit tantum ad effectum ut matrimonium legitime contrahere, et in eo postmodum debitum coniugale reddere et exigere licite possit. Quod si uxori [marito] cui iungetur [iunctus est], supervixerit, castitatem servet, utpote eodem voto castitatis, ut prius, alligatus; et si umquam extra licitum usum matrimonii deliquerit, aut matrimonium absque nova dispensatione contraxerit, sciat se contra castitatis votum facere, et debitum coniugale exigere non posse; et ita illum moneas"; *b.* moneatur vovens in confessionali secundum ea quae in rescripto leguntur; *c.* rescriptum in foro interno obtentum executioni mandari potest sequentibus vel aliis verbis, post solitam s. absolutionis formulam dicendis: „Et insuper, auctoritate [apostolica] mihi a Reverendissimo

Ordinario specialiter delegata, ego tibi votum [perpetuae] castitatis, quod emisisti, in opera pietatis quae tibi praescripsi, dispensando, ad effectum licite contrahendi matrimonium [vel: licite petendi et exigendi coniugale debitum] commuto. In nomine Patris," etc.

Art. II. *De impedimento cognationis legalis.*

204. Quid cognatio legalis?

Est propinquitas personarum quae oritur ex *adoptione*. Est autem adoptio: Institutum iuris Romani, quoad substantiam a nonnullis legislationibus modernis retentum, quo in locum filii is assumitur qui natura talis non est. Substantia huius instituti, praeter ipsam legalem propinquitatem inter adoptantem et adoptatum, sunt quaedam iura adoptato lege concessa. Sicut ipsa propinquitas, ita et iura inde manantia pro diversitate legislationum diversimode se habebant.

Iure Romano ex adoptione, saltem ex ea quae esset perfecte talis [1]), agnoscebatur cognatio (matrimonium non solum impediens sed etiam dirimens) primo quidem in linea recta inter adoptantem et adoptatum adoptatique liberos; deinde vero in linea collaterali inter adoptatum et liberos adoptantis; denique etiam inter adoptatum et uxorem adoptantis necnon inter adoptantem et uxorem adoptati, quae ultima relatio potius per modum affinitatis quam per modum cognationis se habebat.

Iure moderno legalis illa cognatio est plerumque magis restricta, nempe inter solum adoptantem eiusque descendentes existens.

205. Cognatio legalis quousque etiam iure canonico viget?

a. Iure canonico Codice priori cognatio legalis, nominatim quoad inde manantia matrimonii impedimenta, eo prorsus

---

1) De distinctione inter adoptationem *perfectam* (adrogationem) et *imperfectam*, deque diversis earumdem effectibus, vide Ben. XIV, *de Syn.*, L. IX. C. X. n. 4.

modo quo a iure Romano statuta fuerant, etiam iure canonico vigebat, nempe ex receptione et approbatione huius capitis iuris Romani per Nicolaum I in suo responso ad consulta Bulgarorum, cuius responsionis fragmenta referuntur in cap. unico de *cognatione legali* (IV, 12). Proinde si olim in foro Ecclesiae quaestio incideret an in hoc vel illo casu impedimentum cognationis legalis adesset, necessario recurrendum erat ad ius Romanum, atque ad eius normam quaestio decidenda. Ita Ben. XIV, l.c. Cfr. S. C. de Prop. Fide ad Vic. Ap. Tunk. Occ. 14 Jan. 1802 (*Collect.* n. 1249).

b. Iure vero Codicis cognatio legalis eo modo viget quo in legislatione civili c u i u s q u e r e g i o n i s. Can. 1059 ita habet: „In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas [1]), iure quoque canonico matrimonium illicitum est". Et can. 1080: „Qui lege civili inhabiles [2]) ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere".

Unde sicut olim ad ius Romanum, ita deinceps ad ius et iurisprudentiam civilem cuiusque regionis quaelibet hac in re controversia, in foro ecclesiastico forte occurrens, decidenda erit.

206. Num institutum adoptionis viget in patria nostra?

In patria nostra olim quidem, nempe ante diem 1 Oct. 1838, vigebat vi Codicis Napoleontici. Ab illa vero die, inducto Codice civili Neerlandico, vigere desiit [3]).

Art. III. *De impedimento mixtae religionis.*

207. *Mixta religio* quid vocatur?

Vocatur religionis diversitas „inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta". Can. 1060. Antea in ipsis Sedis Apostolicae documentis etiam „disparitas cultus imperfecta"

1) Ita e. g. in Germania, Austria, Helvetia. Cfr. Schäfer, *Das Eherecht*, Münster, 1918, S. 81, f.f.

2) Ita e.g. in Italia. Cfr. Wernz, n. 472.

3) Asser. *Het Burg. Wetb. vergeleken met het Wetb. Napoléon*, blz. 167.

vocabatur, quo distingueretur a disparitate cultus „perfecta" existente inter-personam baptizatam et alteram non-baptizatam. Sed in Codice nomine *disparitatis cultus* nonnisi haec ultima religionis diversitas intelligitur, solo nomine *mixtae religionis* priori diversitati applicato. Etiam matrimonium, inter huiusmodi personas contractum, *mixtum* vocatur.

208. Mixta religio, quale impedimentum?

Est impedimentum *de se* mere prohibens, matrimonium graviter quidem illicitum non vero irritum faciens.

Dicimus „est *de se* mere prohibens"; quod enim matrimonia mixta, absque dispensatione in hoc impedimento inita, plerumque etiam invalide contrahuntur, id *aliunde* repetendum est, nempe e neglectu legis irritantis de matrimonii legitima *forma*. Matrimonium mixtum, absque dispensatione in impedimento mixtae religionis, sed observata legitima forma contractum, illicitum quidem sed tamen validum foret.

Circa legem matrimonia mixta vetantem haec sunt consideranda: 1^0 ipsa lex eiusque rationes; 2^0 eius dispensabilitas et dispensationis sperandae conditiones; 3^0 forma et ritus nuptiarum mixtarum; 4^0 munus parochorum et confessariorum quoad huius legis custodiam; 5^0 eorumdem munus quoad matrimonium mixtum sine dispensatione iam initum.

§ 1. De ipsa lege matrimonia mixta vetante.

209. Matrimonia mixta quonam iure prohibita?

Matrimonia mixta iure non solum ecclesiastico sed etiam naturali et divino prohibita sunt.

a. Certissimo constat, Ecclesiam inde a primis saeculis[1]) matrimonia mixta semper perhorruise, eademque nullo non tempore prohibuisse. Leo XIII in Enc. „Arcanum": „Ca-

1) Exemplo sit can. 16 Illiberit. (306): „Haeretici, si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, nec ipsis catholicas dandas esse puellas; ... si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet." (v. Hefele, I, S. 134). Deinde can. 14 Chalced: ... „[Neque] copulari debet nuptura haeretico, aut Iudaeo vel pagano, nisi forte promittat, se ad orthodoxam fidem ... transferre" (v. Hefele, II, S. 449).

vendum," inquit, „ne coniugia facile appetantur cum alienis a catholico nomine: animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse quoad caetera concordes. Quinimo ab eiusmodi coniugiis ex eo maxime perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum et persaepe animos impellunt, ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine". Quare „severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium mixtum ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quodsi adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur". Can. 1060.

Quoad matrimonia mixta speciatim in nostris regionibus abhorrenda, vide C. P., p. 182 et S. D., p. 63.

b. Hanc vero legem non esse mere ecclesiasticam, sed intime connecti cum iure naturali et divino, sicut can. cit. enunciat, evidens erit si perspiciantur rationes, quibus ad hanc legem ferendam permota fuit Ecclesia.

210. Coniugia mixta, quasnam ob rationes prohibita?

Quia huiusmodi coniugia, secundum verba Leonis XIII modo citata:

a. „Occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum," Matrimonia mixta revera includere vetitam communionem in sacris cum haereticis, hisce verbis explicat Ben. XIV: „Etenim, cum matrimonium unum sit ex septem Ecclesiae sacramentis, idem est matrimonium cum haeretico contrahere ac unum idemque sacramentum una cum eodem vel conficere, si nimirum ipsimet contrahentes sint talis matrimonii ministri, quod magis communiter opinantur scholastici [1]), vel saltem percipere, si scl., quod alii praesertim ex recentioribus theologis autumant, illius minister

1) Possumus addere: „... quodque hodie certum est apud omnes". (Cfr. supra: n. n. 113 et 114.)

sit solus sacerdos. Utrumque autem et illicitum, et sacrilegum esse nemo dubitat." (*De Syn.*, L. VI, c. 5, n. 3 [1]):

b. „Periculum religioni creant coniugis catholici." Seclusa enim formali eius defectione a fide catholica, maxima profecto ei oritur difficultas implendi officia religionis legesque Ecclesiae servandi, et sic periculum incidendi in funestissimam quamdam circa negotia salutis inertiam;

c. „Impedimento sunt bonae educationi filiorum" Perpulchre scribit Clem. XIII in Litt. 16 Nov. 1763 ad Cardin. de Rohan, Episc. Argentoraten., § 2: „Ex huiusmodi coniugiis existimamus, catholicae Ecclesiae magnam cladem allatum iri. Si enim mater, penes quam est prima sobolis educatio, a nostris sacris aliena sit, quid de liberorum religione non est timendum? Illa enim pro materno amore de aeterna eorum salute sollicite cogitans, nullam praetermittet occasionem, qua illos imbibat suae sectae doctrina, quam unice veram putat. Ac si virum, vel in vigiliis ieiunantem et carnibus abstinentem, vel ad sacram Eucharistiae mensam accedentem, quasi inania sectantem, ut saepissime fiet, irrideat, id etiam certe fieri oportet paulatim, ut in animos puerorum illabatur sacratissimarum rerum contemptus. Quae vero a tenera aetate arripuerint, ea ex illorum animis difficillimum est evellere. (§ 3) E contra, si mater quidem catholicam religionem colat, pater vero alicui haereticae sectae addictus, in puerorum conspectu dicta uxoris et facta, quae ad religionem pertinent, ioculariter illudat, an non puerilis animus liberorum, penes quos plurimum valet patris auctoritas, de veritate religionis, quam sequitur mater, nonnihil dubitaverit? Quid si seria oboriatur inter virum et uxorem de religione disputatio? An non liberi, quorum mens, alternantibus in parentum disputatione momentis, hac illac impellitur, sensim in religionis prolabentur indifferentiam, qua nihil exitialius, nihil religioni inimicius, cum omnem religionem veram falsamve funditus tollat... Praeterea [pars haeretica] plures e sua secta admittet in familiam, nec prohiberi poterunt ab eius domo falsae sectae ministri, qui salutandi

1) Cfr. Epist. ad Titum, III, 10; II Ioan. 10 et 11. Hinc dici potest, matrimonium mixtum, utpote communicationem vetitam in sacris, etiam iuri divino positivo adversari.

gratia eam conveniant. Hi nimirum suo non deerunt ministerio, quo oves suas in errore confirment, artemque suggerent... qua in animis liberorum bonae doctrinae germina ab ipso tempore, quo incipiant erumpere, exarescant [1]). (§ 4) Huc accedit, quod si alteruter coniugum, qui catholicus sit, vita functus, liberos in prima aetate reliquerit, alteri coniugi haeretico liberum erit, venenatae sectae suae sensibus filios suos inficere." (*Collect.*, n. 1421). Atque haec quidem Pontifex enarrat, supposito etiam conditionem de educanda prole in vera religione fuisse appositam;

d. „Persaepe animos impellunt ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant." Iam antea Clem XIII (in litteris modo citatis), Pius VIII et Greg. XIII matrimonia mixta impugnaverant praecise ob funestissimum, qui per ea fovetur *Indifferentismum,* ut vocant, quique impetit dogma catholicum fundamentale, quo unam Ecclesiam catholicam salvificam esse credatur necesse est;

e. Maxime denique obsunt intimae unioni animorum, et individuae illi vitae consuetudini, quam matrimonium, inter christianos praecipue, propriam sibi vindicat. „Animos enim de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse quoad caetera concordes" (Leo XIII [2]). Revera, tum

---

1) Eene Circulaire van 17 Juni 1824 „omtrent de gemengde huwelijken" uitgegeven door de Synode der Nederl. Herv. Kerk bevat deze zinsnede:

„Het spreekt van zelf, dat die gemeenteleden, welke reeds aan Roomschgezinde echtgenooten verbonden zijn, meer nog dan andere, de trouwhartige zorg en het herderlijk opzicht van hunnen leeraar behoeven, en door hem met Christelijke behoedzaamheid behooren opgewekt te worden, om aan de eenmaal opgelegde belijdenis getrouw te blijven. Doch wij moeten het geheel aan zijne met voorzichtigheid gepaarde getrouwheid en kennis der verschillende omstandigheden overlaten te beoordeelen, in hoeverre hij pogingen aanwenden kan om te voorkomen, dat de kinderen, uit een gemengd huwelijk gesproten, zelfs boven en tegen aangegane verbintenissen, in de Roomsche kerkleer door de ouders worden opgevoed, of daartoe aan anderen ter opvoeding toevertrouwd." J. Douwes en Mr. H. O. Feith, *Kerkelijk Wetboek,* Groningen 1914 blz. 1483 en 158.

2) Quod iam intelligentes antiqui Romani, solemne semper habuerunt, quod uxor sequi deberet sacra mariti. Hinc in Iure Romano matrimonium definitur: „Coniunctio maris et feminae, consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio."

ex difficili ut plurimum officiorum religiosorum observatione, tum ex curis in prolis educatione a parte catholica adhibitis et necessario tamen adhibendis, rixarum atque dissensionum uberrimum fomitem mixtae nuptiae praebent.

Nota. Ex his rationibus bene perspectis cuique evidens erit, quod num. praec. diximus, legem Ecclesiae, coniugia mixta prohibentem, intime connecti cum iure naturali et divino. Imo, „quodsi adsit perversionis periculum (proximum) coniugis catholici et prolis, coniugium (mixtum) ipsa etiam lege divina vetatur" (can. 1060), et in tantum lex ecclesiastica continet potius simplicem iuris naturalis ac divini promulgationem et confirmationem, quam ordinationem positive ecclesiasticam.

211. An, si in aliquo casu particulari nullum ex recensitis damnis atque periculis sit pertimescendum, matrimonium mixtum nihilominus illicitum manet?

Proculdubio: licet enim tali casu non urgeret ius divinum, maneret tamen prohibitio ecclesiastica: haec autem fundatur in praesumptione *universalis* periculi, proindeque non cessat, quamvis illa praesumptio in facto particulari non verificetur.

212. Numquid lex de matrimoniis mixtis fuit in quibusdam regionibus consuetudine contraria sublata?

Revera aliqui auctores, iique etiam graves (quorum opinionem S. Alphonsus, *De Sacr. in genere,* Cap. II, n. 56, „valde probalilem" vocat) pro aliquibus regionibus e g. pro Germania, Gallia, Polonia, Hollandia, eiusmodi consuetudinem invocarunt. Recenti adhuc tempore, scl. anno 1871, Archiepiscopus Corcyrensis S. Congregationi S. Officii proposuit dubium, quid sentiendum esset de opinione quae in sua archidioecesi inoleverat, licite posse mixtas iniri nuptias absque Sedis Apostolicae dispensatione.

Sed S. Officium respondit, huiusmodi opinionem, qualibet non obstante consuetudine, tolerari non posse. *Collect.*, n. 1434. Quae responsio omnino iis concordat quae iam antea, repetitis vicibus, declaraverant summi Pontifices. Unum audiamus Benedictum XIV, qui in ipsa sua super matrimonia mixta in Hollandia Declaratione maxime se dolere profitetur „inter

catholicos esse, qui ab hisce detestabilibus nuptiis, quas S. Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent", seque laudare „zelum illorum antistitum, qui catholicos coercere student, ne sacrilego huic vinculo sese haereticis coniungant" (*Collect.*, n. 1420). Quibus verbis Pontifex manifesto r e i e c i t quamlibet consuetudinem in contrarium, si quae in hisce regionibus umquam extiterit. Idque eo vel magis concludendum, quo idem Pontifex in opere *de Synodo* (L. IX, c. 3, n.2) expressius etiam dicit: „Neque est ut hac in re contraria ulla consuetudo opponatur, quoties non adsit positiva Pontificis dispensatio. Pontificiae auctoritati iniuria fit ab iis qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes, alteram catholicam et alteram haereticam, contrahantur."

Ratio autem praecise in eo est, quod contra huiusmodi prohibitionem, utpote intime cum iure naturali et divino connexam, nulla consuetudo possit esse rationabilis.

Quidam provocarunt ad t o l e r a n t i a m, qua Ecclesia respectu matrimonii mixti in quibusdam regionibus usa est, ita ut adversus invalescentem usum mixtarum nuptiarum diuturno tempore n o n r e c l a m a v e r i t. At frustra. Nam „tolerat quidem in aliquibus locis Apostolica sedes matrimonia inter catholicum et haereticam, vel catholicam et haereticum, *cum nequeat impedire,* et ecclesiastica quadam prudentia, *ne maiora mala enascantur,* dissimulat ac tacet." Ita Ben. XIV in Litt. ad Episcopos Poloniae, 8 Aug. 1784. Et Greg. XVI in Brevi ad Episc. Bavariae, 27 Maii 1832 sic dicit: „Quamvis ad evitanda scandala quandoque in aliquibus locis necesse fuerit, illicita huiusmodi matrimonia tolerare, non tamen praetermiserunt Romani Pontifices, omni qua possent ratione providere, ut tunc etiam iis in locis fidelis populus edoceretur, quantum deformitatis et spiritualis periculi nuptiae illae prae se ferant, quantique propterea sceleris reus sit catholicus vir aut mulier, qui canonicas ea de re sanctiones violare praesumpserit." Proinde si quadam tolerantia usa sit Ecclesia, ea tota c o a c t a fuit et nonnisi s i l e n t i o Ecclesiae, respectu graviorum malorum secus oriundorum, aequivalet.

N o t a. Quo etiam patet, quantam adversus Apostolicam

sedem calumniam iaculentur, qui (uti aliquando fit in diariis Protestantium) eam perhibent tolerantia sua atque tacita conniventia, maxime vero sua praxi in mixta religione dispensandi, coniugia mixta studiose fovere potius quam perhorrescere, quo scl., inquiunt, proselytismo inserviant, ad augendum catholicorum numerum. Quam calumniam nisi iam refellerent S. Sedes effata supra adducta, sane destruerent cuiuslibet diei tristissima experientia et statisticae computationes.

§ 2. An et quomodo in mixta religione dispensetur.

213. Impedimentum mixtae religionis potestne ab Ecclesia dispensari, ita ut matrimonium mixtum ex illicito licitum fiat?

Distinguendum est: Aut enim, in casibus de quibus agatur, prohibitio iuris naturalis et iuris divini vim suam retinet, aut prohibitio illa cessat, ita ut, in ultima hypothesi, sola remaneat prohibitio ecclesiastica. Si primum, Ecclesia non potest dispensare, et, si forte, per errorem de facto dispenset, dispensatio irrita est nec efficit matrimonium licite contrahi. Si alterum, Ecclesia dispensare utique potest; attamen de facto non dispensat nisi certis quibusdam ac gravibus conditionibus impletis, et additis specialibus quibusdam prohibitionibus ac praeceptis, quae e canonibus 1061—1064 inferius referemus.

214. Quomodo autem cessat in aliquo casu particulari prohibitio iuris naturalis et divini?

Cessabit prohibitio iuris naturalis, si uterque nupturiens, praesertim autem pars haeretica, debitas praestet cautiones, quibus saltem periculum proximum perversionis tum ab ipsa parte catholica tum a prole suscipienda removeatur [1]).

1) Dico: „quibus saltem periculum proximum perversionis removeatur." Ordinario enim, nisi pars haeretica ad fidem catholicam transeat, aliqua pericula, plus minusve remota, parti catholicae et liberis suscipiendis remanebunt. At, quia huiusmodi pericula nondum sunt formaliter peccata, fieri potest, ut propter causam proportionate gravem prohibitio legis naturalis aut cesset aut iam non sit gravis.

Cessabit prohibitio iuris divini (de non-communicando *in sacris* cum persona haeretica), si sacrorum communicatio nullam involvat haeresis approbationem. Quod verificabitur, si tum pars haeretica, praedictas cautiones ponendo, ostendit se nulla haeretica intentione matrimonium suscipere velle, tum a celebratione ipsius matrimonii quilibet absit ritus haereticus.

215. Obiicitur: Secundum id quod habetur n. 33, 2⁰ ipsi contrahentes sunt sacramenti matrimonii ministri. Atqui, ne sacramenta profanentur, minister sacramentorum nequit ea iis conferre qui manifeste sunt indigni (Aertn⁹., L. VI, n. 20), quales sunt tum peccatores catholici, tum praesertim haeretici. Ergo contrahere cum haeretico, obtenta licet dispensatione ecclesiastica, manet quid illicitum, seu, quod idem est, Ecclesia non potest licite in cultu mixto dispensare.

Hanc obiectionem Card. de Lugo (*De Sacr. in genere,* Disp. VIII. Sectio XIV) sequenti modo refellit. Primo loco provocat ad auctoritatem et praxin Ecclesiae, quae iam inde a Conc. Chalc. (can. 14 supracit.) usque ad nostra tempora, debitis sub cautelis in cultu mixto dispensare consuevit. At, foret valde temerarium dicere, Ecclesiam ita fecisse contra ius naturale et divinum.

Deinde expositae difficultati duplicem opponit rationem theologicam.

a. Prima, qua difficultas nostra indirecte eliditur, sic proponitur: Licet sane ab aliquo petere rem vel actionem non intrinsece malam (i. e. quam alius praestare licite potest), quoties talis res vel actio est petenti hic et nunc necessaria aut etiam valde utilis; idque tunc licet, quantumvis petens praevideat vel sciat, eum, a quo petit, esse in praestanda illa re vel actione de facto peccaturum. Sic e. g. licet alicui, pecuniam indigenti, mutuum petere ab usurario; iudici licet iuramentum deferre homini peieraturo. Similiter licet, ob aliquam causam necessitatis vel utilitatis, sacramenta petere ab eo, quem quis in sacramento conferendo peccaturum praevideat (Aertn⁹., n. 35). Quamvis autem verum sit, eum qui matrimonii sacramentum petit [et recipit a comparte] eo

ipso, respectu compartis, ministrum quoque eiusdem sacramenti agere, tamen haec circumstantia nequit efficere ut sacramentum matrimonii petere idcirco sit illicitum. Non enim est, cur in tali subiecto magis respiciamus rationem ministri quam petentis, neque cur in hoc sacramento subiectum, eo quod propter unitatem actus simul petat et ministret, debeat esse deterioris conditionis quam in aliis sacramentis. Ergo etiam sacramentum matrimonii ob causam necessitatis vel magnae utilitatis licite petitur ab indigno, et, per consequens [propter unitatem actus], licite huic ministratur.

b. Altera, quae obiectam difficultatem directe impetit, ita proponitur:

Principium illud generale, quod enunciatur in minori, deficit quoad ministrum matrimonii, quia quoad ipsum deficit potior illius principii ratio, quod scl. minister sacramentorum debeat esse „dispensator fidelis". Non enim in hoc sacramento, sicut in aliis, minister est pastor, cui ex munere proprio competit distributio sacramentorum, quasi personae publicae et ad bonum publicum attendenti; sed est persona privata, celebrans contractum, atque ideo primario attendens ad utilitatem et commodum proprium. Unde non tenetur, sicut minister aliorum sacramentorum, attendere principaliter ad merita vel demerita illius, qui sacramentum ab ipso accipit. Vide etiam Ben. XIV, *de Syn.*, L. IX, cap. III, n. 5.

216. Quibusnam sub conditionibus in cultu mixto dispansetur?

Non dispensatur „nisi 1^0 urgeant iustae ac graves causae; 2^0 cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovenda a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda; 3^0 moralis habeatur certitudo de cautionum implemento." Can. 1061, § 1. Cfr. Ben. XIV, Const. „Magnae Nobis", 9 Iun. 1748 (*Bull. Ben. XIV*, t. VI, p. 70 et 71). De quibus conditionibus nunc singillatim.

217. Quaenam sunt causae „iustae ac graves", ideoque canonicae, ad cultus mixti dispensationem obtinendam?

Codex I. C. nullam causam in specie ut „canonicam" assignat. Quatenus vero monitum illud canonis 1064, 2° ad animarum pastores — scl. omni studio curandi „ne nuptiae contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur" — etiam causam quandam „ipso iure statutam" involvere alicui videatur [1]), ea causa profecto identica est cum illa, quam in nunc contexenda causarum serie ultimo loco (ad *i.*) afferemus.

Ipsa vero illa series exemplificative potius quam taxtative quasdam causas uti canonicas exhibebit, quum (uti apposite habet Bangen, IV, p. 20) in iudicando de causae iustitia et gravitate „semper considerandae sint cuiusque casus circumstantiae."

In genere dispensatio non concedatur nisi „intercedente gravi aliqua, ac plerumque p u b l i c a causa" [2]) i.e. religionis aut moralitatis bono notabiliter conferens. Eiusmodi autem e. g. foret:

a. si princeps acatholicus, adhibitis cautionibus, ducere velit catholicam, indeque magna religionis catholicae commoda forent speranda:

b. si probabilis adsit spes, quod familia aliqua acatholica, ad veram fidem inclinans, per matrimonium mixtum ad Ecclesiam revertatur;

c. si matrimonium mixtum sit unicum remedium ut liberi, ex alio matrimonio mixto iam procreati, in religione catholica educentur;

d. si magna scandala, ex diffamatione puellae ab haeretico iam gravidatae vel alio modo oritura, nequeant nisi per mixtum matrimonium evitari;

e. si in aliqua regione catholici sunt pauci, et simul tuti ac liberi ad fidem profitendam, heterodoxi autem plurimi;

f. si pars haeretica in scriptis vel coram testibus, promissione iuramento firmata, promittere velit, se post initas nuptias catholicam amplexuram fidem;

g. si matrimonium mixtum finem imponet turpi concubinatui nubere cupientium;

---

1) Uti videtur cl. Schaepman, *C. en H.*, blz. 92.

2) Ben. XIV, *de Syn.*. l. IX, c. III, n. 5.

h. si per matrimonium mixtum obtineri poterit, quod proles, ex partium fornicatione sive iam nata, sive nascitura, catholice baptizetur et educetur;

i. si prudens adsit timor ne pars catholica ad haereticos transeat, aut matrimonium mere civile vel coram ministello acatholico contrahat.

Haec ultima causa fuit apprime, ad quam hucusque frequentius in dispensationibus petendis confugiebatur. Quamquam vix equidem video quomodo tali casu parochus procurare sibi possit certitudinem illam moralem de cautionum praestandarum implemento, quam can. 1061, § 1 3⁰ exigit.

Ad causas quod attinet quae privata commoda magis respiciunt, uti sunt e.g. aetas superadulta, angustia loci, dotis incompetentia etc. (de quibus Parte V), eae de sensu S. Sedis non facile per se sufficiunt. Attamen, si revera aliquo casu praesto sint, in supplica dispensationis haud inutiliter forte cum aliis exponuntur, ut dispensantem moveant ad dispensationem si minus simpliciter, saltem facilius concedendam [1]).

218. Quaenam et quales praestandae sunt cautiones, ut in mixta religione dispensari possit?

R. ad 1ᵐ. Cautiones praestandae consistunt in duplici promissione, qua scl. *a.* pars acatholica promittat, se relicturam parti catholicae plenam libertatem pro suae religionis exercitio; *b.* utraque pars, sed praesertim acatholica, promittat, universam utriusque sexus prolem catholice tantum baptizatum et in catholica religione institutum iri. Vide can. 1061, § 1, 2⁰.

His promissionibus fieri debet, ut periculum perversionis, de quo saepe iam diximus, e proximo reddatur remotum, et sic cesset stricta prohibitio iuris naturalis (n. 214). Quapropter easdem numquam nec ullatenus remittere potest Ecclesia [2]).

---

1) Cfr. Bangen, l.c., p. 21.

2) S. C. S, Off. edixit, eas ne in mortis quidem periculo, ac ne obstante quidem decreto regio (quod eas quomodocumque praestari sub gravibus poenis, e.g. militibus, prohibeat) remitti posse. 18 Mart. 1891 (*Collect.*, n. 2188) et 10 Dec. 1902 (*Canoniste*, 1900, p. 464).

Hinc exclusum prorsus manet, utpote illicitum et nullum, pactum, quo e.g. filii sequi debeant religionem patris, filiae vero religionem matris. [1]) Quod attinet ad prolem partis acatholicae ex priori matrimonio iam natam, „licet pro viribus sit curandum ut . . . in catholica religione instituantur, tamen haud absolute hoc exigendum pro concedenda dispensatione, nisi iidem filii ex altero matrimonio mixto sint orti, et parens priores conditiones non observavit." Ita S. C. de Prop. Fide ad Epûm. Harlemen., 20 Mart. 1899.

R. ad 2^m. Non sufficiunt cautiones utcunque praestitae sed, quod in omnibus S. Sedis Instructionibus legitur, requiruntur verae et opportunae, quas moraliter certum sit impletum iri.

219. Moralis certitudo de cautionum implemento quandonam habetur et quomodo comparanda?

R. ad 1^m. Habebitur si, pensatis omnibus casus adiunctis, iudicare liceat, cautiones non esse utcumque praestitas, sed prorsus veras (i. e. sinceras) atque etiam opportunas, uti passim postulant Instructiones S. Sedis iam antea hac in materia datae. Ad quaestionem ex quadam Germaniae dioecesi propositam: „Quid accurate et strictissime sumpta significat: cautio opportuna?" S. C. S. Officii, 30 Iun. 1842, rescripsit: „Talem promissionem quae, in pactum deducta, praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter eiusmodi executio exspectari possit." Feye, p. 466. Hinc, uti habet Instr. S. Off. 27 Iulii 1880 ad Prim Hungariae, necesse est „ut superior ecclesiasticus moralem certitudinem habeat, sive de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earum implemento pro futuro." *Nouv Rev.*, t. 19, p. 7.

R. ad 2^m. Ad huiusmodi certitudinem moralem tum sibi, tum praesertim superiori dispensaturo comparandam, parochus

---

1) Ex can. 2319, § 1, 2^0 „catholici qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam" subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae. Item ex eodem canone, 4^0 „catholici parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt".

debet cuiuslibet casus concreti adiuncta ponderare et videre, cuiusnam indolis sit uterque promittens (e. g. utrum pars acatholica eiusmodi sit, ut merito sperari possit, fore ut promissa teneat; utrum pars catholica sit satis constans et sufficienter de officiis suae religionis instructa) et cuiusnam conditionis (e. g. utrum pars acatholica libere possit de se suisque prolibus disponere, an vero dependeat ab aliis, et a quibusnam; nam saepe evenit, ut serio promittens a sua familia protestanti zelosa, quominus promissa adimpleat, persuadeatur; utrum forte alterutra pars iam semel mixto matrimonio iuncta fuerit, et quomodo in tali matrimonio susceptae prolis educatio processerit, etc.). Quodsi parocho, omnibus ponderatis, serium aliquod dubium maneat sive „de cautionum sinceritate pro praesenti, sive de earum implemento pro futuro," non omittat tum dubium ipsum, tum rationes dubitandi in dispensationis petitione exponere. Cfr. Bangen, IV, p. 16.

220. In quanam forma et quo tempore cautiones praedictae praestari debent?

R. ad. 1[m]. „Cautiones regulariter in scriptis exigantur." Ita can. 1061, § 2, quo proinde nec iurata cautionum praestatio requiritur, nec prorsus excluditur praestatio aliter quam in scriptis, e. g. viva voce, facta. Attamen secundum ius anterius huic canoni minime oppositum, quin potius plane congruens, cautiones debent notorie praestari ab ipsis partibus, nominatim ab ipsa parte acatholica. Instructio ad Prim. Hungariae, modo citata, requirit „ut cautionum adhibitio notoria sit, vel saltem talis esse possit ad omne scandalum removendum." Et S. C. S. Off. ad dubium: „An sufficiat assertio partis catholicae sub iuramento data, partem acatholicam de conditionibus implendis sibi fidem praestasse?" rescripsit: „Per se et generatim negative, et ad mentem. Mens est: quod si in aliquo casu extraordinario talia concurrant adiuncta, ut Episcopus valeat sibi comparare moralem certitudinem tam de huiusmodi cautionum sinceritate pro praesenti, quam de earum adimplemento pro futuro, specialesque omnino adsint rationes impedientes ne consueto modo cautiones praestentur, ipsius conscientiae et

prudentiae. Caeteroquin, non obstante decreto regio [prohibente militibus in gradu maiori constitutis, quominus ullas cautiones praestent], opportunae exhibeantur in scriptis cautiones, sicut hucusque factum est; neque detur dispensatio, nisi Episcopus moraliter certus sit eas impletum iri." 10 Dec. 1902.

Iure nostro particulari (Conc. Prov., p. 185 et Litt. Circ. Episcopi Harlemen., diei 17 Martii 1884) praescriptum est *a.* ut cautiones praedictae praestentur in duplici instrumento distincto et lingua vernacula exarando, quorum unum contineat promissiones a parte catholica, alterum promissiones a parte acatholica faciendas; *b.* ut utraque pars illi instrumento subscribat quo cautiones a se praestitae continentur; *c.* ut instrumentum utrumque subscriptione duorum testium ac ipsius parochi, necnon parochiae sigillo confirmetur. Utriusque instrumenti exemplar sic proponit Prosyn. Harl., anni 1919, VIII:

Instrumentum partis catholicae.

Ik, N. N., hopend na bekomen kerkelijke dispensatie in het huwelijk te treden met N. N., verklaar en beloof plechtig, dat ik al de kinderen [zoowel die uit ons samenleven reeds geboren zijn als] die uit dat huwelijk geboren zullen worden, zonder onderscheid of uitzondering katholiek zal doen doopen en katholiek zal opvoeden.

Instrumentum partis acatholicae.

Ik, N. N., verklaar en beloof plechtig, dat ik N. N., met wie(n) ik in het huwelijk hoop te treden, nimmer en op geenerlei wijze zal bemoeilijken in de trouwe vervulling harer (zijner) katholieke verplichtingen en dat ik al de kinderen [zoowel die uit ons samenleven reeds geboren zijn als] die uit dat huwelijk geboren zullen worden, zonder onderscheid of uitzondering katholiek zal laten doopen en katholiek zal doen opvoeden.

R. ad 2^{m}. Huiusmodi cautiones non sunt praestandae in actu matrimonii, sed antequam dispensatio petatur. Huc pertinet monitum Episcopi Harlemensis, quod legitur in Prosyn. anni 1900. ad IV: „Experientia constare videtur, eos, qui sic dictum matrimonium mixtum inire sibi proposuerint, nonnisi raro a consilio removeri posse. Ne igitur catholica pars a religione et a suis obligationibus omnino alienetur,

regulariter consultius iudicamus, ut *iam initio* procationis, si matrimonium tandem secuturum praevideatur, pro obtinenda dispensatione cautionum instrumenta ab utraque parte debito modo subscribantur." Monitum vero istud utique supponit, initio procationis nil ultra superesse unde matrimonium ipsum impediri adhuc posse rationabiliter speretur.

Instrumenta praedicta una cum supplica dispensationis superiori, a quo, seu quo mediante, petitur dispensatio, transmittantur.

221. Quis potest in hoc impedimento dispensare?

Iure ordinario solus R. Pontifex; agitur quippe de lege universali totius Ecclesiae.

Iure delegato, ad dioecesin Harlemensem quod attinet, Ordinarius noster olim, inde ab anno 1885, fruebatur indulto (triennali) in cultu mixto intra fines suae dioecesis dispensandi[1]). Sed hoc indultum, cum omnibus aliis facultatibus, Ordinariis quarumlibet dioeceseon iuri communi subiectarum pro foro externo olim concessis, a die 18 Maii 1918 cessavit[2]). Attamen, tum „urgente mortis periculo", tum in casu quo „iam omnia sunt parata ad nuptias", Ordinarius (cann. 1043 et 1045, § 1) et, si „ne loci quidem Ordinarius adiri possit", etiam parochus necnon sacerdos qui ad normam can. 1098, n. 2 matrimonio assistit (can. 1044), facultatem dispensandi obtinent.

221 *bis.* Dispensatio in cultu mixto quomodo supplicanda?

„Stylum" in supplicatione observandum indicat Prosyn. Harl. anni 1885, eumque diversum prout quae allegetur dispensandi causa sit honesta (vide superius n. 219, *a, b, c, e, f*), an inhonesta seu infamans (n. 219, *d, g, h, i*). Nam in sola hypothesi causae infamantis mentio fiat de *separationis* pos-

---

1) Quam facultatem etiam ad matrimonium inter partem catholicam et partem Iansenisticam se extendisse, resp. S. C. S. Off. 10 Dec. 1890 ad dubium ab Epo Harlemen. propositum.

2) Decreto S. C. Consist., 25 Apr. 1918 (A. A. S., X, 190). Interim tamen Ordinario nostro concessum fuit ut usque ad semestre post pacem populis belligerantibus redditam dicto indulto frui adhuc posset.

sibilitate deque *poenitentia* a parte catholica in foro externo peragenda. Quibus praenotatis, en quamdam formulam huius dispensationis supplicandae:

Illustrissime ac Rme Domine [1]),

Maria N., catholica, paroeciana mea, cupiens matrimonium inire cum N., sectae ... addicto, ab huiusmodi proposito absterreri quidem non potuit, sed tamen, secundum Dei et Ecclesiae leges nubere exoptans, humiliter petit a Dominatione Vestra ut dispensationem in mixtae religionis impedimento concedere (*vel*: a S. Sede procurare) dignetur.

Causae pro dispensatione concedenda sunt ...

Utraque pars coram me et duobus testibus, uti ex instrumentis huic petitioni additis patet, necessarias cautiones praestitit.

Quantum ex adiunctis mihi iudicare licet, promissiones huiusmodi sincerae sunt, timendumque non est ne de futuro non adimpleantur.

Oratrix [2]) ita est animo comparata et in eiusmodi versatur adiunctis, ut nedum a thoro sed vel a cohabitatione commode possit per ... [e.g. 24 horas, bis 24 horas] separari [3]) utque acceptare velit poenitentiam ei imponendam [4]).

Quae supra exposita sunt, facta diligenti inquisitione, vera me reperisse testor.

Dominationis Vestrae
humillimus famulus
N. N. Parochus ad N. [5])

222. Quid solet Ordinarius dispensationi concedendae (exsequendae) praemittere?

Solet praemittere epistolam ad parochum vel ad sacellanum

---

1) Etiamsi Ordinarius facultate dispensandi careat, opportune tamen libellus supplex ipsi dirigitur, ut nempe, addito voto et commendatione, dispensationem a S. Sede concedendam procuret.

2) Tota haec alinea omittatur si nulla causa *infamans* allegata fuerit.

3) Vel, si separatio, saltem a cohabitatione, magnam habet difficultatem, scribatur: „... ut nonnisi per ... horas, et quidem a thoro tantum, valeat a comparte separari."

4) Vel: „... ut nonnisi leviorem quamdam poenitentiam sit acceptatura". Poenitentia ab Ordinario nostro in foro externo hucusque imponi solita, est: *Sacramentalis confessio singulis bimestribus per unum annum peragenda.*

5) Vel, si non ipse parochus sed eius vicarius supplicam conscripserit, hic ita subscribat: Nomine parochi: N. N.

Sacellanus.

qui nomine parochi supplicam ei obtulit, in qua haec, typis impressa, leguntur:

Exposuisti Nobis epistola tua diei ..., *(breviter refertur tenor precum Episcopo oblatarum)* [1]).

Nos autem hisce precibus benigne inclinati, antequam hanc dispensationem impertiamur [2]), Te Reverende Domine, per praesentes deputamus:

ut nomine nostro iniungas, si fieri potest, separationem cohabitationis, sin minus a thoro, per ... [e.g. *sex horas*], quo tempore decurrente pars catholica semel saltem ad poenitentiae tribunal accedat;

ut parti catholicae in poenitentiam pro foro externo imponas *Sacramentalem Confessionem singulis bimestribus per unum annum* [3]);

ut partibus iniungas ne adeant ministrum acatholicum neque ante neque post matrimonium coram parocho catholico initum [4]).

Tandem Nobis testando rescribas:

an separationem praedictam iniunxeris, an huic iniunctioni satisfecerint, et pars catholica *infra* dictum tempus ad poenitentiae tribunal accesserit;

an poenitentiam, de qua supra, iniunxeris;

an partes promiserint se non esse adituras ministrum acatholicum;

an moraliter certus sis, cautiones impletum iri;

an revera constet de facto baptismi partis acatholicae;

an apud partes existat forte intentio malitiosa, sese subtrahendi ductui alius Ordinarii vel Parochi.

Quae si testatus fueris, dispensatio a Nobis *concedetur*,

Existimationis sensus ..., etc.

Hac epistola accepta, parochus arcessat partem catholicam, cui iniungat quae de mandato Ordinarii iniungenda sunt. Sedulo etiam, quantum adhuc opus, inquirat atque secum perpendat quae sibi constare debent, ut testimonium rogatum desuper ferre possit. Quibus peractis, rescribat de facta separatione, etc. Quo facto, cito ad ipsum perveniet *Rescriptum* in quo expetita dispensatio de facto concedetur.

---

1) Vel, si Epus facultate dispensandi careat: „Accepimus rescriptum S. Congregationis S. Officii, quo Nobis facultas ab Apostolica Sede benigne concessa est dispensandi in impedimento mixtae religionis in gratiam oratricis N. N.

2) Vel, in eadem hypothesi: „Antequam tamen rescriptum illud exsecutioni mandemus ..."

3) Haec duo omittuntur si causa non-infamans allegata fuerit.

4) Quid haec promissio, stricte considerata, importet, explicabitur infra n. 228.

223. Tenor Rescripti, quo in cultu mixto dispensatur, qualis esse solet?

Solet esse huiusmodi:

Augustinus etc. Dilecto Nobis in Christo Rdo N. parocho ad ...

Expositum Nobis est ... etc. (breviter refertur quaenam dispensatio et quanam ex causa petita fuerit).

Viso Rescripto S. Congregationis S. Officii diei ... anni 1900, quo Nobis a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Divina Providentia PP. XV benigne concessa est facultas: „dispensandi intra fines Dioecesis Harlemensis, iustis gravibusque accedentibus causis, super „impedimento mixtae religionis, dummodo cautum omnino sit conditio- „nibus ab Ecclesia praescriptis, ac praesertim de amovendo a coniuge „catholico perversionis periculo, ac de universa utriusque sexus prole „in catholicae religionis sanctitate omnino educanda" [1]:

Nos, compertum habentes omnibus his conditionibus omnino cautum esse, et causas expositas revera existere omniaque impleta esse, quae futuris coniugibus implenda decrevimus, vi supralaudatae facultatis praefatam oratricem ab excommunicatione aliisque sententiis, censuris ac poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, quibus quomodolibet innodata existat, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, *absolvimus*, ac cum ea, dummodo mulier ad hoc rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, nullumque aliud praeter expositum canonicum impedimentum obstet, benigne **dispensamus** in exposito mixtae religionis impedimento, quatenus cum dicto acatholico, non obstante quod hic in sua secta haeretica perseveret, extra Ecclesiam, omissis denunciationibus, absque ulla ecclesiastica solemnitate et nuptiarum benedictione, sed tamen, coram parocho vel ejus deputato et duobus saltem testibus, matrimonium rite contrahere in eoque postmodum licite et libere permanere possit, prolem sive susceptam, sive exinde suscipiendam legitimam enunciando [2].

Datum Harlemi ... etc.

Quo accepto Rescripto, pars catholica ad matrimonium mixtum ineundum licite procedere potest. Prius tamen pro munere suo satagat confessarius, ut illa rite disposita ad mensam Eucharisticam accedat, atque a Domino ea sibi dona efflagitet, quibus in vita sua matrimoniali singulari prorsus

---

1) Quodsi Ordinarius Rescriptum Apostolicum exsequendum habeat, hoc initium loco descriptae facultatis dispensandi, continebit Rescripti illius tenorem praecipuum et quidem 1^0 partis *narrativae*, 2^0 partis *dispositivae*.

2) Variae clausulae in hoc rescripto occurrentes alibi explicantur.

modo indigebit, fortitudinem praesertim quoad fidem catholicam profitendam servandamque, et ad catholica officia fideliter implenda.

224. Ad quid, dispensatione concessa, coniux catholicus specialiter obligatur?

„Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi". Can. 1062. Haec obligatio importat ut catholica pars frequenti ferventique oratione necnon sanctae conversationis exemplo compartem studeat ad veram perducere fidem. Minime vero exigit ut in finem praedictum inopportunas adhibeat invitationes suasionesve, multo minus ut de fide et religione cum ea altercetur. Notandum insuper, opus iam non esse ut catholica pars hac de re praevie et adhibita cautione promittat.

§ 3. De forma et ritu nuptiarum mixtarum.

225. Quonam ritu matrimonia mixta celebranda sunt?

S. Sedes (*Collect.*, n. 1423, sequ.) pluries disposuit ut, ad conservandam in fidelium animis memoriam tum canonum, tum constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia filios suos ab eisdem avertit, coniugia mixta aliter non celebrentur, quam:

a. omissis publicationibus (n. 150). Proinde parochus singularem prorsus diligentiam adhibere debet in peragenda investigatione de statu libero eorum, qui mixtis iungentur nuptiis. Cfr. S. C. S. Off. 4 Iul. 1874 (*Collect.*, n. 1223);

b. extra ecclesiam. „Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102, § 2." Ita can. 1109, § 3.

Nomine „ecclesiae" non venit sacristia aut oratorium privatum, etsi forte ecclesiae adiunctum [1]). Attamen in nostris regionibus mos est, a quo non videtur recedendum, matri-

---

1) Feye, p. 571; Gasp. n. 512; v. d. B.-Sch.[3], p. 344.

monia mixta celebrandi in loco prorsus profano, etsi decenti; c. absque ullo ritu sacro. „In matrimonio inter partem catholicam et partem acatholicam ... omnes sacri ritus prohibentur; quodsi ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere." Ita can. 1102, § 2, qui his verbis summo capite refert Instructionem die 15 Nov. 1858 iussu Pii IX a Secretario Status Card. Antonelli ad omnes Episcopos directam [1]). Ideo parochus in mixtis nuptiis celebrandis a quovis ritu sacro (veste sacra, formula „Ego vos coniungo", benedictione sponsorum et annuli, cereis accensis, abstineat nec nisi eam praebeat assistentiam, quae in aliis S. Sedis documentis „passiva" seu „materialis" vocatur [2]). Quam tamen passivam assistentiam non egredi videtur sive quaedam allocutio exhortatoria, sive privata benedictio annuli [3]), a sponsa catholica forte expetenda.

Facultas facta Ordinariis, „aliquam" e consuetis ecclesiasticis caeremoniis ad evitanda graviora mala permittendi, iampridem speciali indulto facta erat e. g. Episcopis Hungariae [4]). Eiusmodi graviora mala forent e. g. haereticorum odia negato ritu sacro excitanda; timor ne aut, posthabito parocho catholico, partes adirent ministrum haereticum, aut cautiones non servarentur, aut pars catholica ad haereticam sectam transiret [5]). Clausula „exclusa semper Missae celebratione" videtur hinc quidem terminum ultimum concessionis faciendae indicare, inde vero permittere non „aliquam" caeremoniam stricte sumptam, sed omnes etiam caeremonias praeter celebrationem Missae [6]). Caeterum hoc nomine non tantum venit Missa votiva *pro sponso et sponsa* cum suis orationibus et benedictionibus, sed etiam Missa quaelibet, post matrimonium coram sponsis et eorum comitibus ita celebrata, ut, licet sponsis

1) *Collect.*, n. 1430; v. d. B.-Sch., p. 340, ubi integer Antonellianae Instructionis textus.

2) Vide e. g. Instr. S. C. de Prop. Fide anni 1858 ad Archiep. Fogarasien., *Collect.* n. 1429.

3) Adhibita benedictione quae in Rit. Rom. „ad omnia" inscribitur.

4) *Collect.* n. 1429.

5) S. C. de Prop. Fide 4 Dec. 1862 ad Vic. Ap. Mayssurii apud Gasp. n. 516.

6) Schaepm. *C. en H.*, bl. 74.

non detur distincta sedes, haberi tamen debeat tamquam complementum caeremoniae matrimonii [1]).

226. Utrum praesentia parochi (et duorum saltem testium) sit de matrimonii mixti valore?

Ante diem quo vigere coepit decretum „Ne temere", i. e. ante diem 19 Aprilis anni 1908, praesentia illa in nostris regionibus non erat de valore. Etenim usque ad diem illum matrimonia mixta, vi celebris illius Declarationis Benedicti XIV „Matrimonia", immunia erant a decreto tridentino, praesentiam parochi et duorum testium ad matrimonii validitatem requirente. Unde matrimonia mixta ante diem illum extra formam tridentinam sed e. g. coram solo magistratu civili contracta, vera validaque sunt coniugia.

Inde vero a praedicto die, ablata per Decr. „Ne temere" exemptione declarationis Benedictinae, praesentia parochi et duorum saltem testium, etiam apud nos, est de matrimonii mixti valore; quod hodie, vi can. 1099, de universo valet orbe catholico [2]).

227. Utrum assistentia parochi, matrimonio mixto praebenda, adeo passiva esse possit, ut contrahentium consensum percipiat quidem, sed non ipse requirat et excipiat?

Negative: nam, uti habet can. 1102, § 1, „in matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes

---

1) S. C. S. Off., 17 Jan. 1872 in *Nouv. Rev.*, t. XX, p. 464.

2) Const. Pii P. P. X „Provida", edita 18 Jan. 1906 et inde a die 15 Apr. 1906 vigens, quaelibet matrimonia mixta in Germano Imperio contrahenda a decreto „Ne temere" exemerat. Quae exemptio postea, scl. resolutionibus S. C. C, 28 Mart. 1908 (A. S. S., 41, 269) et S. C. de Sacram. 18 Iun. 1909 ad I (A. A. S., I, 516), restricta fuit ad matrimonia contracta inter personas in ipsa Germania natas. Ad dubium autem, utrum Constitutio illa canone 1099 novi Codicis, ut *lex particularis*, abrogata esset (ad normam can. 6, 1°), an potius, ut *privilegium*, non obstante can. 1099, persisteret, Comm. Pont. Codici interpretando praeposita die 9 Dec. 1917 respondit, esse abrogatam (Strassb. Dioezesanbl. 1918, S. 97), quod similiter ab Emin. Secretario Status die 30 Mart. responsum fuit clo. Schaepman, de consensu Illmi Archiepi Ultraiecten. idem sciscitanti. — Schaepm. *C. en H.*, blz. 70[1]. Cfr. Linneborn, S. 376, f.f.

de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3". Iamvero ibi sic praescriptum invenimus: „Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt... dummodo... requirant excipiantque contrahentium consensum". Igitur ad valorem[1]) matrimonii omnino opus est ut parochus partes de consensu interroget[2]). Praeterea vero nihil ex officio agendum habet (secundum quod dictum est numero praecedenti) nisi matrimonii adnotationes ad normam can. 1103.

228. An et quatenus prohibitum est iis, qui matrimonio mixto copulandi sunt vel copulati, adire ministrum acatholicum?

Ad 1[m] („An...") can. 1063, § 1 hoc fert responsum: „Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum".

Pars autem catholica secus faciens:

a. committit peccatum grave sacrilegii, eo quod cum

---

1) In aliquibus regionibus, nominatim in Hungaria, abusus obtinuerat ut parochi ipsis matrimoniis mixtis, ob denegatam a partibus cautionum exhibitionem absque dispensatione contrahendis, tamquam *testes qualificati* assisterent. Quem abusum Greg. XVI, exemplo praedecessorum Pii VI et Pii VII, culminata quadam tolerantia non eradicavit, permittendo nempe parochorum assistentiam absolute passivam (proinde absque ulla consensus exquisitione), qua saltem illorum matrimoniorum valor in tuto poneretur. *Collect.*, n. 1428. Publicato decreto „Ne temere", quo iam, sicut nunc in Codice, interrogatio de consensu ad matrimoniorum valorem generaliter requirebatur, S. C. S. Officii ea de re interrogata die 21 Junii 1912 „facto verbo cum Sanctissimo" respondit, praefatae Gregorii XVI concessioni nihilominus standum esse. Nunc vero, Codice publicato, dubitari iterum potest num eadem concessio, necne, ceciderit. Qui eam habent ut legem particularem (e. g. Génicot—Salmans) ii affirmant, ei applicantes can. 6, 1°; qui vero ut indultum, ii negant, ei applicantes can. 4. Ita Schaepm., blz. 72—74, et nostro quidem iudicio verius.

2) Formula interrogandi haec similisve: „N. wilt gij N., hier tegenwoordig, nemen tot uw wettige huisvrouw?" enz.; sed omissis verbis: „volgens het gebruik van onze moeder de H. Kerk."

haereticis in sacris communicat. Instr. S. Off. 17 Febr. 1864 (*Collect.*, n. 1431). Cfr. Ben. XIV, *de Syn.*, L. VI, c. 7, n. 2;

b. ipso facto incidit in excommunicationem Ordinario reservatam, ex can. 2319, § 1, 1°. Hinc, nisi absolutione censurae rite accepta, nequit admitti ad S. S. Sacramenta, ad benedictionem [mulieris] post partum, ad munus patrini, ad ecclesiasticam sepulturam. Quoad reconciliationem eorum qui in hanc censuram notorie incurrerint, quamvis per se loquendo requiratur absolutio danda in foro externo — quatenus in solo foro interno absolutus nullo adhuc iure fruitur qui talis in foro externo reputetur et ad sacra Ecclesiae publice admittatur — tamen ex canone 2251 „in foro interno absolutus potest, remoto scandalo, uti salem se habere etiam in actibus fori externi; sed nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime praesumatur in foro externo, censura potest a superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec eadem absolutio in eodem foro habita fuerit".

Ut autem concessio absolutionis in foro externo probetur, absolutus afferat in eo foro testimonium illius qui eum absolvit; ut vero saltem legitime praesumatur satis erit si publice constet, illum habenti facultatem absolvendi confessum fuisse, dummodo satisfactio, quae necessaria fuerit, et ipsa publice sit exhibita [1]). Et haec quidem etiam ad scandalum removendum sufficient.

Ad 2^m („Quatenus"...). Prohibetur tantummodo adire ministrum haereticum uti sacris addictum, quin improbetur „quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis tantum civilis munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia". Ita ibid., § 3. Cfr. Math., n. 177. Neque prohibitio in eos procedit, qui ministrum acatholicum adeant uti ministrum religiosum quidem, sed ita, ut nulla ab eo fiat caeremonia religiosa, puta ut ab eo in ipsius domo et profanis vestibus induto fausta quaeque sibi adprecari audiant. At, quamvis hîc neque peccatum sacrilegii neque favor haereseos subsit, fere semper, saltem quoad nostros catholicos,

---

1) Suarez, *De censuris*, Disp. VII, Sect. V, n. 29. Cfr. Aertn^6., L. VII, n. 25, 5°.

magnum exinde scandalum orietur. Igitur talis casus iuxta regulas morales de scandalo tractandus esset.

229. Quid si parochus certo noverit, sponsos hanc legem violaturos esse, aut iam violasse?

Tunc „eorum matrimonio ne assistat nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario". Ibid., § 2.

Utrum parochus, licet certo quidem non noscens hanc legem a sponsis violatam iri, attamen id praevidens, possit umquam silere, si pariter praevideat monitionem suam de ministro haeretico non adeundo certo non profuturam sed imo nocituram?

Responsum praebet citata Instr. S. Officii 17 Febr. 1864, dicens parochum posse tali casu, dummodo absit scandalum, licite silere, quamdiu ipse non fuerit a sponsis interpellatus. Idque repetitur in Instr. 12 Dec. 1888 ad Episcopos Orientales (*Collect.*, n. 1444). Quodsi vero apud nos eiusmodi casus occurreret, praevie consulendus esset Episcopus; secus enim facultas silendi parocho expresse et prorsus adimeretur per ultimam illam conditionem, quam Episcopus noster solet cuilibet dispensationi in mixta religione concedendae praefinire. Vide supra, n. 222.

§ 4. De legis matrimonia mixta vetantis custodia.

230. Quaenam pastoraliter providenda ne fideles ad mixta connubia ferantur?

Principii loco illud teneatur quod habet Leonis XIII Enc. „Arcanum": „Illud cavendum est ne coniugia cum alienis a catholico nomine facile appetantur." Orto enim in casibus particularibus mixti cuiusdam coniugii appetitu, vix umquam succedet, ut parochi vel confessarii conatus, ad hunc appetitum in iuvenum cordibus extinguendum, in optatum finem perducant. Idcirco etiam Conc. nostrum Provinciale (p. 184), verbis utens Benedicti XIV, pastores animarum admonet „ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis..., quantum possint absterreant, easdemque nuptias omni

meliori modo intervertere satagant." Quod iisdem fere verbis Ordinariis aliisque animarum pastoribus imponit can. 1064, 1°. Hinc Episcopi et parochi, quantum possint, studeant per assiduam pastoralem curam huiusmodi coniugia in suis ditionibus praevenire. Quem in finem debent, iuxta idem Conc. Prov., sermones adhibere tam publicos quam privatos.

I. Ad publicos sermones quod attinet, parochus minime negligat una alterave anni Dominica doctrinam Ecclesiae de nuptiarum mixtarum illiceitate, adductis praesertim huius doctrinae rationibus, publice e suggestu proponere. Prae caeteris hortetur patres familias et matres, ut gravissimi huius mali praecavendi causa diligenter invigilent, ne eorum filii sibi adsciscant sodales, neve filiae sibi eligant amicas ex acatholicis, saltem non eos easve, quibuscum familiarius conversentur. Secus enim facilius eveniet, ut amici heterodoxi amicos catholicos domi invisentes, horum etiam sorores primum aliqua necessitudine attingant, deinde amore prosequantur ac demum sibi uxores ducere cupiant. Similiter dicendum quoad amicas heterodoxas filiarum familias. — Ne autem huiusmodi exhortationibus ii ex parochianis offendantur, qui in mixto connubio forte iam vivant, parochus omni qua possit utatur discretione, charitate, mansuetudine; proferat ad litteram auctoritatem Concilii Provincialis, et sedulo praemeditetur, quanam elocutione melius sit legem Ecclesiae adstructurus.

In catechismo quoque puerorum parochi (tractantes e.g. qu. 318) monita sua et instructiones ita ad pueros dirigant, ut hi cito discant saltem familiarius cum acatholicis non conversari. In quo tamen, a fortiori, magna discretione et prudentia opus est, ne pueri e mixtis matrimoniis nati offendantur, aut minus reverenter erga proprios parentes sentire incipiant [1]).

---

1) Statuta Renov. Dioec. Harl. (1913), p. 21 haec praecipiunt:

„1° Quae Catechismi liber continet de Sacramento Matrimonii, etiam in catechizandis *pueris* tractentur et explicentur, atque in hac explicatione cum debita prudentia edoceantur pueri adolescentes, Ecclesiam catholicam matrimonia mixta semper detestatam esse atque ut maxime perniciosa prohibere et improbare."

„2° Eadem doctrina saepius omnibus modis opportunis tradatur in iuvenum

II. Privatis sermonibus tunc praesertim parochus munere suo fungi studebit, cum in aliquo particulari casu periculum alicuius matrimonii mixti plus minusve iam sit imminens. „Quos de talibus nuptiis contrahendis cogitare noverint (ita Conc. Prov.) moneant atque hortentur sedulo, ne id exsequantur" [1]). Quamvis autem communiter hac in re non facile negotium sit parocho futurum, proindeque hic aliqua fortitudine et assiduitate uti profecto debeat, tamen diligenter cavere debebit ne, declinando a prudentia et mansuetudine sacerdotali, iuvenem vel puellam, de qua agatur, iam statim a sua persona et a sacerdotibus generatim alienet. E contra, curam agat, ut eorum respectu auctoritatem suam et salutarem persuadendi vim ipse conservet, ne, si quando matrimonium mixtum evitari non possit, ad filios catholice educandos perduci non valeant. Verba, quibus eos alloquatur, ita caute eligat ut tuto possint, sicut reapse fieri solet, singula ad partem acatholicam referri.

III. Nec tantum sermonibus, verum etiam salutari sua actione parochi avertere satagant pericula quasi sponte oritura e mixtis illis seu *neutralibus* coetibus vel associationibus, quae iuvenum diversi sexus coutendorum aut recreandorum causa passim inveniuntur; hinc eiusdem instituti assocationes *catholicas,* quin torvis oculis citius aspiciant, prudenter potius tueantur, promoveant ac benevola participatione cohonestare studeant.

231. Num ea est mens Ecclesiae ut in casibus particularibus, data causa canonica, dispensatio eo ipso a parocho procuretur aut ab Ordinario (facultatem habente) concedatur?

Negative. Praecipit enim can. 1064, 1^0 et 2^0 ut Ordinarii,

---

sodalitatibus, non iis tantum, quae nonnisi piis operibus christianisque virtutibus indulgent, sed etiam, quae nuperrime nomine Patronatus sunt institutae. Insuper a parochis moneantur omnes, qui aut officio suo aut operibus charitatis (v.g. sodales qui a S^o Vincentio, S^a Elisabeth, caeteris SS^{is} nuncupantur) multum valent apud fideles, ut pro viribus adiuvent clerum in praecavendis hisce connubiis."

1) Ad Ordinarios spectabit ea parare media canonica (e.g. peccati reservationem, poenae comminationem), quibus parochi, tum generaliter tum in casibus particularibus, suos valeant a mixtis nuptiis absterrere. Schaepm., Op. cit., p. 31.

aliique animarum pastores, fideles, licet causam canonicam afferre valentes, nihilominus a mixtis nuptiis, quantum possint, absterreant, et tunc tantummodo ad dispensationem procurandam concedendamve deveniant, quum matrimonium mixtum impedire non valent.

Nec mirum. Quodsi enim dispensatio quaelibet, ut „vulnus legi inflictum", sit quid odiosi ideoque pro viribus restringendi, id maxime sane valet de hoc genere dispensationum, quae, si frequenter concedantur, vulnus de se lethale non solum legi sed ipsi indefectabilitati Ecclesiae inferunt. Ni enim Ecclesia ex promissione divini suae Fundatoris indefectibilis esset, solo multiplicato matrimoniorum mixtorum numero certo aliquando deficeret. Quod tristis experientia, magnarum praesertim civitatum, ad oculos satis superque iam demonstravit.

Unde patet, in hac materia, generatim loquendo, praxin non benigniorem sed severiorem quamdam esse sequendam.

231 *bis.* Num praxis severior eousque applicari potest, ut in certa aliqua paroecia vel dioecesi dispensatio nullo aut nullo fere casu procuretur vel concedatur?

Negative, quia sic eluderetur can. 1064, 2°, quo Ordinariis aliisque animarum pastoribus hoc imponitur: „Si [mixtas nuptias] impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur". Eluderetur praeterea in nonnullis casibus ipsum ius divinum, praecipiens „quaerere et salvare quod perierat"; hinc praecipiens hac in materia dispensationis procurationem, si haec in casu concreto sit medium salvandi animam de caetero non male dispositam, maxime autem si sit medium unicum reconciliandi peccatorem vere poenitentem.

232. Quaenam est mensura finium praxin benigniorem inter et rigidiorem regendorum?

a. Mensuram quamdam generaliter praebebit cuiuslibet paroeciae, vel etiam dioecesis, propria conditio, prout nempe in ea matrimonia mixta dispensationum denegatione impediri valeant, an secus.

b. Mensuram quamdam specialem haec forte praebeat casuum distinctio:

Dispensatio, quamvis per se non illegitima, denegetur tamen si dispensandi causa principaliter fundetur **in partis catholicae obstinata voluntate matrimonio mixto non renunciandi.** Quod plerumque obtinebit si pro causa allegetur periculum matrimonii *mere civiliter* vel *coram ministro acatholico* ineundi, vel etiam *graviditas mulieris* et consequenter *legitimatio prolis;* persaepe denique etiam si allegetur matrimonium civile iam initum et hinc *cessatio concubinatus.* Denegatae dispensationis in istis casibus eo vel minus dolendum erit, quo infirmior plerumque tunc erit „moralis illa certitudo de cautionum implemento", ad dispensationem quolibet casu necessaria.

Contra, dispensatio non denegetur si in dispensandi causa praevalet **spiritualis utilitas vel etiam necessitas** sive ipsius petentis, sive aliorum ei coniunctorum. Quod obtinebit e.g. si probabilis adsit spes quod aliqua familia acatholica, ad veram fidem inclinans, per matrimonium mixtum ad Ecclesiam revertatur; item si matrimonium mixtum sit unicum remedium ut liberi, ex alio matrimonio mixto iam procreati, in religione catholica educentur; item si pars acatholica manifesto ita sit disposita, ut moraliter certo constet, eam post nuptias, dilationem actu non patientes, catholicam fidem esse amplexuram. Maxime vero id obtinebit si pars catholica, in matrimonio mixto invalido iam vivens, at peccati manifesto poenitens, Ecclesiae reconciliari deprecetur. Nam dispensatio, et dein matrimonii revalidatio, huiusmodi poenitentibus, saltem practice, unicum erit medium reconciliationis. Quamvis enim, per se loquendo, *separatio* exigenda esset, ea tamen per accidens erit fere semper practice impossibilis; si minus ob animos fortiter iam coniunctos et ob cohabitationem nonnisi aegerrime rumpendam, saltem ob existens vinculum civile et ob prolem iam susceptam.

N o t a. Etsi dispensatio in certa aliqua paroecia ratione funesti exempli avertenda videatur, parochus tamen videat num forte utiliter sponsis suaderi possit transmigratio ad aliam paroeciam, ubi ratio applicandi severiorem praxin non ita urget. At, si hoc feliciter succedat, casus cum omnibus suis adiunctis referatur novo parocbo a partibus electo; qui vicissim postea, in supplicatione dispensationis, idem Ordinario

referat. Secus enim hic, adiuncta illa specialia non edoctus, dispensationem forte non elargietur nisi sub conditione „nisi apud partes intentio malitiosa existat sese subtrahendi ductui alius Ordinarii vel parochi", uti hodie fert stylus e.g. in Curia Harlemensi usitatus [1]).

233. Quomodo respectu mixtarum nuptiarum nondum initarum procedendum est in confessionali?

Liquido apparet, confessarium omni prudentia et mansuetudine curare debere, ut poenitentes, qui in aliqua occasione mixtas nuptias appetendi versentur, eam aut deserant, aut si aliquo modo necessaria sit, remotam sibi reddant.

Qui vero mixtae cuiusdam coniunctionis desiderium vel propositum iam conceperint, eos ab infelici desiderio, propositis et explicatis iis rationibus quibus nititur matrimonii mixti prohibitio (210), patienter avertere studeat et fortiter absterrere. Quid vero de absolutione eis vel deneganda vel differenda, si poenitens solis suasionibus a proposito amoveri nequeat?

Imprimis confessarius debet, respectu conversationis catholici poenitentis cum persona heterodoxa, eas regulas applicare, quae in theologia morali de procationibus in genere traduntur.

Deinde, quod spectat ad ipsum propositum mixti coniugii ineundi, absolutio certe *deneganda* foret, si quis illud inire vellet aut *a.* sine dispensatione ecclesiastica, aut *b.* cum tali dispensatione quidem, sed ita, ut moraliter certo non constaret, cautiones ponendas impletum iri, aut denique *c.* cum dispensatione quidem, sed quin allegari possit sufficiens dispensandi causa. Haec ultima hypothesis in iis parochiis, in quibus, iuxta dicta n. 232 utiliter servatur praxis „severior", facilius verificatur quam in aliis.

In aliis denique casibus, in quibus poenitens tum se exhibeat paratum non aliter quam cum dispensatione Ecclesiae contrahendi, tum moralem praebeat certitudinem de cautionum praestandarum sinceritate et opportunitate, tum denique causam hic et nunc plane sufficientem pro dispensatione concedenda

1) Cfr. *N. K. St.*, 1919, blz. 10—18 et blz. 43; Schaepman *C. en H.*, blz. 34 en 35.

allegare valeat, absolutio ei non erit quidem simpliciter deneganda, sed tamen *differenda*, donec negotium dispensationis fuerit in foro externo compositum. Antequam hoc factum sit absolutio non concedatur, nisi in casibus extraordinariis et scandalo (praesertim ex accessu publico ad S. Synaxin timendo) remoto.

§ 4. De munere parochi et confessarii respectu matrimonii mixti iam initi.

234. Per se patet, in primis eos qui cum dispensatione Ecclesiae, mixtum coniugium tum licite tum valide inierunt, singularem prorsus parochi et confessarii curam postulare, maxime si in adimplemento cautionum difficultates ex parte coniugis acatholici experiantur, aut, quod peius foret, ipsi culpa sua factas promissiones infregerint. Huc pertinet can. 1064, 3°: „Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant". Hoc vero loco praesertim inquirendum est:

235. Quid cum iis agendum qui, spretis Ecclesiae legibus, sine dispensatione et sine debitis cautelis matrimonium mixtum inierint?

Agitur vel de matrimoniis illicite tantum initis, uti sunt matrimonia mixta hisce in regionibus ante diem Paschatis (19 Aprilis) anni 1908 mere civiliter contracta; vel de matrimoniis etiam invalide initis, uti sunt quaelibet matrimonia mixta post dictum diem sine Ecclesiae interventu celebrata. Quoad illa parochis et confessariis incumbit sola cura partis catholicae reconciliandae; quoad haec vero insuper incumbit cura matrimonii convalidandi.

Quid complectatur reconciliationis negotium his verbis edicit Greg. XVI ad Episcopos Hungariae: „Episcopis et parochis Sanctitas sua magnopere commendat, ut omni pastorali sollicitudine catholicum coniugem ad patratae culpae detestationem congruamque poenitentiam opportune conentur excitare eumque sollerter adducant ad obligationes

implendas, quibus gravissime tenetur, illam praesertim, quae est de catholica universae prolis educatione impense curanda; quae si ex voto contingant, adeoque constet eum revera resipuisse paratumque esse ad opportunam quoad valuerit scandali reparationem, tunc sane poterit ipse Sacramentorum Ecclesiae particeps fieri", i.e. a peccato et a censuris, si quas incurrerit, absolvi. *Collect.*, n. 1428 (1).

Quid importet quoad hoc genus matrimoniorum negotium convalidationis, id explicabimus postquam specialius viderimus de poenitentia ab huiusmodi catholicis agenda (n. 236), de opportuna scandali reparatione (n. 237), de absolutione eis impertienda (n. 238) atque de requisita voluntate quoad obligationes implendas (n. 239).

236. Qualis requiritur in reconciliando poenitentia?

Non requiritur dolor de ipsa sua cum persona illa catholica coniunctione secundum se, sed requiritur dolor de modo illicito quo se illi personae coniunxerit, seu de inobedientia qua sanctissimas Dei et Ecclesiae leges spernere, necnon de temeritate qua se suamque prolem perversionis periculo exponere ausus fuerit. Cuius poenitentiae signum praecipuum exhibebit si, reconciliationem per seipsum suppliciter exorans, ostendat se ad hoc vere duci motivo consulendae tum conscientiae propriae, tum fidei ac saluti semetipsius ac prolis; hinc etiam adducat meliores quas valeat huius rei cautiones.

Signum poenitentiae in foro externo praeterea praebebit acceptando opus illud speciale sibi ab Ordinario, ut fori publici poenitentiario, imponendum, e.g. accessum praevium, etiam post reconciliationem periodice continuandum, ad Poenitentiae Sacramentum.

237. Qualis requiritur scandali dati reparatio?

Praedicta poenitentiae signa, quaetenus publice pateant, aliqualem scandali reparationem per se iam inferunt. In casu coniugii mixti revalidandi ipsum matrimonium secundum Dei et Ecclesiae leges ideoque coram parocho et testibus contrahendum, scandalo auferendo coadiuvabit. Nihilominus

iudex fori externi, nempe Ordinarius, videat num tali casu etiam actum quemdam specialem ac praevium scandali reparativum, e. g. aliquam partium separationem, utiliter valeat parti catholicae imponere.

Extra casum revalidationis iuri communi consentaneum esse videtur, ut saltem pars catholica *in foro externo* praestet cautiones „de periculo salutis aeternae a se et a sua prole amovendo", utque huiusmodi cautiones ad Episcopum transmittantur. S. C. S. Off. 12 Mart. 1881 (*Collect.*, n. 1440). Quantum vero scimus, eiusmodi recursus ad Episcopum apud nos fieri non solet [1]) et totum reconciliationis negotium a confessario in foro interno procuratur. Pro scandali reparatione solet tunc parti catholicae iniungi ut per aliquod tempus, sive brevius sive longius pro minori maiorive scandali gravitate, a S. Communiome in paroecia recipienda abstineat.

238. Quanam absolutione pars catholica indigeat, et quomodo ea sit danda.

Ad 1[m]. Praeter absolutionem a peccatis, ratione matrimonii mixti illegitime initi, etiam absolutione a censura excommunicationis latae sententiae Ordinario reservata — quatenus poenae illius medicinalis ignorantîa ab ea non excusantur (can. 2229, § 3) — indigent:

1[0] qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, § 1;

2[0] qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;

3[0] qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;

4[0] parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt. Ita ex can. 2319, § 1.

Ad 2[m]. Absolutio, etiam a contracta forte huiusmodi cen-

---

1) Nisi forte in aliquo casu extraordinario, v. gr. in paroeciis admodum exiguis, ubi scandalum vix aliter reparari potest.

sura, potest et apud nos solet dari in solo foro sacramentali, utique a confessario absolvendi facultatem habente. Sic absolutus potest, remoto scandalo, uti talem se habere etiam in actibus fori externi. Can. 2251 [1]).

Absolvendi formula continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta (can. 2250, § 3). Attamen confessarius, ut efficacius frangat poenitentis contumaciam, non omittat eum peculiariter monere de censura censurisve quas peccato suo incurrerit.

239. Quid requiritur ut pars catholica obligationibus suis in posterum pro viribus satisfaciat?

Requiritur 1^0 ut parata sit tum orationibus tum bono exemplo compartis haereticae conversionem procurare. Hinc ei imponat confessarius, ut statis temporibus brevem aliquam oratiunculam perficiat, qua tum lumen Spiritus S., tum auxilium Virginis Deiparae super coniuge suo imploret; insuper ei inculcet, ut fideliter servet ieiunia aliaque praecepta Ecclesiae atque in ipsa vita coniugali ducenda castam, insuspectam atque mansuetam sese exhibeat.

Requiritur 2^0 ut omnino parata sit pro viribus efficere, ut universa proles, non solum suscipienda sed etiam iam suscepta, et imo forte iam in haeresi baptizata et educata, deinceps catholice educetur. Quodsi forte obiiciat, se quominus hoc promittat et exsequatur, pacto contrario cum comparte inito impediri, aptis rationibus eam doceat confessarius, eiusmodi pactum nullius esse roboris, neminemque posse, sicut ad propriam prolem necandam, ita ad perpetuo perdendam ullo pacto aut iuramento obligari.

Quia tamen, quoad hanc obligationem adimplendam, non omnino eadem est conditio matris catholicae atque catholici patris, ideo seorsim videamus:

240. Quaenam a patre catholico exigi debeant, ut dici

1) Eiusdem canonis hypothesis, quod nempe haec absolutionis concessio, quatenus in foro externo insufficienter probata aut legitime saltem non praesumpta, sic absoluto in foro externo non suffragetur, facile non verificabitur.

possit catholicam filiorum educationem pro viribus curare.
Exigi debet:

a. ut hac in re plenissime utatur patria illa potestate quam confert ipsi, et quidem ipsi soli, lex nostra civilis super omnes filios filiasque minorennes [1]). Hinc neque mater haeretica, neque socrus, neque universa materna cognatio haeretica quidquam valent in civilibus adversus hanc potestatem solius patris. Dari quidem casus possunt in quibus pater sive physice (propter infirmitatem, absentiam continuam) sive moraliter (quia de facto ipse uxori suae obnoxius est) quoad exercitium patriae potestatis est admodum impeditus, proindeque aliquam meretur confessarii clementiam, sed hoc facilius non est admittendum;

b. ut pater, diem supremum forte obiturus 1^0 coram testibus declaret omnino se velle, ut proles sua universa, in quantum fieri adhuc possit, catholicae Ecclesiae adscribatur et catholice educetur; 2^0 ab uxore suppliciter postulet ut ipsi iam morituro promittat, quod catholicam illam educationem saltem non sit impeditura et 3^0 utatur iure, quo fruitur vi art. 409 codicis civilis, nominandi certis in casibus virum quemdam catholicum qui, ipso defuncto, [liberorum suorum tutelam suscipiat [2]).

241. Quaenam exigi debent a matre catholica, ut haec dici possit pro viribus curare catholicam prolis suae educationem?

---

1) B. W. art. 354: Gedurende het huwelijk der ouders blijft het kind tot aan zijne meerderjarigheid onder hunne magt voor zoover zij daarvan niet zijn ontheven of ontzet. Art. 355: Behoudens het geval van ontheffing of ontzetting en de bepalingen betreffende scheiding van tafel en bed, oefent de vader alleen deze magt uit.

2) B. W. art. 409: Ieder der ouders, die de ouderlijke magt over een of meer zijner kinderen uitoefent, heeft het regt een voogd over die kinderen te benoemen voor het geval dat na zijn overlijden de voogdij niet van regtswege... aan den anderen der ouders behoort... De benoeming geschiedt bij uitersten wil of bij uitsluitend daartoe opgemaakte notariëele akte. Daarbij kunnen ook meer personen benoemd worden, van wie, naar de orde, waarin dat is geschied, de later genoemde als voogd optreedt wanneer de voorgaande ontbreekt.

Exigi debet:

a. ut nullam praetermittat opportunitatem hunc favorem sibi a coniuge haeretico implorandi. Eiusmodi opportunitas praesertim tempore graviditatis et instantis partus habebitur;

b. ut, etiam invito et inscio marito, tum verbo tum exemplo amorem verae Ecclesiae filiis suis inspirare satagat;

c. ut quoties vir eiusve cognatio ad aliquem actum formalem Protestantismi prolem perducere velit (e. g. prolem baptizandi causa ad templum haereticum asportando) ipsa protestationem interponere non omittat;

d. ut mulier iure suo utatur, si quando ipsius respectu verificetur casus Codicis civ., art. 355, alin. 2ª [1]);

e. ut et ipsa, coniuge mortuo, utatur, et quidem tempore opportuno, iure sibi a Codice nostro (art. 409) concesso nominandi viros catholicos qui sibi in tutela super filios minorennes successive succedant.

242. Matrimonia mixta invalide inita, utrum et quomodo convalidanda?

Ad 1m. Profecto parochus, omni qua possit cura et instantia pastorali, partem catholicam ad verum patrati sceleris dolorem, eoque obtento ad matrimonii convalidationem perducere conetur. Quem in finem, quaerens quod perierat, eam interdum aut domi visitet aut apud se arcescat, prout sapientia et prudentia suadebunt. Solummodo si praevideat matrimonium, de quo agatur, brevi iri dissolutum per divortium civile, hanc curam dimittat.

Ad 2m. Positis ponendis — nempe examine de statu libero, cautionum receptione, poenitentia agenda, scandali reparatione — procuret dispensationem eaque obtenta novum coram se et duobus testibus consensum matrimonialem ab utraque parte exquirat. Quodsi pars acatholica, licet cautiones requisitas praestans, tamen ad consensum renovandum ei se

---

1) B. W. art. 355, alin. 2: Indien de vader buiten de mogelijkheid is de ouderlijke magt uit te oefenen, wordt die magt, behoudens in geval van scheiding van tafel en bed, uitgeoefend door de moeder.

sistere abnuat, rem deferat ad Ordinarium, si forte locus sit applicandae sanationi in radice [1]).

Art. IV. *De matrimonio cum comparte indigna.*

243. Canonibus de triplici praefato impedimento prohibente tractantibus (1058—1064) Codex duos subnectit qui, quin contineant impedimentum veri nominis (scl. veram personae eo ligatae inhabilitatem, nonnisi dispensatione auferendam), cum certis tamen personis, hoc magno sacramento indignis, nuptias non permittit, nisi quibusdam ex parte parochi vel Ordinarii adimpletis.

Hoc autem modo non simpliciter permissa sunt matrimonia „cum iis qui notorie catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt" (can. 1065, § 1); item cum eo qui est „publicus peccator aut censura notorie innodatus" (can. 1066).

Itaque huc pertinet matrimonium 1^0 cum apostata; 2^0 cum sodali societatis damnatae; 3^0 cum publico peccatore; 4^0 cum notorie censurato.

244. Quinam hîc veniunt nomine apostatae?

a. Non veniunt qui, quin aliquo actu notorio catholicam fidem abiecerint, eam solummodo practice et habitualiter non fuerint professi. Hi potius *publicis peccatoribus* sunt accensendi ideoque afficiuntur dispositione canonis 1066.

b. Nec veniunt qui fidem catholicam eousque abiecerunt ut formaliter ad sectam acatholicam transierint; nam hi afficiuntur impedimento proprie dicto quod „mixtae religionis" vocatur.

c. Sed veniunt quotquot aliquo actu notorio professi sunt se catholicos iam non esse, aut nolle ut tales reputari. Cuiusmodi actus notorii sunt e.g. nomen catholici in registris publicis sibi data opera expunctum, aut speciali actu parocho vel Episcopo renunciatum, aut scriptis verbisve publice abnegatum.

1) Cfr. Schaepm. *C. en H.*, blz. 34—35.

245. Quinam veniunt nomine alicui societati ab Ecclesia damnatae adscripti?

a. Veniunt adscripti alicui e societatibus censuratis, quales sunt sectae Massonicae aliaeve eiusdem generis associationes (e.g. ordo bonorum Templariorum), non autem societates ob prava quibus reguntur principia simpliciter ab Ecclesia prohibitae (e. g. socialisticae) vel periculosae. Cfr. can. 2335 [1]).

b. Veniunt quoad hanc prohibitionem nonnisi huiusmodi societatibus adscripti, non autem earumdem quomodocumque fautores.

246. Quinam veniunt nomine peccatoris publici?

Quamvis „peccator", licet externe talis, non sit idem quod „delinquens", eo quod non omne peccatum externum sit „delictum" canonice (cfr. can. 2195, § 1), tamen qualitas *publici* quatenus, ut in praesenti materia, a iure canonico in peccatore consideratur, merito accipitur secundum eam notionem quam idem ius adhibet in considerando „delicto".

Notionem autem illam can. 2197 his verbis praebet: „Delictum est:

„1° *Publicum,* si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri";

„2° *Notorium notorietate iuris,* post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessionem delinquentis in iudicio factam ad normam can. 1750";

„3° *Notorium notorietate facti,* si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit."

Inde patet, omne peccatum „notorium" per se etiam „publicum" esse. Idque *a fortiori.* Dum enim simpliciter „publicum" immediate fundatur in sola peccati commissi divulgatione seu fama (aut iam praesenti aut saltem prudenter timenda) et

---

1) Cfr. Hollweck *Kirchl. Strafgesetze,* § 104[2]; *N. K. St.,* 1910, blz. 343, v.v. necnon 1919, blz. 34, v.v. — De „bonis Templariis" vide *De Tijd,* 1 Febr. 1916.

nonnisi mediate in adiunctis illud probare valentibus, contra „notorium" immediate fnndatur in peccati commissi certa notitia, sive iure (i.e. iudicio) sive ipso facto omnibus conspicuo inducta. Hinc quod simpliciter „publicum" est, probatione in iudicio indigere adhuc potest; quod vero est „notorium" probatione non indiget [1]) Cfr. can. 1747, 1°.

Peccator publicus is esse desinit, quem publice poenituerit, v. gr. coram aliis in ecclesia publice accedendo ad tribunal poenitentiae, scl. in eodem loco in quo peccatum eius notorium fuit; aut, licet in alio loco, si tamen eius poenitentia aliquo opportuno modo divulgata fuerit [2]).

247. Quinam hîc veniunt nomine notorie censurati? Veniunt, praeter personaliter interdictos, quilibet notorie excommunicati, sive vitandi sive tolerati. „Notoria" autem censura erit si vel iudicis *sententia* inflicta fuit, vel *ipso facto notorio* (vide n. 246) contracta. Est autem parochi de facti notorietate et hinc de censura inde contracta practice iudicare, scl. ad effectum assistentiae, nonnisi observato canone 1066, matrimonio praebendae [2]).

248. His praemissis notionibus, videamus in primis quid requiratur ad permittendum matrimonium cum apostata aut cum societati damnatae adscripto.

Universim requiritur ut fideles ab huiusmodi matrimonio contrahendo „absterreantur"; speciatim vero ne parochus ei assistat „nisi consulto Ordinario". Hic vicissim assistentiam ne permittat nisi, inspectis omnibus rei adiunctis, urgeat *gravis causa* et pro suo prudenti arbitrio iudicet *satis cautum* esse catholicae educationi universae prolis et remotioni perversionis alterius coniugis. Can. 1065, § 2.

249. Quaenam causa est sat gravis ad matrimonium cum praedictis, licet non resipiscentibus, permittendum?

---

1) Cfr. S. Lig., L. VI, n. 44. Praecipua peccatorum publicorum genera sunt: „meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi." Rit. Rom., Tit. IV, c. 1, n. 8.

2) Hollweck, S. 95, § 29[1].

Responsum videndum est apud „probatos auctores" [1]) praesertim apud S. Alphonsum [2]) et Bened. XIV [3]).

Ex communi autem horum doctrina causam necessariam et sufficientem constituent tum grave d a m n u m quod secus sive parti innocenti, sive parocho, sive testibus, immineret; tum s c a n d a l u m, ipso matrimonio contrahendo gravius, quod recusatam assistentiam certo vel verosimiliter sequeretur. Hinc permittatur tandem matrimonium si v. gr. parti innocenti ei valedicere admodum durum esset, aut si parocho vel testibus assistentiam recusantibus graves molestiae imminerent, aut si praevideretur defectio plena a Deo vel Ecclesia, item si concubinatus scandalosus, matrimonium mere civile, etc.

250. Qualis assistentia praedictis matrimoniis praebenda, utrum activa et ritu sacro adhibito, an solummodo passiva?

Etiam in hisce matrimoniis, sicut in mixtis, et quidem a fortiori, servetur praescriptum can. 1102, § 1 de consensu a parocho exquirendo.

Ad sacros ritus quod attinet, eorum prohibitio, quam quoad matrimonia mixta continet can. 1102, § 2, nullibi in Codice ad hoc matrimoniorum genus extenditur; ac ne quidem illa clausula „exclusa semper Missae celebratione", quam nonnulla Sedis Apostolicae decreta, Codice anteriora, praesertim quoad coniugia Franco-Muratorum, prae se ferebant, in ullam Codicis legem transiit. Igitur, silente ea de re iure ecclesiastico, hîc applicandae veniunt normae iuris naturalis de scandalo vitando, quam applicationem Codex relinquit prudenti parochorum ac praesertim Ordinariorum iudicio. Hinc ne quidem celebratio Missae absolute ab hoc genere casuum excludenda videtur, eo vel minus quod iam antea S. Sedes, licet eam generaliter excludens, tamen agnoverit adiuncta aliter quando exigentia, uti patet ex hoc responso die 21 Febr. 1883 Vicario Apostolico Bombaiensi a S. C. S. Off. dato: „Quod attinet ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clandestinis

1) S. C. de Prop. Fide, 17 Apr. 1820 ad Ep. Quebec. *Collect.*, n. 197[3].

2) Lib. VI, n. 54. Ita S. Poenit., 10 Dec. 1860. *Collect.*, n. 1528.

3) *De Syn.*, l. VIII. c. 14, n. 5. Ita S. C. S. Off., 30 Jan. 1867 apud v. d. B.-Sch., n. 296.

aggregationibus notorie adhaeret, donec Ap. Sedes generale decretum hac de re non ediderit, oportet ut pastores caute ac prudenter se gerant; et debent potius in casibus particularibus ea statuere quae magis in Domino expedire iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere; omnino vero excludatur celebratio Sacrificii Missae, *nisi quando adiuncta aliter exigant*" [1]. Caeterum in nostris regionibus huiusmodi adiuncta facile non occurrent.

250 *bis.* Quid requiritur ut parochus licite assistat matrimonio publici peccatoris aut censura notorie innodati?

„Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad confessionem sacramentalem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium". Can. 1066.

Quocirca notetur, interventum Ordinarii quoad hoc genus personarum non absolute requiri, ut in praecedenti responso, sed tantummodo in hypothesi „si fieri possit". Porro ad peccatores publicos quod attinet, quum agatur de actu matrimonii contrahendi, qui pertinet ad forum publicum, sufficit *accessus* ad Poenitentiae tribunal, quin requiratur *absolutio accepta,* quippe quae pertinet ad forum internum.

Quoad censura notorie innodatos requiritur quidem absolutio, sed, secundum superius (n. 238) ex can. 2251 deducta et ad normam eiusdem canonis, sufficere potest absolutio in foro interno [2].

Appendix I. *De defectu consensus parentum quoad matrimonia minorum* [3].

251. An et quatenus filii familias, nuptias contrahere cupientes, parentum suorum consensu indigent?

---

1) *Collect.,* n. 1534; cfr. ibid., n. 1529.

2) Cfr. Schaepm., *C. en H.,* bl. 38 qui indistincte absolutionem in foro externo exigit.

3) Minores tum iure canonico (c. 88, § 1) tum iure civili patrio (B. W. art. 385) sunt qui 21^{m} aetatis annum nondum expleverunt. Iure vero civili ipsum matrimonium antea contractum maiorennitatem contrahentibus confert.

Doctrina et ius Ecclesiae his duobus continentur:

1° Filii familias insciis aut invitis parentibus nuptias contrahentes iure naturali et divino, ab Ecclesia confirmato, valide contrahunt. Qui cum Erasmo, Luthero, Bucero aliisque Reformatoribus contrarium doceant, eos Tridentina Synodus (cap. „Tametsi") anathemate damnat. Ratio est, quia in tradenda alteri potestate in proprium corpus homo naturaliter sui iuris est, nec ab alterius consensu dependens. Praeterea, non convenit quod valor matrimonii, quo gravissimae inducuntur obligationes pro tota vita, pendeat a consensu eorum qui quoad obligationes easdem omnino extranee se habent. Plura apud Rosset, I, n. 134—146. Sed:

2° Filii familias aetate *minores*, si parentibus vel inconsultis vel rationabili ex causa dissentientibus nuptias ineant, graviter peccant, in primo quidem casu contra naturalem pietatem ac reverentiam parentibus debitam, in altero vero insuper contra eam virtutem cui specialiter repugnant circumstantiae ob quas parentes rationabiliter a matrimonio ineundo dissentiunt. Ita satis communiter docent auctores (S. Lig., n. 849) et statuunt pleraeque Synodi. Vid. Conc. Prov., p. 188. Cfr. Math., n. n. 93, 94 et 163.

Parentes autem rationabiliter consensum denegare sunt dicendi, si ex matrimonio e. g. familiae dedecus, aut scandalum, aut dissensiones aut alia gravia damna praevidentur.

Utrum et quatenus peccent filii non curantes dissensum parentum irrationabilem, docet S. Lig., n. 849 in fine. — Caeterum non peccaret qui parentes consulere ideo omitteret, quod longe ab eis abesset et non posset commode eos certiores facere, aut crederet eos esse certo consensuros; itemque e contrario, si rationabiliter timeret eos esse iniuste nuptias impedituros. Gasp., 541.

252. Quid confessario et parocho agendum, casu quo filii familias a suis parentibus circa nuptias contrahendas dissentiant?

1° Confessarius, nisi aut filiis utiliter persuaderi possit ut parentibus morem gerant, aut parentibus ut a dissensu irrationabili desistant, tum his tum illis suggerat, ut rem pa-

rocho exponant; studeatque ab eis impetrare, ut velint vel consilio parochi, vel saltem Ordinarii mandatis acquiescere. Quod si reapse velint, sane sufficienter dispositi erunt ad s. absolutionem recipiendam.

2° Parochus, secundum can. 1034 „graviter filios familias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario."

Summam hac in re prudentiam apud nos suadet lex civilis, in qua deficiens consensus parentum unum est e praecipuis impedimentis matrimonialibus. Hinc adhuc videndum est:

253. Quaenam de exquirendo consensu parentum, eorumve qui parentum locum tenent, lege nostra civili statuuntur?

1° Quoad minorennes consensus parentum, eorumve qui parentum locum tenent [1]), ita lege nostra civili neces-

1) I. Ii quorum consensus primario requiritur, sunt:

1° Quoad minores *legitimos*: *a.* parens uterque, vel, alterutro deficiente (i.e. defuncto aut non potente ad voluntatem declarandam), solus parens non deficiens (art. 91, 1e en laatste lid); *b.* utroque parente deficiente, horum utrinque genitores, quatenus non deficiunt (art. 94, 1e lid); *c.* deficientibus etiam omnibus parentum genitoribus, tutor uterque, scl. tum principalis, tum subsidiarius (art. 95, 1e lid).

2° Quoad minores *naturales legaliter agnitos*: *a.* pater et mater a quibus agniti fuerint, quatenus horum neuter deficit (art. 97, 1e lid); *b.* utroque deficiente, tutor uterque, scl. tum principalis, tum subsidiarius (art. 97, 4e lid).

3° Quoad minores *naturales legaliter non agnitos*: est tutor uterque, scl. tum principalis, tum subsidiarius (art. 98).

II. Requiritur praeterea consensus solius tutoris principalis, aut (si nempe agatur de matrimonio, ab ipso tutore principali eiusve consanguinea in linea recta cum pupillo contrahendo) solius tutoris subsidiarii, quoties ille parens aut illi parentum genitores, quorum consensus requiritur, ipsi non sunt qui filii nepotisve tutelam exercent. Idque tum quoad legitimos valet, tum quoad illegitimos legaliter agnitos (artt. 93, 1e lid; 94, 2e lid; 97, 2e lid).

III. Ii, quorum voluntas non declarata vel etiam consensus expresse denegatus nulla ratione, et ne ab ipso iudice quidem, suppleri potest, sunt pater et mater filiorum legitimorum, quatenus tamen neuter eorum parentali sua potestate aut legitima tutela iudicialiter privatus existat. Neque etiam suppleri potest consensus *unanimiter et expresse* denegatus a parentum genitoribus. Ita e sensu contrario artt. 92, 2e lid et 94, 3e lid.

IV. Quatenus vero aut tacent aut consensum denegant *a.* parentes filiorum naturalium legaliter agnitorum (art. 97, laatste lid); *b.* parentes filiorum legi-

sarius est, ut matrimonium, sine tali consensu contractum, possit, petentibus (infra sex menses ab accepta matrimonii contracti notitia) iis quorum consensus lege requirebatur, a iudice rescindi seu annullari. B. W. art. 146.

2° Maiorennes, quamdiu aetatem triginta annorum nondum attigerunt, tenentur ex art. 99 parentum suorum (non tamen, parentibus deficientibus, aliorum) consensum petere, sed *a.* parentibus consensum denegantibus possunt nihilominus, post servatas quasdam formalitates coram iudice territorii adimplendas (art. 99—104), matrimonium libere inire, et *b.* matrimonium quod ab eis, etiam antequam praedictae formalitates servatae fuerint, sine parentum consensu contrahitur, validum est, nec a iudice rescindi seu annullari potest (art. 154).

3° Qui usque ad aetatem triginta annorum pervenerunt, ii ad nubendum nullius consensu iam indigent.

Appendix II. *De lege civili matrimonium vetante.*

254. Lex nostra civilis plures continet articulos, quibus a matrimonio ineundo arcentur, qui ure canonico sunt omnino habiles. Sic e.g. a matrimonio absolute arcentur iuvenes qui annum 18^{m} et puellae quae annum 16^{m} aetatis nondum expleverunt (B. W. art. 86); item quilibet minorennes quibus parentes quomodocunque consensum ad nuptias denegaverunt

---

timorum, potestate parentali vel tutela privati (artt. 92, 2^{e} lid; 93, 2^{e} lid); *c.* unus pluresve ex parentum genitoribus (art. 94, laatste lid); *d.* tutor vel principalis vel subsidiarius (artt. 93, 2^{e} lid; 94, laatste lid; 95, 2^{e} lid), matrimonium permitti poterit a iudice illius territorii (kanton) in quo filius vel pupillus nupturiens domicilium habet, dummodo 1° ipse nupturiens petat; 2° audiantur aut saltem advocentur illi quorum consensus lege requiritur; 3° audiantur quoque aut saltem advocentur filiorum legitimorum consanguinei vel affines ad normam articulorum 388 et 389; 4° de facto consenserint parentes, quatenus nec deficiunt nec parenteli potestate aut tutela privati existunt.

V. Instantibus sive ipsis filiis minoribus, sive aliqua persona quae ex lege in matrimonium consentire debet, sive tandem aliqua ex personis consanguineis vel affinibus quae comparuerit, a sententia iudicis territorii appellari poterit ad iudicem regionis (arrondissement), supplicatione mediante (art. 96).

(vide art. praec.). Sic a matrimonio inter se ineundo ii prohibentur, quos iudex civilis aliquando complices cognoverit in eodem crimine adulterii (art. 89); item ii, inter quos semel iam extiterit civile matrimonium, quod tamen civili divortio fuerit solutum (art. 90).

Praeterea eadem lex civilis plures ipsi matrimonio ineundo formalitates praefinivit (artt. 105—113), statuitque nullum matrimonium valorem habiturum, quod coram civili magistratu contractum non fuerit (artt. 131 et 147). Denique, uti vidimus n. 130 *b.*, lex rigorose vetat, ne matrimonium ritu religioso celebretur, antequam illud coram magistratu civili contractum sit (art. 136).

Huiusmodi articulis consideratis, haud inepte hoc loco ponitur quaestio:

255. Utrum nupturientes catholici, et parochus illorum nuptias benedicturus, possint, si velint, tuta conscientia praedictas civiles leges negligere et unice secundum canonicas leges contrahere, an potius aliquo modo obligatione teneantur easdem civiles leges observandi?

Iamvero, per se praedictae leges civiles nullam certe inducunt obligationem in conscientia. Sunt etenim iniquae, utpote sine Ecclesiae interventu latae (47), quinimo pleraeque iuri canonico repugnantes. Nihilominus per accidens toties eaedem in conscientia sunt observandae, quoties non perducunt ad id quod in se, i. e. iure naturali ac divino, illicitum est.

Obligatio per accidens eas observandi oritur ex obligatione avertendi gravissima illa damna, quae ex earumdum non-observatione tum ipsis contrahentibus, tum futurae eorum proli, tum Ecclesiae eiusque ministris oriri possunt. Praetermisso enim civili contractu, et matrimonio mere ecclesiastice celebrato: 1^0 alterutri coniugum aperta remanet ianua ad alia vota mere civilia et adulterina, si nempe nimis molestum esse contingat onus coram sola Ecclesia susceptum; 2^0 vir non potest cogi ad uxorem alendam; 3^0 liberi possunt derelinqui a parentibus et haereditate sua defraudari, atque insuper in civili consortio aliquam infamiae notam habebunt; 4^0 quoad ministros Ecclesiae articulo 136 contravenientes vide n. 49, *b.*

Quare: „ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum..., nequaquam vero ut infaustae legis exsecutioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui, quoniam a lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debent cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere" [1]). Ob eandem rationem Conc. Prov., p. 180 sic statuit: „... ob legum necessitatem et ad plura damna vitanda... caveant Parochi ne eorum matrimonio intersint, qui antea coram civili magistratu civilis connubii actum non emiserint."

256. Quomodo speciatim quoad articulum 136 Cod. nostri gerere se debent tum fideles, tum parochi?

1⁰ S. Sedes non solum saepius declaravit, fideles licite posse, sed etiam innuit eosdem, ob legum necessitatem et ad plura damna cavenda, teneri, articulum eiusmodi, quantum fieri potest, observare. Iidem vero a parocho docendi sunt et, quantum opus, monendi:

a. ut coram magistratu civili aliam intentionem non habeant, nisi perficiendi quamdam civilem caeremoniam seu formalitatem [2]);

b. ne ipsum matrimonium [religiosum] deinde diutius differant [3]);

c. ne, completa illa caeremonia civili, familiarius inter se conversentur, praesertim autem, ne ante nuptias coram parocho contractas sub eodem tecto cohabitent. Imo ii, quos parochus haud immerito suspicetur huic tertio monito vix obtemperaturos, eodem die ecclesiastice copulentur, quo actum civilis connubii expleant.

2⁰ Dantur tamen aliqui casus, quibus articulum 136 observare impossible est, nempe *a.* si contrahendum sit matrimonium secretum seu conscientiae; *b.* si contrahi debeat

1) Instr. S. Poenit. ad Epôs Italiae, 15 Jan. 1866, n. 5 et 6 (*Collect.*, n. 1406).
2) Instr. Ben. XIV, 17 Sept. 1746, alin. „Sciant itaque catholici" (*Collect.*, 1390).
3) Instr. cit. S. Poen., 15 Ian. 1866, n. 7.

in extremis, i.e. in mortis periculo, ac proinde deficat tempus praevie satisfaciendi formalitatibus civilibus [1]; c. quotiescumque salus animarum matrimonium coram Deo et Ecclesia contrahi postulet, licet non praemisso matrimonio civili. Casus magis obvius est, si duo concubinarii, qui nequeunt aut nolunt ab invicem separari, paratos quidem se exhibent ad matrimonium ineundum, sed nequeunt, nisi forte post notabile tempus, legi civili satisfacere, puta quia deficit aliquod ex instrumentis art. 126 Cod. civ. requisitis. Caveat tamen parochus, quantum fieri possit, ne incidat in poenas Codice nostro poenali in transgressores art. 136 Cod. civ. statutas; consulat, si suppetit tempus, Ordinarium, eiusque instructiones sequatur [2].

---

1) Overigens verklaarde Minister Modderman, bij de beraadslagingen over de wijziging van art. 449 Wetb. v. Strafr. in de afdeeling der Eerste Kamer in 1880: „Wat het huwelijk *in extremis* betreft, kan men rekenen op de prudentie van het Openbaar Ministerie." Vgl. Schaepman, *Het burgerlijk huwelijk der Roomsch-Katholieken*, blz. 32.

2) Ons nieuwe Wetb. v. Strafr., ingevoerd 15 Sept. 1886, strekt in art. 449 de straf op overtreding van art. 136 B. W. uit tot het verrichten van „eenige godsdienstige plechtigheid daartoe [d.i. tot het huwelijk] betrekkelijk." In het oude Strafwetboek (art. 199) was alleen strafbaar „het bedienen der [dat wil zeggen: van alle] godsdienstige plechtigheden van een huwelijk. Om dus zeker niet door de strafwet getroffen te worden, is het thans niet meer voldoende dat men de godsdienstige plechtigheden slechts ten deele verricht, maar is minstens noodig, dat men zich tot assistentia mere passiva bepaalt, d. w. z. zich onthoudt van alles wat maar eenigszins als godsdienstige plechtigheid zou kunnen worden aangemerkt. Aldus ook volgens eene uitspraak van het kantongerecht te Terborgh, 30 Maart 1887. Vgl. Schaepman, t.a.p. blz. 41.

In geval van noodzakelijkheid vrage men dus, indien de tijd het toelaat, dispensatie in de forma liturgica matrimonii aan en doe het huwelijk in de enkele forma tridentina, met louter passieve assistentie van den parochus, voltrekken. Immers, volgens eene uitspraak van den Hoogen Raad van 22 Juli 1850, die ook na de wijziging van art. 449 Sr. nog van kracht blijft, valt onder den term godsdienstige *plechtigheden tot het huwelijk betrekkelijk*, ten aanzien van het R. Kath. huwelijk „niet wat volgens de voorschriften der Trentsche Kerkvergadering ten aanzien van het *wezen* van het huwelijk is bepaald," maar enkel de „plechtigheden" die „daartoe behooren volgens het Rituale [en Missale] Romanum." Vgl. Schaepman, t.a.p., blz. 39 en 41. — Volgens Wouters, (*De forma promissionis et celebrationis matr.*, p. 43—45) is zelfs een „parochus mere (passive) assistens" voor den strafrechter

257. Hac occasione aliquas ponimus quaestiones morales circa modum agendi, quem respectu actus matrimonii civilis sequi debeant catholici *Officiales Status Civilis* (ambtenaren van den burgerl. stand), atque imprimis: Utrum generatim officiales civiles licite tum assistant matrimonio civili, tum eiusdem *instrumentum legale* (huwelijks-akte) praeparent ac conficiant, quamvis verum matrimonium non praecesserit?

S. Poenitentiaria in Instr. ad Episc. Italiae [1]) resp.: „Tolerari posse, dummodo officiales *a.* intendant exercere caeremoniam mere civilem, et *b.* nihil peragant aut suadeant contra sanctitatem matrimonii et necessitatem illud contrahendi coram Ecclesia." — Ratio profecto est, quia ex una parte actus matrimonii civilis, etiam antequam matrimonium coram Ecclesia celebratum sit, non est intrinsece malus, et ex alia obligationem ab eodem abstinendi illud sequeretur gravissimum incommodum, tum privatum tum publicum, quod boni catholici ubique a consiliis municipalibus ablegarentur: omnes enim tenerentur officialatui renunciare aut cedere.

258. Potestne vero officialis etiam tunc licite civili matrimonio assistere, cum ei appareat, sponsos fideles deinde non esse coram Ecclesia contracturos, sed in concubinatu legali permansuros, vel etiam, eosdem non posse contrahere, obstante aliquo impedimento canonico a lege civili non recognito?

En quaestionem valde implexam. Aliqui [2]) dixerunt, assistentiam in tali casu, utpote intrinsece malam, seu de se causam concubinatus fornicarii vel incestuosi, numquam esse licitam. Sed plerique hoc verius negant. Nam etiam in

---

niet geheel en al meer veilig, wijl de nieuwere Nederlandsche wetverklaarders ook de „mera assistentia" opvatten als een door den wetgever bedoelde „godsdienstige plechtigheid"; eene opvatting, die o.a. door een der leden van den Hoogen Raad, volgens diens eigen mededeeling aan Prof. Wouters, volkomen gedeeld wordt.

Al is nu die opvatting o.i. zeer beslist de vrucht eener „interpretatio extensiva", zullen toch onze priesters er voorzichtigheidshalve rekening mee moeten houden.

1) 29 Mart. 1885, apud Rosset, n, 2319.

2) E.g. P. Baudier, P. Dorgues, Bécamel, apue Allègre, *Le Code Civil commenté*, Paris 1894, tome I, p. 209.

supraposita hypothesi, dicunt, assistentia de se in eo tantum consistit, quod officialis, ut testis authorizabilis pro Statu, mere assistit alicui actioni quae, quin in se mala sit, nonnisi ex voluntate eorum qui eam ponunt, mala dici debet. Taliter enim contrahentes, dummodo ipsi velint, possunt, matrimonio civili contracto, rite contrahere coram Ecclesia, petita, in quantum opus est, impedimenti canonici dispensatione. Hinc patet, ipsam illam assistentiam non ita intrinsece malam esse, ut nullo casu licita esse possit. Quod confirmant exemplo parochi, qui aliquando, ut testis authorizabilis pro Ecclesia, licite assistit matrimoniis indignorum (supra, n. 215). Admittunt quidem fieri posse, ut officialis, titulo sive cooperationis non praestandae, sive scandali praecavendi, a praedicta assistentia abstinere teneatur: at, quisque novit, eiusmodi titulos non in quibuslibet adiunctis urgere. Siquidem, ad licite cooperandum [utique *materaliter* tantum] actioni peccaminosae alterius (seu ad ponendam, sine prava intentione, aliquam actionem in se bonam aut saltem indifferentem, qua alius abutetur ad peccandum), sufficit quod quis habeat causam proportionate gravem (Aertn[9]., n. 400). Data proinde eiusmodi causa gravi, officialis, etiam in casu de quo agimus, licite officio suo fungi potest. Idem fere est de obligatione in certis casibus scandalum vitandi. Haec enim charitatis obligatio, uti omnes norunt, non obligat cum gravi incommodo.

Ita quidem multi graves auctores [1]) sentiunt; quorum doctrinam sane confirmat Instr. citata S. Poenit. Ad quaestionem enim: „Utrum possit officialis civilis assistere matrimonio, quod civile appellant..., quamvis habeatur suspicio vel certitudo, fore, ut illud minime coram Ecclesia celebretur?" S. Tribunal resp.: „... officiales dirigendos esse iuxta regulas a probatis auctoribus, ac praesertim a S. Alphonso de Liguori [1]) circa cooperatores traditas."

Ad quaestionem vero, quaenam causa possit hac in re

---

1) Santi-Leitner (IV, Append. II, n. 10) Rosset, IV, n. 2319—2321, Gasp., n, 1231, Lehmk., n. 952[1].

1) Lib. II, tract. 3, cap. 2, dub. 5, a. 3.

proportionate gravis censeri, non eadem omnium responsio est.

Santi et Gasparri putare videntur, etiam in his casibus (aeque ac in quaestione praecedenti), causam sufficientem, scandalo seposito, officiali adesse in debito adimplendi officii sui et in periculo ipsum officium amittendi. Illustr. vero Rosset hanc causam solam, scandalo licet seposito, plane insufficientem dicit. „Quippe officialis (ita Rosset, n. 2320) qui cedit officio suo, ne cooperetur vel etiam materialiter concubinatui . . ., generaliter non grave inde detrimentum patitur; nam ex officio suo plerumque nullum percipit emolumentum. E contra, ut officio publico fungatur, saepe saepius necesse est a rebus domesticis distrahere multum temporis, praesertim in municipiis paulo maiori numero civium conflatis. Neque solet inde bono publico grave damnum inferri, quia facile potest ei suffici alius, qui tali bono prospiciet. Si forte inde consurgit detrimentum, valde compensatur per bonum exemplum officialis, qui, denegando suam praesentiam contractui civili ac cedendo officio suo, reprobat concubinatum legalem, et ab eo retardat admodum eos, qui postea nubendi sunt."

Addit tamen doct. Episcopus: „Quod volo dictum praecipue de locis ubi matrimonia mere civilia sunt rarissima."

His ultimis verbis iam insinuatur, quod etiam ab aliis auctoribus docetur, proportionem causae cum gravitate malitiae concubinatus non esse eandem pro omnibus locis. Nam, praeter rationem vetitae cooperationis, etiam scandali vitandi ratio est habenda. Atqui scandalum, quod per concubinatum legalem ingeritur, non est aeque magnum ubique. Hinc officiali, ut licite ei cooperetur, gravior adesse debet ratio in parochiis ubi religio catholica adhuc alte in fidelium cordibus radicatur, quam in locis ubi, propter refrigiscentem caritatem multorum fidemque languescentem, etiam scandalum eiusmodi actuum minuitur.

Pro certo haberi potest quod, etiam in locis ubi scandalum esset ingens, officialis non teneretur ab assistentia abstinere si exinde pateretur iacturam famae vel grave detrimentum in bonis fortunae. Quamquam, quomodo id aliquando contingat,

equidem vix video. Forte ratio proportionate gravis etiam tunc adesset, si officialis non tantum officio suo cedere cogeretur, sed si insuper Gubernium ab illo subtraheret aliquod munus publicum quo se et familiam suam sustentat, vel etiam si munerum et officiorum, propter quae stipendia Gubernium erogat, ipsi aut filiis suis aditus praecluderetur.

Ut autem officialis, qui causam satis gravem se habere putet ad eiusmodi matrimonia civilia celebranda, pro viribus scandalo inde orituro occurrat, prudenter et caute admoneat contrahentes, ipsorum matrimonium meram civilem caeremoniam esse, nec quidquam valere coram Ecclesia, imo (in casu quo impedimentum canonicum notorium obstaret) ab eadem interdici ob impedimentum, quo ipsi ligantur.

259. Quid denique si officialis sciat contrahentes impedimento vinculi detineri?

Haec quaestio respicit casum, quo duo ad matrimonium civile celebrandum accedunt, quorum unus vel uterque iam ligatus est veri et legitimi matrimonii vinculo, super quo tamen obtinuit civilem sententiam divortii.

Unusquisque videt in hoc casu agi de cooperando alicui actioni omnino perniciosae ipsique divino iuri adversae, nempe eiusmodi concubinatui qui ne per Ecclesiae quidem dispensationem cohonestari legitimumque matrimonium fieri potest. Insuper, hîc certe agitur de eiusmodi praestanda cooperatione, quae, etiamsi mere materialis dici adhuc possit [1]), certo est cooperatio proxima et imo proximior. Proinde etiam in hypothesi quod aliquando licita fieri possit, id saltem non foret nisi ex causa urgentissima. Inspectis autem responsis hac super re a S. Sede emanatis dicendum est, eiusmodi causam urgentissimam vix aliquo casu extituram. En tria responsa praecipua:

a. Inter dubia, S. C. S. Officii a Vicario Apost. Insul. Sandwich. proposita, haec occurrunt: ... „6⁰ Lorsque les deux parties, que nous avons mariées [notandum est missionarios catholicos in illo Vicariatu Apostolico fungi munere officialis

1) Quod negatur a multis, qui, quoad hunc saltem casum, actum matrimonii civilis intrinsece malum esse dicunt. Vid. e.g. Rosset, n. 2322.

civilis], ne sont pas toutes deux catholiques, pouvons nos remarier celle qui obtient un billet de divorce? 7° Si (ce qu'à Dieu ne plaise) deux catholiques allaient se faire marier par les ministres calvinistes avec l'intention de ne se marier que d'après le sens et les termes de la loi civile, qui admet le divorce, pourrions nous remarier le parti qui obtiendrait du gouvernement la permission de se marier à un autre? „S. autem Cong. reposuit 11 Dec. 1850: „Ad 6^{m} et 7^{m}: non licere, nisi constet matrimonium fuisse nullum, sive ob legem divortii in pactum deductam, sive ob aliquod aliud dirimens canonicum impedimentum." *Collect.*, n. 1525.

b. Quidam Episcopis Italiae, ad quaestionem, num syndicus possit assistere matrimonio civili illius, qui iam ligatus est vinculo coniugali coram Ecclesia cum tertia persona, sequens accepit S. Poenitentiariae responsum: „non posse ullo modo dictum syndicum actui obsecundare qui matrimonii sanctitati tam contrarius est. Consequenter, *quaecunque tandem sint casus circumstantiae,* ipse non potest assistere, *etiamsi exinde deberet suum officium dimittere*" [1]). Denique:

c. Ad sequens dubium, inter alia a nonnullis Galliarum Episcopis propositum: „Pronunciato divortio, an possit syndicus coniugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio iungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars?" S. C. S. Officii die 27 Maii 1886 respondit: „Negative" [2]).

Qui quaestionem de absoluta illiceitate actus, de quo agitur, per haec S. Sedis responsa nondum putet diremptam, ac proinde fieri adhuc posse credat, ut in quadam necessitate omnino singulari syndicus vel alius officialis tuta conscientia praedictis matrimoniis assistentiam praebeat, is tamen numquam, ad hoc rogatus, propria auctoritate consilium suum impertiatur, sed omnino adeat Episcopum. Non vero rogatus utiliter plerumque silebit, ne eiusmodi officiales e bona sua fide eripiat.

---

1) 28 Nov. 1883 *Nouv. Rev.*, 1888, p. 399.
2) *Nouv. Rev.*, 1886, p. 380.

Caput III. De impedimentis dirimentibus speciatim

Art. I. *De impedimento aetatis.*

260. Quaenam ad valide nubendum aetas requiritur? 1° Iure naturali requiruntur et sufficiunt anni discretionis, i.e., saltem regulariter, *septennium* completum. Huiusmodi aetas requiritur, quia pueri antea quid agant non solent intelligere; eadem vero (dummodo de facto non desit debitus consensus) sufficit, ita ut nequaquam obstet defectus pubertatis (seu actualis capacitatis ad coeundum), quia ad valide contrahendum sufficiens est, si quis coeundi capax sit in futuro (n. 271,*c*). Hinc solo iure naturae spectato, qualiter fieri debet inter infideles, ea sufficit aetas, qua nupturiens, quid sit matrimonium, satis habeat sibi perspectum [1]).

2° Iure ecclesiastico hodie, ex can. 1067, § 1, non sufficiunt anni simplicis discretionis, sed requiritur annus *decimus sextus* in maribus et *decimus quartus* in foeminis, uterque completus. Antea, ex capp. 10 et ult. *de desp. impub.* (IV, 2) requirebatur et sufficiebat aetas pubertatis, i.e. annus 14^{s} in masculis et 12^{s} in feminis, uterque pariter completus. Insuper vero, ex cap. 9 tit. cit., matrimonium poterat valide iniri si ante pubertatis annos ipsa pubertas de facto adesse probaretur, eo quod e.g. puella undecim annorum ex copula de facto concepisset, aut quod iuvencula, cuius aetas ignorabatur, exteriora pubertatis signa prae se ferret. In huiusmodi casibus „malitia" dicebatur aetatem supplere. Sed hoc supplementum Codex ultra non admittit [2]).

Anni autem, iure canonico requisiti, solares sunt, nec sufficiunt lunares; sunt quippe sumendi „prout sunt in calendario" (can. 34, § 3, 1°).

Insuper ex eodem canone § 3, 3° consequitur, aetatem canonicam nonnisi postridie „diei natalis" verificari.

---

1) S. C. S. Off. 10 Dec. 1885 (*Collect.*, n. 1383). Cfr. Math., 240.

2) Item Codex abrogavit ius Decretalium (C. 14, tit. cit., necnon c. unic. eod. tit.) in quantum hoc matrimoniis, ratione impubertatis invalidis, vim attribuebat sponsalium validorum.

261. Impedimentum aetatis, iure canonico statutum, in quo fundatur?

Fundatur in praesumptione, qua ius illud, ad exemplum iuris Romani, e communiter contingentibus praesumit, in adolescentibus, ante aetatem praedictam, desiderari tum maturiorem illam discretionem quacum matrimonium iniri saltem convenit, tum etiam illam corporis maturitatem, sine qua opus coniugale (i. e. copula carnalis) apte plerumque et in multis casibus utiliter non attentatur. Haec autem praesumptio, quae antea erat *iuris* tantum et hinc, secundum quod modo diximus, veritati cedere debebat, nunc (iure Codicis) facta est *iuris et de iure,* probationem contrarii non admittens. Idque sive probatio tenderet ad demonstrandam corporis maturitatem antea de facto iam obtentam, sive ad demonstrandum eiusdem defectum post aetatem legalem adhuc perseverantem. Cfr. can. 1826.

262. Num ad nuptias transire expedit, vel etiam licet, cum primum advenerit aetas ad valide contrahendum iure canonico requisita?

„Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet." Ita can. 1067, § 2. — Scilicet aetas illa 16 et 14 annorum, quamvis ubique habenda sit pro norma valoris matrimonii, non tamen ubique haberi potest pro norma illud convenienter et licite contrahendi.

Ecclesia, enim in statuenda *validitatis* norma, regiones etiam meridionales respicere debebat, ubi natura citius ad maturitatem pervenit. In regionibus autem frigidioribus optata ad matrimonium maturitas plerumque serius completur, adeo ut raro ibi videatur convenire quod puella ante 18^{m} aetatis annum, et iuvenis ante 20^{m} matrimonium ineat. Quinimo, saepius etiam diutius exspectandum erit, ne ante aetatem robustam vires debilitentur [1]).

At ex altera parte pro integritate morum optandum sane

---

1) Lehmk., n. 980. Simile monitum continet Instr. Austr., § 72.

est, ne tempus ineundi matrimonium nimis differatur. Iudicium Ecclesiae ex hoc solo iam habes, quod annos 23 in puella pro „aetate superadulta" sumat atque pro causa dispensandi in impedimento cognationis.

Similiter in adolescentibus aetatem notabiliter maiorem, vel etiam 30^{m} annum usque, exspectare, mos est nullatenus laudandus. Lehmk., l.c.

263. Utrum impedimentum aetatis sit dispensabile? In quantum est iuris ecclesiastici affirmative. Attamen est ex impedimentis, in quibus Ecclesia, vigente iure Decretalium, non dispensabat nisi „ex urgentissima causa pro bono pacis." Cap. 2 tit. cit. Quae causa verificari vix poterat nisi quoad personas regias.

Unde S. Sedes facultatem dispensandi hucusque de facili non concedebat. S. C. S. Off. 21 Nov. 1866 (*Collect.*, n. 1382). Cfr. Math., n. 239. Nunc autem, inducto per Codicem aetatis dirimentis augmento, maior quaedam facilitas hac in re exspectari forsan poterit, saltem pro regionibus meridionalibus.

Art. II. *De impedimento impotentiae* [1]).

264. Post primum coniugii validi requisitum, nempe generalem coniugandorum quoad animum et corpus maturitatem, qua oneribus matrimonii tum intelligendis tum ferendis saltem praesumptive non sint impares, nunc, ut requisitum alterum, consideranda venit specifica eorumdem capacitas ad proprium coniugii opus, seu ad actum illum, quo solo primarius matrimonii finis, nempe prolis generatio, naturaliter et legitime obtineri potest.

Scilicet ex fine illo suo primario matrimonium essentialiter consistit in nexu illo seu vinculo, quo vir et mulier consti-

1) Quae ad hoc impedimentum pertinent, ea alumnis nostris tradi non solent nisi in proxima ad sacrum presbyteratum praeparatione. Agitur quippe de eiusmodi materia, quam, ob foedas repraesentationes ei plerumque connexas, nulla casta mens, necessitate seclusa, secum revolvet. Quare ab iis interim perlegendis omnino abstineatur. Data autem necessitate, lectio non nstituatur nisi mente ad superna elevata et invocato supernaturali auxilio.

tuunt unum quoddam atque completum prolis generandae organum; hinc coniugandis importat traditionem mutui iuris in alterius corpus in ordine ad actus de se ad generandam prolem aptos [1]). Quoniam autem nemo tradere valet quod non habet, ideo vir aut mulier, cuius corpus ad praedictos actus exercendos non est idoneum, eo ipso ad matrimonium valide contrahendum impeditur. Cui impedimento „impotentiae" nomen in iure tribuitur [2]).

Quum porro hîc agatur de aptitudine quadam corporali viri et mulieris, nempe de aptitudine ad copulam carnalem prolis generandae causa perficiendam, liquidum est, scientiam iuris de hoc impedimento adiutorio indigere scientiae physiologicae de organis et functionibus prolis generationi inservientibus. Unde, tum in explicandis tum in applicandis principiis huc facientibus, physiologorum et medicorum iudicium persaepe invocandum erit [3]).

265. Ob notatum illum nexum huius impedimenti cum physiologia generationis humanae, huius genesin per summa saltem capita hîc describimus. Scilicet ad generandum hominem duplex veluti principium physiologicum, activum et passivum, concurrit:

a. Principium activum est semen virile seu *sperma*, quod est substantia quaedam mucosa, continens *spermatozoida (semen simile animali* a ζωοειδής = *animali simile* et σπέρμα = *semen)*. Hoc sperma elaboratur in *testibus* seu testiculis *scroto* inclusis; conservatur in *vesiculis seminalibus* et, sub certis influxibus psychopathicis inde excitatur, ut per *vasa deferentia* ascendat ad membrum virile *(penem* seu *virgam)* eoque tandem eiaculetur [4]).

b. Principium passivum est ovum foemineum quod,

1) Recole dicta ad num. 1, 10 et 16, I.

2) In Decretalibus passim vocatur „frigiditas", ut in c. 2 *de frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi* (IV, 15).

3) Cfr. Eschbach, *Disputationes physiologico-theologicae*, Romae, 1890, Disp. I, Cap. VIII; Antonelli, *De conceptu impotentiae et sterilitatis*, Romae, 1900; Capellmann-Bergmann, *Pastoral-medizin*, Paderb., 1914, S. 297, f.f.

4) A *semine* distinguendus est humor ille qui non a testibus, sed ab aliis quibusdam glandibus — praesertim a *glande Cowperiana* et a *prostata* (voor-

spermate (spermatozoidis referto) foecundatum, in utero seu matrice recipitur et evolvitur. Nimirum in muliere haec sunt organa praecipua quae generationi inserviunt: 1⁰ *Vagina*, quae, ad instar flaccidi canalis ab externa organorum parte ad uterum ducens, ad suum ingressum membrana quadam fere penitus occluditur, quae *hymen* vocatur et semel lacerata non amplius redit; 2⁰ *uterus* seu *matrix*, ovi foecundati receptaculum, formam habens piri inversi, culmine suo seu *collo* extremum internum vaginae paullulum intrans; 3⁰ *ovarium* duplex, hinc inde ad superiorem uteri partem alligatum, continens ovula, eaque innumera, cellula sua seu vesicula [1]) quaeque inclusa. Ovaria sunt in muliere quod sunt in viro testes. Sicut horum ita et illorum excisio „castratio" vocatur; 4⁰ *tubae fallopianae*, a superioribus uteri lateribus ad ovaria se extendentes, quae sunt veri oviductus et hinc in muliere idem sunt quod vasa deferentia in viro.

Iamvero, coeundi actu sperma immittitur in vaginam et inde permeat ad uteri interiora; eius spermatozoida in utero, vel potius in ovario aut in ipsis tubis, ovulum maturum circumdant et in eius substantiam penetrare eamque foecundare conantur. Ovulum maturum, rupta Graafiana vesicula, ex ovario decidens, ad uterum pervenit: et tunc, si non est foecundatum, per vaginam eiicitur foras, quod continuo accidit in menstruis; sin autem foecundatum, remanet in utero, qui clauditur. Post novem [2]) evolutionis menses mulier pariet seu per vaginam foetum emittet.

His praenotatis sit:

§ 1. De impotentiae notione.

266. Quid, in ordine ad opus generationis, „impotentiae" nomine intelligendum est?

---

standklier) — secernitur et semini liquefaciendo, et sic facilius eiaculando inservit. Quandoque vero hic humor emittitur seorsum, ut in *distillatione* quae vocatur.

1) Vesiculae illae vocantur „Graafianae", a medico Delphensi Reinero de Graaf († 1673).

2) Saltem regulariter. Partus notabiliter antea accidens vocatur *praematurus*; ante mensem lunarem fere septimum graviditatis obtinens vocatur *abortus*.

Nomine „impotentiae" passim denotantur haec duo, quae tamen omnino ab invicem sunt distinguenda, videlicet:

a. impotentia *coeundi*, seu exercendi cum comparte „actum coniugalem" qui est „copula carnalis perfecta", i. e. qua vir et mulier vere „una caro" fiant, quaeque de se, seu ex parte actus apta sit ad generationem. Copula autem de se perfecta habetur, cum vir, membro suo mulieris vaginam penetrans, ibi deposuerit virile suum semen;

b. impotentia *generandi*, quae alio, eoque propriori, nomine „sterilitas" vocatur, et tunc habetur, quum copula, de se licet perfecta, tamen per accidens (scl. ex aliquo accidentali naturae vitio in viro vel in muliere) non potest sortiri effectum prolis generandae.

266 *bis.* Quandonam in viro, quando vero in muliere habetur *impotentia coeundi*?

In responso ad hanc quaestionem quaedam sunt certa et ab omnibus admissa, quaedam vero dubia. Hoc numero ea tantum proferemus quae certa sunt. Iamvero:

I. In genere impotentia coeundi habetur in viro, si membro suo mulieris vaginam naturaliter — i. e. ipsa vi membri [1]) nec adhibito artificio — ingredi in eamque verum semen eiaculare nequeat; habetur in muliere, si viri membrum et semen eo eiaculandum vagina sua non possit recipere.

II. In specie id verificatur:

a. quoad virum: ex penis aut carentia, aut insufficienti erigibilitate, aut improportione; item ex utriusque testiculi aut carentia, aut atrophia adeo perfecta ut seminis sufficienter elaborandi sit incapax [2]); item ex vasorum deferentium aut

1) Ad coitum peragendum membrum virile, seu penis, e flaccido plus minusve rigidum et erectum fiat necesse est.

2) Vir cui penis (totaliter) est excisus vocatur *ectomus*; qui penem erigere non valet: *frigidus*; qui utroque testiculo caret, sive a natura sive ex castratione: *spado* vel *eunuchus*; qui perfecta testium atrophia laborat: *thlasia* (si ex fractione) et *thlibia* (si ex contusione). Ectomi et frigidi semen quod habent vaginae inferre naturaliter nequeunt; caeteri semen verum elaborare ne quidem possunt. Wernz, n. 345 (not. 33 et 34). A spadonibus distinguendi sunt *cryptorchidae*, qui testes habent in abdomine latentes et spermatis conficiendi capaces sunt. Eschb., p. 195.

carentia, aut ad semen conducendum ineptitudine. Cfr. inferius n. 268 *bis*;

b. quoad mulierem: ex vaginae aut carentia, aut occlusione, aut nimia arctitudine;

c. in utroque: ex impossibilitate quacumque, sive physica sive psychica, organa praedicta, licet de se rite formata et disposita, ad copulam perfectam adhibendi. Quod e.g. in viro obtinet, si sit adeo frigidus, ut in accessu ad mulierem non possit virgam erigere; aut adeo calidus, ut ad eiaculandum semen nequeat exspectare vaginae penetrationem sed iam antea totum semen effundat. Item in muliere, si e.g. „vaginismo" laboret, i.e. nervorum vaginalium hyperaesthesia, qua viri contactum non patiatur. Huc tandem pertinet invincibilis unius copulantis ab altero aversio, undecumque ea proveniat, v. gr. ex odio, deformitate, halitu tetrum spirante, etc.

266 *ter.* Quandonam, in personis „coeundi" capacibus, habetur mera impotentia generandi seu „sterilitas"? — Habetur:

a. in viro, si ipsius semen, etsi verum seu a testibus elaboratum, tamen sit infoecundum, utpote spermatozoidis non refertum, ut solet esse in senibus et in recenter tantum puberibus;

b. in muliere, si provectiori eius aetate [1]) ovariorum inertia subintraverit; item si semen recipere quidem possit, retinere vero non possit.

267. Quibusnam in casibus habetur impotentia dubia?

Praenot. Sermo est de impotentia coeundi (n. 266 *a*), quae tandem sola impotentiam veri nominis constituit.

Ulterius: quaeritur de dubiis theoreticis seu de dubiis *iuris*. Dubia enim *facti*, hac in materia admodum frequentia, disputationi speculativae non subiacent.

Quibus praenotatis, primus casus dubius est, quoad mulierem, carentia uteri vel utriusque ovarii, vel ovariorum et uteri simul.

Nimirum aliquando contingit mulieribus chirurgica operatione ovaria excidi, aut uterum exstirpari. Evidens autem est, co-

1) Aetas illa (45—52 annorum) „critica" vocari solet.

pulam cum huiusmodi mulieribus, etsi de se possibilem, nequaquam tamen effectum prolis generandae sortiri posse. Inde autem dubitatur, utrum eiusmodi copula dici adhuc possit de se apta ad finem primarium matrimonii, seu de se apta ad generationem; ideoque dubitatur, utrum istiusmodi mulieres potentes an impotentes ad matrimonium sint dicendae.

Huic dubio solvendo ea S. Sedis responsa [1]), quibus in casibus particularibus „matrimonium non esse impediendum" aut (quoad matrimonio iam coniunctos) „non esse inquietandos" declaratum est, robur absolutum ideo non afferunt, quia aut accipi possunt tamquam datae ob speciales facti particularis rationes (v. gr. quia in casu proposito non fuit *perfecta et absoluta* uteri et ovariorum absentia vel excisio), aut tamquam decisiones mere practicae, quaestionem theoreticam intactam relinquentes [2]). Igitur videamus, quid mere speculative sentiant auctores.

Alii [3]) dictarum mulierum impotentiam sustinent, quia defectu ipsorum organorum ad generationem omnino necessariorum, copula cum eis, etsi de se possibilis, quolibet tamen

---

1) Ad dubium: Num mulier N... cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium?" S. C. S. Off. 23 Iul. 1890 resp.: „Matrimonium non esse impediendum." Iam antea (3 Febr. 1887) eadem S. C. ad dub.: „Num mulier per utriusque ovarii excisi defectum sterilis effecta, ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, necne?" responderat: „Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de quo in casu, non esse impediendum". In eumdem sensum S. C. S. Off. respondit 29 Aug. 1901, expenso casu mulieris, cui utrumque ovarium manu chirurgica excisum fuerat.

2) Quod praecipue applicari posse videtur responso S. C. de Sacram., 2 Apr. 1909, casum spectanti, in quo iuxta exposita et iuxta chirurgi expressam declarationem, certo perfecta ac completa erat ovariorum exsectio. Cfr. *N. R. Théol.*, 1910, p. 199 et *Canoniste*, 1910, p. 334. Sed etiam reliquis responsis, supra citatis, quae, sicut et hoc, quin quidquam pronuncient circa non-existentiam impedimenti, solummodo dicunt „matrimonium non esse impediendum", utique ob libertatem in dubio non auferendam. Et sic responsa illa totidem videntur praeludia ad regulam, pariter mere practicam, quam nunc continet can. 1068, § 2: „Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum."

3) Wernz, n. 345; Antonelli, p. 53—141; Ball.-Palm., VI, n. 865; Rosset, n. 1406; Lehmk., n. 975, et alii complures.

ordine caret ad generationem. Quae ratio sane fortis est nec facile evertenda. Addunt illi auctores, copulam cum huiusmodi muliere, utpote generationi per se ineptam, vix quidquam differre a copula cum viro perfecte castrato.

Alii [1]), contra, dictas mulieres putant non esse impotentes, quia id ab eis praestari potest quod requiritur ad consummandam copulam secundum se spectatam, nempe receptio seminis virilis in debitum vas muliebre, seu in vaginam. Quod autem inde generatio de facto sequi non possit, id non est ex defectu actui intrinseco, qui tamen solus vocari posset defectus *per se*, sed ex defectu ei extrinseco, seu *per accidens*, nempe e defectu naturae, ad quam spectat actionem hominis, de se perfectam, sua deinceps actione ad generationem perducere.

Negatur deinde paritas cum viro castrato, quia hic ob carentiam seminis revera copulae de se aptae generationi est incapax, non autem mulier ovariis vel (et) utero orbata. Contra, quoad notatum naturae defectum datur potius paritas cum muliere, quae uterum habet quidem, sed vel clausum vel obstrusum; aut quae habet quidem ovaria, sed inertia, e. g. e senectute vel morbo; item datur paritas cum viro qui potest quidem semen producere, sed nonnisi infoecundum. Nihilominus plerique auctores sententiae oppositae in omnibus his casibus copulam putant per se generationi non esse ineptam; quod sane consequentia carere videtur. Accedit, in hac sententia criterium, quo vera impotentia a mera sterilitate dignoscatur, esse applicatu facilius prae illo quod statuitur a sententia contraria. Facilius enim constare potest de aptitudine ad copulam de se perfectam, quam de copulae ordinabilitate ad generationem. Ut enim in sola carentia ovariorum sistamus, ipse medicus, qui ea chirurgica operatione abstulerit, vix umquam certus est, nihil omnino eorum mulieri remansisse. Cfr. de Smet, n. 278. Unde haec sententia facilius quam opposita a matrimoniis removet dubia, de eorum nullitate ex capite impotentiae, nonnumquam oritura.

---

1) Eschb., p. 149; Gasp., n. 571; Génicot, II, n. 503; v. d. B.-Sch., p. 242 cum plerisque recentioribus.

267 *bis.* Quum, secundum quod diximus n. 265, ad copulam de se aptam generationi requiratur immissio seminis in vaginam, quaeritur, quid censendum de aliquorum doctorum [1]) opinione, in qua impotentia negatur quoad mulierem nimis arctam quidem, sed cui semen utiliter applicari possit ad externum vaginae orificium.

Quae quidem opinio nititur admissa a nonnullis physiologicis possibilitate e copula sic peracta prolem concipiendi, scilicet mediante spontanea quadam seminis attractione per vaginam ad uterum [2]). Ni enim tali casu potentia admittatur, haberetur, inquiunt, „absurdum, nempe prolem oriri ex coniugibus impotentibus, medio humano licito utentibus", uti habet Gasp., n. 530.

At vero haec opinio communiter habetur parum probabilis, quia si aliquando contingat mulierem e tali congressu cum viro foecundari, id sane erit casus *fortuitus* [3]). Sed inde non potest pendere matrimonii valor, qui unice pendere potest ab eo quod est naturae, hinc a potentia copulationis secundum modum a natura institutum. Deinde cap. 6 *de frigidis* (IV, 15), impotentem decernens mulierem incurabiliter arctam, etsi solummode relative ad virum determinatum, in illa opinione sensum ultra non haberet, sicut etiam sensu careret praxis forensis Ecclesiae in arctitudinem mulieris accurate inquirendi: nam applicatio seminis ad orificium vaginae semper, scl. mulieribus etiam arctissimis, fieri potest [4]).

Ulterius: communiter moralistae modum illum copulam peragendi, utpote innaturalem, illicitum esse putant. De quo vide Rosset, n. 1418. Hinc deficit conclusio ad absurdum, quam facit Gasparri in verbis supra allegatis. Scilicet mulierem, non obstante conceptu fortuito, in hac hypothesi impotentem dicere, non magis absurdum est, quam in hypothesi mulieris quae conceperit ex foecundatione artificiali, de qua nunc videndum.

268. Utrum possibilitas mulierem artificialiter foecundandi eam reddat coeundi capacem.

---

1) Scherer, *Kirchenr.*, II, S. 273; d'Annib., III, n. 431 (10); Lehmk., II, n. 1065.
2) Eschb., p. 68, sequ.; Antonelli, p. 52; Ballerini, II, n. 855.
3) Quod fatetur ipse Gasp., l.c.
4) Cfr. Wernz, n. 347; Rosset, n. 1418.

Quoad foecundationem artificialem proprie ita vocatam, negative. Haec foecundatio locum haberet si virile semen, citra copulam perfectam [1]) eiaculatum et vase aliquo exceptum, deinde ope alicuius instrumenti (syphunculi) vaginae muliebri intromitteretur. Quam foecundationem „non licere", ac ne quidem in casu impotentiae, matrimonio contracto supervenientis, coniugibus permitti posse, die 24 Martii 1897 (*Canoniste*, 1897, p. 472) S. C. S. Officii resolvit.

Non vero esset foecundatio artificialis in sensu huius decreti sed mera naturae adiuvatio, si, praehabita copula vere perfecta, semen ope alicuius instrumenti p r o f u n d i u s vaginae intromitteretur [2]).

268 *bis.* Quid de viris v a s e c t o m i a m passis?

„Vasectomia" est operatio chirurgica, qua, facta prius incisione in scroto, vas deferens dividitur, seu medio secatur. Haec operatio recenti tempore, maxime inter Americanos, applicari coepit, tum ad curandum vitium onanismi, tum in poenam stupri a viris nigritis in mulieres „albas" commissi [3]).

Huius operationis effectus est, quod semen proprie dictum, seu spermatozoida continens, ultra nequit e testibus ad virgam ascendere; quinimo, secundum plures physiologos, eadem operatio ipsorum testiculorum atrophiam, et hinc seminis elaborandi incapacitatem, saltem post aliquot annos, inducit.

Inde autem merito inferunt, viros, de quibus agitur, esse coeundi incapaces; siquidem „qui nihil emittit elaboratum ab ipsis testiculis et qui verum semen non potest emittere, est certe impotens sensu canonico ad contrahendum matrimonium", uti decrevit Sixtus V 22 Iun. 1587 [4]).

Non tamen desunt [5]) qui eorumdem impotentiam inficiantur, eo quod quaedam copula cum distillatione possibilis eis maneat; qua possibilitate aequiparandi essent senibus, semen

---

1) Hinc: aut per copulam onanistice abruptam, aut per simplicem viri pollutionem.

2) Eschb., p, 70—74; v. d. B.-Sch., n. 208*a*; Surbled, I, p. 237.

3) Capellmann-Bergmann. S. 57, f.f.; *N. K. St.*, p. 19 et 122,

4) Capellm.-Bergm.. a. a, O., S. 59,

5) E.g, O'Malley, apud Capellm.-Bergm., a, a. O.

foecundum magis quam illi emittere plerumque non valentibus, et nihilominus ex praxi Ecclesiae a matrimonio ineundo non impeditis. Verba autem citata Sixti V in hac sententia de solis spadonibus, copulari omnino non valentibus, intelligenda essent.

Nobis autem comparatio illa cum senibus enormiter claudicare videtur. Praeterquam enim quod aliquando ipsi senes prolem adhuc generant, insuper id quod etiam magis decrepiti in actu copulationis eiaculant, naturam veri seminis amisisse nullo obvio facto umquam demonstratur. Et sic eorum impotentia, quatenus forsan adsit de facto, quum cuilibet iudicio certo subtracta maneat, iuridice non est attendenda. Contra, in vasectomiam passis ipsa, quam subierunt, chirurgica operatio eiusmodi obvium factum constituit.

Nota 1. Quod „vasectomia est in viris, id in feminis est „oophorectomia", qua scl. dividuntur tubae fallopianae, seu oviductus, et qua fit, ut hinc ovula ex ovariis ad uterum, inde semen virile ad ovaria pervenire sit impossibile. Quoad potentiam vero vel impotentiam, hac operatione mulieribus inducendam, eodem modo disputari potest ac de ablatione uteri et ovariorum.

Nota 2. De utriusque operationis moralitate, vide moralistas ad V^{m} Decalogi praeceptum, e.g. Aertn^{9}., I, n. 568.

269. Ad complendam impotentiae notionem quaerendum adhuc est, quid sub hoc respectu censendum de *hermaphroditis* seu *androgynas*, i. e. de personis, quae organa unius sexus ita habent conformata, ut etiam ad alium sexum pertinere videantur.

Praenot. Hermaphroditae [1]) vere et perfecte tales, seu secundum utrumque sexum perfecte congredi valentes, extra poetarum phantasiam non existunt. Apparentis cuiusdam hermaphroditismi frequentiora exempla praebent mulieres illae, quarum prominentior *clitoris* quamdam membri virilis speciem exhibet [2]).

1) Nomen „Hermas-Aphrodite" gerebat Mercurii et Veneris proles, quam antiqui poetae sexus utriusque participem fingebant.

2) Cfr. A. S. S., XXVI, p. 223 in *Cameracen.*, 18 Mrt. 1893. Vide etiam A. S. S., XXI, p. 481, ubi habes exemplum alicuius coniugatae ad sexum

Hermaphroditismum verum quoddam, sed imperfectum, nonnumquam constituit concurrentia testiculorum (vel unius testiculi) cum uno ovario [1]).

Iamvero quaestio hac de re, si umquam parocho afferatur, medicali subiiciatur examini. Quo si constet, personam ad alterutrum sexum certo pertinere et secundum hunc sexum perfecte congredi posse, nulla manet quoad matrimonium valide et licite ineundum difficultas.

Ipso vero sexu dubio manente, eo ipso talis persona arcenda videtur saltem a matrimonio [2]), quod nonnisi inter personas quae certo sint sexus diversi contrahendum est.

Quodsi de sexu quidem constet, non autem de potentia coeundi, matrimonium, secundum inferius (n. 273) dicenda, non est impediendum.

§ 2. Impedimenti impotentiae constitutiva.

270. Explicata impotentiae, ut impedimentum esse potest, notione, quum non quaelibet impotentia matrimonii impedimentum constituat, in primis quaerendum est de variis impotentiae speciebus. Est autem impotentia:

1° naturalis vel accidentalis, prout a naturali defectu ipsius corporis, vel ab aliqua causa extrinseca, e. g. morbo, veneficio, maleficio [3]), procedit;

2° perpetua vel temporanea. Prior illa est, quae aut nullo naturali modo auferri potest, aut per media naturalia

---

virilem pertinentis in causa *Ferentina*, 23 Mart. et 18 Aug. 1888. Aliam meram apparentiam praebent viri habentes testiculos nonnisi aliquo sulco, cunni muliebris speciem imitante, seiunctos.

1) Brouardel, *Mariage*, Paris, 1900, p. 19—20.

2) Quoad ordinandam reliquam vitam externam et socialem, e. g. quoad gestandas vestes mulierum vel virorum, quoad testimonium dandum in actibus publicis, quoad ius instituendi haeredem, etc., communiter ab a. a. hermaphroditae adulto conceditur ius sexum determinatum sibi eligendi, quem deinde servare tenetur, quia indecens valde foret modo uno sexu uti, modo altero. Eschbach, p. 53—54; Wernz. n. 353.

3) Causa impotentiae ex maleficio (diabolico) saltem non est practica. Cfr. Wernz, n. 343 (9).

quidem, sed vel illicita vel extraordinaria [1]). Posterior illa est, quae aut sponte, decursu temporis, cessabit, aut medio aliquo naturali licito et opportuno curari potest;

3° absoluta, quae se habet quoad omnes alterius sexus personas, vel relativa, quae nonnisi relate ad unam (pluresve huic similes);

4° antecedens matrimonium contrahendum, vel contracto superveniens;

5° certa, de qua, spectato tum iure tum facto, omnino constat, vel dubia, quae dubio vel iuris vel facti subiacet;

6° cognita vel incognita.

271. Qualis impotentia matrimonium dirimit, et quo iure? Respondet can. 1068, § 1: „Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri, sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit."

Igitur matrimonium dirimit, et quidem „ipso naturae iure":

a. sola „impotentia", quatenus haec distinguitur a mera „sterilitate". Nam, uti expresse dicit eiusdem can. § 3: „Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit." Quapropter e.g. etiam senes, quin etiam moribundi, ex morbo impotentes non effecti, valide et licite matrimonio coniunguntur;

b. sola „impotentia antecedens". Est enim evidens, matrimonium valide iam contractum nulla supervenienti impotentia infectum reddi posse;

c. sola „impotentia antecedens et perpetua", quia traditio-acceptatio corporis in ordine ad usum coniugalem optime referri potest ad tempus aptitudinis futurae ad coïtum;

d. „impotentia ... sive ex parte viri sive ex parte mulieris," quod per se patet;

e. „impotentia ... sive alteri cognita sive non," quia elementum *subiectivum* scientiae vel ignorantiae nequit supplere defectum aptitudinis *obiectivae*, iure naturali ad matrimonium requisitae. Hinc a matrimonio cum persona impotente is etiam

---

1) His praesertim accensenda est operatio chirurgica, periculum mortis vel gravis morbi inducens. Cfr. Rosset, n. 1393.

repellendus est, qui eam, non obstante impotentia a se cognita, in coniugem accipere vellet;

f. „impotentia... sive absoluta sive relativa", adeo ut etiam impotentia coeundi cum *hoc* viro, vel cum *hac* muliere, impedimento sit, ne cum hoc vel hac matrimonium ineatur, licet forte impotentia cum aliis coeundi nequaquam laboretur.

§ 3. Impotentiae casus practice tractandi.

272. Vix opus est dicamus, sponsos, impotentia ante matrimonium certo et scienter laborantes, illud absque gravi peccato inire non posse; et etiam a parocho, quatenus hic scientia extra-sacramentali eamdem certam scientiam haberet, arcendos esse. Qui tamen casus rarissime se offeret. Sed:

273. Quid in dubio de impotentia, matrimonio nondum inito?

Pars de sua potentia dubitans nequit matrimonium inire antequam de illa diligenter investigaverit. Secus enim periculo invalide nubendi temere se exponeret. Investigatio ex natura rei apud medicos fiat.

Quodsi vero, re investigata, e bene fundato medicali iudicio probabiliter potentem habere se possit, libere ad matrimonium procedat. Nam, uti diserte enunciat can. 1068, § 2: „Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris [1]) sive dubio facti, matrimonium non est impediendum."

Hîc quispiam quaerat, quomodo haec dispositio conciliari possit cum regula illa, superius (n. 197, II) tradita, qua nempe matrimonium cum impedimento dubio contrahere dicitur illicitum quoties agitur de dubio (iuris, vel facti) circa legem naturalem; quale profecto est dubium de quo nunc sermo (cfr. can. 1068, § 1).

Sed respondeo, regulam illam quoad praesens dubium deficere; idque ob hanc rationem, quam ipsum ius naturale dictitat, scilicet: Si impotentia est mere dubia, in possessione manet potentiae praesumptio, quam communiter homo

1) Vide superius n. 267—268 *bis*.

naturaliter, ideoque antecedenter ad quodlibet dubium, secum affert et quae tamdiu ei faveat, quamdiu per impotentiae certitudinem non elidatur. Ni enim faveret, ac proinde dubitans a matrimonio perpetuo abstinere et caelebs manere teneretur, hic privaretur naturali illa libertate ad nubendum, cuius pariter possessio ei remanet, donec certus eam negandi titulus praesto habeatur. Cfr. S. Lig., n. 1102.

Quamvis igitur huiusmodi dubitanti matrimonium non sit impediendum, ipse tamen ad compartem de dubio certiorandam omnino tenebitur, ne scl. illa deceptionem patiatur. Cfr. Rosset, n. 1436, sequ.

274. Quid in dubio de potentia, quod post initas nuptias oriatur?

Post initas nuptias dupliciter de impotentia dubitari potest: *a.* utrum impotentia, quae certo noscitur adesse, matrimonio praecesserit, an ei supervenerit; *b.* utrum illa perpetua sit, an temporanea.

a. In priori dubio, si quidem impotentia *naturalem* causam habeat, nuptiis praecessisse praesumatur: quia naturalia sunt perpetua; sin ex causa *accidentali* existat, matrimonio supervenisse iudicanda erit, nisi contrarium probetur, eo e.g. quod coniux potens, brevi a contracto matrimonio, adversus defectum compartis reclamaverit. Quodsi de ipsa natura causae, qua quis impotens existat, dubitetur, propter favorem matrimonii (n. 60) causa praesumatur accidentalis.

b. In posteriori dubio, si quidem impotentia, de qua dubitatur, matrimonio iam praeëxtiterit, in foro *interno* tamdiu licet coniugibus copulam experiri, quamdiu aliqua spes eam rite perficiendi eis remaneat. Ad forum vero *externum* deductum, dubium, secundum normas cann. 1975—1981, iudicialiter discutiendum erit. Dubio etiam tunc persistente, olim, ex c. 5 *de frigidis,* coniugibus a iudice concedebatur, ut, si vellent, per triennium, copulae experiendae causa, adhuc cohabitarent. De hoc vero *experimento triennali,* quod iam diu extra usum erat, in Codice nullus sermo. Praxis S. Sedis hodie est ut huiusmodi coniugibus, dubie valide coniunctis, provideatur per dispensationem in matrimonio rato

et non-consummato ; dummodo tamen de non-consummatione omnino constet et gravis adsit dispensandi causa. Quam causam ipsa impotentia dubia plerumque subministrabit.

274 *bis.* Quid quoad usum coniugii, si post initas nuptias aut detegatur aut superveniat impotentia temporanea?

In hypothesi quod certa sit impotentia, sive haec antecedens sit sive superveniens, dicendum est, usum matrimonii illicitum esse per totum illud tempus, quo non est spes probabilis fore, ut actus coniugalis legitime perfici possit; itemque illicitos in casu esse quoscumque actus venereos, periculum pollutionis coniunctum habentes. Verum, quum agatur de iis qui vere sunt coniuges:

a. Certum est, in casu licere actus non turpes, scl. oscula, amplexus, blanditias et tactus etiam aliquatenus periculosos, saltem quantum amori coniugali nutriendo inserviunt; idque, etiamsi illis coniugalis amoris testificationibus motus exsurgerent, imo, etiamsi, praeter intentionem et praeter consensus periculum, interdum semen effunderetur.

b. Communiter, altera opinione negante, theologi dicunt, tactus, aspectus etc. turpes et libidinosos, si fiant sedandae concupiscentiae causa, etiam his coniugibus non esse per se graviter illicitos, secluso tamen proximo pollutionis periculo. Sed in praxi coniuges ab eiusmodi actibus, saltem turpibus, ordinarie abstinere debent, eo magis quod nedum concupiscentiam mitigent, eam potius accendant. S. Lig., n. 933.

c. Propter sententiam illam nonnullorum physiologorum, supra (n. 267*bis*) relatam, probabiliter licet in casu matrimonii certo valide contracti, quando impossibile est, aut mulieri graviter damnosum, perfectius coire, neque alia impotentiae certae causa accedit, matrimonio eo modo uti, qui iuxta dictos physiologos sufficere possit ad essentialem matrimonii finem obtinendum [1]).

274 *ter.* Mulier quam, ob arctitudinem vel ob hymen solito fortius, vir non potest cognoscere, teneturne, ad removendam

[1]) Lehmk., n. 835, 6; Gury-Ballerini, n. 855, III *(a)*.

huiusmodi impotentiam relativam et de se temporaneam, chirurgicam subire operationem?

Secluso vitae, gravis morbi aut diuturnae infirmitatis periculo, affirmative. Nubendo enim contraxit obligationem per se gravem ad debitum viro petenti praestandum; hinc generatim etiam ad removenda eius praestandi impedimenta. Molestiae et dolori inde ferendis longe praeponderant aliae molestiae et mala alioqui secutura, scl. soboles non speranda, perenne periculum pollutionis, etc.

Haec autem obligatio probabilius etiam urget in casu, quo coeundi impotentia se habeat ex parte solius viri, v. gr. ex debilitate vel improportione membri genitalis.

Sed, si ex operatione valetudo, et, a fortiori, vita, mulieris graviter periclitaretur, quum inde ex can. 1131 causam iustam ad divortium semi-plenum haberet, dicta obligatio evanesceret; quinimo ea censeri posset sub tali onere non suscepta. Rosset, n. 1446—1456.

275. Quid de matrimonio censendum si impotentia, eaque perpetua, s u p e r v e n e r i t?

Impotentia superveniens, licet perpetua, non dirimit matrimonium, tum quia cuiuslibet contractus ea generatim est natura, ut per supervenientem rei mutationem n o n d i s s o l v a t u r, tum praecipue quia vinculum matrimonii est omnino indissolubile, n o n - r e s c i n d i b i l e. Idque verum est, etiamsi impotentia c o n s u m m a t i o n e m matrimonii praecesserit: siquidem semel validum matrimonium, ob subsequentem quovis tempore defectum, neque rite contractum esse cessat, neque ideo dissolvi potest. At, hoc in casu matrimonium ratum et non consummatum dissolvi potest per dispensationem S. Pontificis.

275 *bis*. Quaenam constare debent, ut matrimonium iam contractum ex capite impotentiae pro nullo habeatur? Et ad quid, si de nullitate constet, putativi coniuges tenentur?

Ad 1^{m}. Constare debent haec tria: 1^{0} impotentiam r e v e r a subesse; 2^{0} eam m a t r i m o n i o a n t e r i o r e m fuisse et 3^{0} esse p e r p e t u a m. Quodsi haec omnia non apparuerint certa

et manifesta, matrimonium eiusque valor possident (cfr. n. 60). Raro autem contingit ut, in processu iudiciali de nullitate matrimonii ex capite antecedentis et perpetuae impotentiae, de impotentia ipsa, praesertim quoad perpetuitatem, omnino constare possit. Quare S. Sedes, si saltem certo constet de non-consummatione matrimonii, praetermissa quaestione nullitatis, mavult a SSmo peti dispensationem in matrimonio rato et non consummato, quam ipsum matrimonium nullum declarari. Quae dispensatio, si ob probabilem viri impotentiam concedatur, solet habere hanc clausulam (solummodo prohibentem): „vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta hac S. Congregatione" [1]).

Ad 2[m]. Quodsi de impotentia ut supra constet, separari debent partes ab invicem quoad thorum, nec licet eis conari in actum coniugalem. Quoad cohabitationem vero, iidem separandi sunt auctoritate iudicis ecclesiastici [2]), nisi, secluso incontinentiae periculo, simul habitare possint tamquam frater et soror. Ita S. C. C. in *Maurianen.*, 15 Dec. 1877, ad dubium: „Quaenam debeat esse agendi ratio Episcopi, parochi et confessarii erga impotentes, qui ea ratione separari nequeunt, quod eorum separationi obstat civilis Galliarum lex [2]), quae impotentiae impedimentum non agnoscit?" respondens: „Vivant ut frater et soror: quodsi id fieri non possit sine peccati periculo, separentur omnino" [3]).

276. Quaenam a confessario quoad casus impotentiae observanda?

---

1) Vide e. g. S. C. C. in *Isclana*, 9 Sept. 1899; in *Cracovien.*, 17 Febr. 1900; in *Massilien.*, 19 Maii 1900 (*Canoniste*, 1900, p. p. 49, 301 et 474).

2) Impotentiae impedimentum neque lex civilis Neerlandica agnoscit. Sed quia eadem lex certis in casibus divortium permittit, ideo, si quando Ecclesia sententiam nullitatis super aliquo matrimonio pronunciaverit, coniuges possunt a iudice civili sententiam divortii petere. In quibusnam casibus eiusmodi sententia obtineri possit, vide Cod. civ. artt. 254, 255, 264, sequ. — Caeterum, quum art. 161 Cod. civ. (mulierem ad cohabitandum cum viro obligans) ex iurisprudentia curiarum nostrarum nonnisi actionem civilem viro praebeat erga mulierem, quin ad eam cogendam „brachium forte" invocari possit, ideo cohabitatio fratris et sororis instar facilius ne permittatur.

3) A. S. S., X, p. 504, sequ.

Hucusque exposita ultro docent, quot et quantis difficultatibus huiusmodi casus implicari possint. Quare summa prudentia confessarius in iis tractandis utatur.

In primis poenitentes de impotentia non interroget, nisi fundato dubio desuper exorto, eo v. gr. quod quaeritet coniux, se actum coniugalem non posse perficere. Ipsa interrogatio caste et breviter proponatur, cura etiam adhibita ne, si impotentia forte verificetur, poenitens e bona sua fide citius eripiatur.

Quodsi aliquem defectum physicum iure merito suspicetur, probum peritumque medicum suadeat consulendum, ita tamen ut, si de uxore medice examinanda agatur, mariti consensum illa praevie exquirat. Quodsi agatur de defectu physico-morali, e. g. de aversione a copula ex causa psychica, quae cum nervorum conditione praecipue cohaeret, media tum medicinalia (a *psychiatro* praescribenda), tum spiritualia suadeat adhibenda.

Quodsi tandem agatur de defectu morali simpliciter tali, (e. g. odio voluntario, propensione peccaminosa ad alias personas), ad motiva religiosa et media supernaturalia confugiat.

Quae, pro variis impotentiae speciebus, ad vitam coniugalem interim ducendam spectant, ea hauriat ex doctrina superius exposita. In dubiis definitive et quoad forum externum resolvendis, propria auctoritate non procedat, sed de poenitentium consensu ea submittat Ordinarii iudicio. Cfr. v. d. B.-Sch., n. 206.

Art. III. *De impedimento vinculi.*

277. Post defectum maturitatis ad statum coniugalem in genere, et post defectum physiologicae aptitudinis ad actum coniugalem in specie, Codex tertio loco considerat defectum libertatis quo, qui vinculo coniugali iam est devinctus, ob matrimonii tum unitatem tum indissolubilitatem, nullo alio coniugali vinculo devinciri potest. Quare nunc sit sermo de impedimento illo dirimente quod „vinculi" vocatur [1]). Atque in primis accuratius videamus:

1) Alio nomine, a glossatoribus medii aevi inducto, vocatur impedimentum „ligaminis" (cfr. I Cor. VII, 39). At vero Codex, praeterquam in Indice, ab hoc vocabulo abstinens, *vinculi* voce continuo utitur.

278. Quid sit impedimentum vinculi.

Est vinculum matrimoniale valide contractum nec legitime solutum, dirimens matrimonium cum alio attentatum. Dicitur:

a. „vinculum matrimoniale", scl. quod per ipsum matrimonium, non per solam matrimonii promissionem inducitur;

b. „vinculum matrimoniale contractum", i.e. solo mutuo consensu perfectum, seu ratum, licet nondum copula carnali consummatum;

c. vinculum valide contractum, nec legitime solutum, quia matrimonium prius, si aut invalidum sit aut legitime solutum, vinculi impedimentum non constituit;

d. „dirimens matrimonium cum alio attentatum", quia vinculum existens quolibet casu obstat quominus matrimonium cum alio valide contrahatur. Qui nihilominus contrahit dicitur invalide matrimonium *attentare* et, si scienter ita contrahit, vocatur *bigamus.*

279. Quo iure impedimentum vinculi vigeat.

Viget iure non solum ecclesiastico, sed etiam divino, tum positivo, tum, quadamtenus saltem, naturali.

De iure divino eiusque historia in Testamento Veteri, vide superius ubi de matrimonii unitate (n. 18—20). Praxis autem Ecclesiae catholicae adeo semper constans fuit in venerando sub hoc respectu evangelico iure de unitate matrimonii, ut nonnisi perraro scripta aliqua lege opus fuerit [1]); utque potius Ecclesia, prioribus praesertim saeculis, ipsius polygamiae successivae liceitatem adversus quorumdam rigorismum tuendam habuerit, uti ostendetur in Parte XII.

Nominatim Pontifices Romani mirabili fortitudine usi sunt quoties ipsis potentioribus principibus, polygamiae cupidis, resistendum eis erat. Ita e.g. Clemens IV, saeculo XIII, restitit regi Arragoniae et Urbanus V, saeculo XIV, regi Galliarum Carolo V. Nec ullum ex universa historia ecclesiasticae demonstratur exemplum pluralitatis uxorum, Ecclesiae auctoritate, sive fidelibus sive infidelibus [2]), permissae. Exempla autem

1) Vide e.g. canones p. 47 in nota 1) citatos.

2) Infideles, si ante succeptum Baptisma plures uxores habuerint, Baptismate suscepto, non permittuntnr nisi unam illam uxorem retinere, quam primo

quae afferuntur, fabulis et figmentis annumeranda sunt, nullo excepto. Quorum famosiora sunt haec duo:

Primum, quod Gregorio IX adscribitur, est fabula comitis de Gleichen cui, e captivitate Sarracenorum (in terra sancta) liberato, dictus Pontifex, in praemium christianae audaciae, permisisset, ut in secundam uxorem, simul cum prima adhuc vivente, sibi retineret filiam Sultani, cuius adiutorio e captivitate liberari et fugam capere potuerat. Quae fabula originem duxisse videtur a phantastica interpretatione alicuius monumenti sepulchralis, in quo dictus comes inter duas mulieres repraesentatur, unam germanicis, alteram turcicis vestibus indutam [1]).

Alterum, quod attribuitur Pio VI, est dispensatio, quam hic Pontifex per Breve S. Poenitentiariae concessisset nobili cuidam viro in Helvetia, ut nempe huic, vivente licet prima uxore calvinistica, nihilominus secundas nuptias cum catholica muliere inire liceret. Sed Breve illud esse merum figmentum, authentice demonstravit ipse Poenitentiarius Maior, Card. Antonelli, in epistola 25 Maii 1807 [2]).

Aliquam difficultatem primo intuitu hac in re importat etiam epistola Greg. II, anno 726 ad S. Bonifacium conscripta, qua scl. in casu cuiusdam mulieris *infirmitate correptae* et hinc *debitum viro reddere non valenti*, ipsi viro, si continere se non possit, consilium datur ut „nubat magis" [3]). At vero hic casus congrua omnino interpretatione accipi potest ut casus *impotentiae perpetuae et antecedentis* in muliere de qua agebatur [4]).

---

sibi duxerant, aliis quibusvis omnino dimissis. Ita Innoc. III in c. 8 *de divortiis* (IV, 19). Cfr. n. 20, Resp. II, 3⁰. Excipitur vero *casus* quem *Apostoli* vocant, seu in quo applicandum est „privilegium fidei". Can. 1069, § 1. Cui disciplinae non repugnant quae Martinus V, Paulus IV et Gregorius V ut principes civiles tolerarunt quoad nonnullos Hebraeos Status Pontificii. Cfr. Rosset, n. 521, sequ.

1) Wernz, II, p, 167 et fusius Reineck, *Die Sage einer Doppelehe eines Grafen von Gleichen*, 1892; Döllinger, *Papstfabeln*, 1863, S. 34. Cfr. v. Scherer, II, S. 539[45].

2) Apud Knopp, *Volständiges Eherecht*, Regensb., S. 105; cfr. Wernz, II, p. 168[24].

3) Jaffé, *Monumenta Moguntina*, p. 89 vel ap. Gratianum, c. 18. C. XXXII, qu. 7.

4) Quod bene explicat Moy de Sons, *Das Eherecht der Christen in der*

Itaque Ecclesiae catholicae [1]) tum praxis, tum doctrina et ius, semper tenuerunt quod hodie enunciat can. 1069, § 1: „Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei".

279 ***bis.*** De privilegio fidei" videbimus postea. Hîc vero incidit quaestio historico-apologetica relate ad id, quod habet canon allegatus de extensione huius impedimenti etiam ad matrimonium ratum et non consummatum. Quocirca quaeri potest, utrum Ecclesia semper ita tenuerit.

Siquidem S. Pontifex Alexander III in epistola decretali ad Archiepiscopum Salernitanum [2]), etsi et ipse impedimentum vinculi in matrimonio mere rato agnoscens, et ideo eius ratione matrimonium secundum, licet consummatum, irritum decernens, dicit tamen se ita decernere „quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum".

Igitur antea quidam alii R. Pontifices aliquando iudicarunt, impedimentum vinculi matrimonio rato-tantum non induci, ideoque valere matrimonium ab alterutro coniuge cum tertia persona subsequenter contractum et consummatum. Inde non levis oriri videtur difficultas quoad infallibilitatem pontificiam. Agitur enim de materia non mere disciplinari et pro rerum temporumque adiunctis variabili, sed de materia fidei ac morum [3]) ac proinde immutabili.

Revera haeretici hac Alexandri III decretali abusi sunt ad R. Pontificis infallibilitatem impugnandam [4]). Quid igitur respondendum? Quomodo aliqui illi Alexandri praedecessores „aliter" hoc in puncto iudicare potuerunt quam ipse Alexander?

Difficultas solvenda est ex historia ipsius conceptus veri perfectique matrimonii in scientia iuris matrimonialis. Scilicet vigebat illis temporibus (saec. XII) controversia, scholam Pari-

morgenl. u. abendl. Kirche bis zvr Zeit Karl's d. Gross., S. 510. Cfr. Wernz, II, S. 142[15].

1) Theoria et praxis Reformatorum sat notae sunt ex historia bigamiae, Philippo Landgravio Hassiae a triumvirato Luther, Melanchton et Bucer permissae. Cfr. v. Scherer, II, S. 359[50].

2) Cap. 3 „Licet" *de sponsa duorum* (IV, 4).

3) Conc, Trid., Sess. XXIV, Cap. 2.

4) Rob. Bellarm., *De Rom. Pont.* L. IV, C. 14.

siensem inter et veterem Bononiensem, utrum nempe matrimonium, solo consensu mutuo contractum, esset matrimonium perfectum seu *ratum* — quale, secundum omnes, erat matrimonium carnali copula consummatum — an solummodo *initiatum*; consequenter, utrum huiusmodi matrimonium, respectu supervenientis matrimonii consummati, induceret, necne, impedimentum praeëxistentis vinculi. Affirmabat autem schola Parisiensis cum P. Lombardo [1]), negabat vero Bononiensis cum Gratiano [2]). In illa quippe valebat: „nuptias non concubitus facit, sed consensus" [3]), in hac vero: „vinculum fortius destruit vinculum minus forte". Cuius controversiae vestigia sunt frequentes Sedis Romanae de eadem quaestione consultationes [4]).

Iamvero, verba Alexandri III, de quibusdam suis praedecessoribus, produnt, theoriam Gratiani per aliquod saltem tempus in ipsa Romana Ecclesia receptam et „aliquando" etiam in praxin deductam fuisse [5]).

Quamvis autem id factum sit per errorem et ex defectu sanae scientiae de matrimonii rati et non consummati natura, nihil tamen inde detrimenti patitur infallibilitas pontificia; siquidem agatur de decisionibus practicis et quoad casus particulares, minime vero de decretis super quaestione theoretice seu in abstracto considerata, et definitivo iudicio „ex cathedra" resoluta. Revera in nulla canonum collectione aliquod ex illis responsis reperitur; quod sane mirum est, si illa fuissent vera ac definitiva S. Sedis iudicia. Quinimo, probabilius ne ipse quidem Alexander, in Decretali sua, eiusmodi definitirum iudicium proferre voluit; nam in responso simili (ad Episc. Senonensem) expresse dicit, se id respondere, quod „tutius" sibi videatur.

---

1) *Libr. IV Sententiarum*, Dist. 27.

2) Lege „dicta Gratiani" in ipsius *Decreto*, C. XXVII, qu. 2, quibus patet, eum sponsalia *de praesenti* seu *desponsationem* (i. e. matrimonium nondum consummatum) egregie confundere cum sponsalibus *de futuro* seu futurarum nuptiarum *promissione*.

3) Vide superius, n. 15, I.

4) Vide etiam capp. 4 et 5 *de sponsa duorum* (IV, 4).

5) Quod fuse probat Gasp[3]., n. 715.

Et haec quidem explicatio, testante Gonzalez, est „communior" inter theologos et canonistas [1]).

Sunt tamen qui, ut quemlibet errorem a R. R. illis Pontificibus removeant, „iudicata", de quibus loquitur Alex. III, accipiunt pro dispensationibus in matrimonio rato et non consummato, coniunctis cum sanationibus in radice quoad matrimonium secundum [2]). Sed merito advertit de Angelis, ante Alex. III Pontifices potestate sua matrimonium ratum ob causas graves per dispensationem solvendi nondum usos fuisse; advertit insuper, sanationem in radice ab Ecclesia non concedi ubi matrimonio obstat impedimentum iuris divini (cfr. can. 1139, § 2).

Denique sunt [3]) qui, cum Barthelio, eadem „iudicata" referunt ad casus matrimonii vel prorsus clandestini ac proinde in foro externo non attendendi, vel, ob aliquod impedimentum dirimens, manifesto invalidi. Quae tamen explicatio minus convenit textui integro decretalis laudatae, qui scl. demonstrat, praedecessores Alexandri, etsi iudicium practicum tantum ferentes, tamen eo pervenisse ob rationes theoreticas. Dicitur enim in textu integro: „... quamvis alii *aliter sentiant* et aliter etiam a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum",

280. Diximus n. 278, *c*, matrimonium prius, quod aut invalidum sit aut legitime solutum, impedimentum vinculi non inducere. Numquid inde iis, qui matrimonium suum aut invalidum aut legitime solutum credant, vel etiam certo sciant, libertas est ad aliud matrimonium statim ac propria auctoritate convolandi?

Negative, sed, uti habet can. 1069, § 2: „quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non

---

1) Gonzalez, *Comm. perpetua* ad cap. 3 cit., cui adhaerent Bellarm., l.c.; Sanchez, L. II, disp. 14, n. 8; et e recentioribus Rosset, n. 1699; Leitner (Santi-Leitner, p. 173[1]); Wernz, p. 166[20], v, d. B.-Sch., n. 134 et Gasp[3]. n. 715, ubi pristinam opinionem (Barthelii), cui in edit 1[a], n. 627 adhaeserat, deseruisse videtur.

2) Schmier et Schmalzgrueber.

3) de Angelis, Santi, Gasparri in Ed. 1[a]; Feye, n. 338. Cfr. Santi-Leitner, l,c

ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit".

Quomodo autem de prioris matrimonii nullitate legitime et certo constare possit ac debeat, id inferius exponetur. Hic vero trademus, quomodo legitime et certo constare possit, et secundum ius Ecclesiae constare debeat, de matrimonii solutione. Quum porro causa ordinaria [1]) solutionis matrimonii sit mors alterius coniugis, ideo nunc sit quaestio:

281. Quomodo de morte prioris coniugis constare debet, ut coniugi superstiti permitti possit transitus ad alias nuptias?

Hac in re prae oculis sunt habenda tum ea quae de probando nupturientium *statu libero* in Parte III generatim diximus, tum ea quae speciatim a S. Sede praescripta sunt in casu, quo omnimoda et absoluta certitudo de alterius coniugis obitu haberi non potest. Huc faciunt sequentes regulae, ex Instructione S. C. S. Officii diei 13 Maii 1868 (*Collect.*, n. 1372) servandae:

Praenotetur, ad probandum coniugis obitum numquam sufficere solam illius absentiam, quamtumvis diuturnam, ne tum quidem, cum coniux absens, edicto regio evocatus, nullum suimet indicium dederit. Quod enim non comparuerit, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia. Huic fundamentali iuris canonici regulae omnino opposita est lex nostra civilis [2]).

1) Alias causas, omnino extra-ordinarias, suo loco recensebimus.

2) B. W. art. 549: „Indien, buiten het geval van kwaadwillige verlating (vgl. art. 264, 2), een der echtgenooten gedurende tien volle jaren van zijne woonplaats afwezig is, zonder dat eenige tijding van deszelfs leven of dood is ingekomen, is de achtergebleven echtgenoot bevoegd, op daartoe bekomen verlof van de arrondissements-regtbank der gemeene woonplaats, zoodanigen afwezige bij drie opeenvolgende openbare dagvaardingen op te roepen, op de wijze in art. 523 en 524 omschreaen."

Art. 550: „Indien op de derde dagvaarding noch de afwezige, noch iemand voor hem is opgekomen, die behoorlijk van zijn aanwezen doet blijken, kan de regtbank aan den achtergebleven echtgenoot vergunnen een ander huwelijk aan te gaan. De bepalingen van art. 525 zijn te dezen toepasselijk."

En art. 254, 2: „Het huwelijk wordt ontbonden door afwezigheid van een der echtgenooten gedurende tien jaren, en een daarop gevolgd nieuw huwe-

Hinc requiruntur probationes positivae, et quidem:

1° Prae caeteris exquirendum est, si haberi possit, aliquod documentum authenticum de obitu, exaratum ab auctoritate ecclesiastica (e.g. e regestis parochiae) vel saltem civili eius loci, in quo, ut supponitur, persona obierit. Cfr. can. 1813, § 1, 4°[1]).

2° Defectu alicuius documenti, deveniendum erit ad testimonia hominum privatorum. Atqui, imprimis videndum, utrum haberi possint duo saltem testes de visu, i.e. qui personam cognoverint atque de loco et causa obitus *concorditer* deponant, iuxta ea quae *personali* sua experientia ipsi resciverint. Iidem debent esse tum *fide digni*, tum insuper *iurati*. Cfr. cann. 1791 et 1828.

3° Duobus testibus deficientibus, admittitur etiam testimonium *unius* testis iurati de visu, dummodo sit nulli exceptioni obnoxius, eiusque testimonium aliis gravibusque adminiculis fulciatur; aut saltem certum sit, nihil in eius testimonio reperiri quod non sit omnino verisimile.

4° Eiusmodi quoque deficiente, admittuntur testes fide digni etc. de auditu, qui nempe testificentur, se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse.

5° Quodsi nullus testis, ut supra, haberi possit, recurrendum est ad probationem ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque. Quae si, simul collectae et sedulo perpensae, prudens iudicium de

---

lijk van den anderen echtgenoot, overeenkomstig de bepalingen van de vijfde afdeeling des negentienden titels (d. z. de hierboven aangehaalde artt. 549 en 550)."

Onze burgerlijke wet stelt zich dus met negatieve bewijzen voor het overlijden tevreden, of vermoedt, dat het niet opkomen van den afwezigen echtgenoot aan kwaadwilligheid is toe te schrijven. Kwaadwillige afwezigheid nu geldt, volgens art. 264, 2, als grond voor echtscheiding. Niet aldus in het kerkelijk recht, hetwelk een bewijs voor den dood des afwezigen vordert, en wel een positief bewijs, zooals uit de volgende regels der Instructie blijkt.

1) Huiusmodi, praeter extractum e registro mortuario „status civilis", esset etiam testimonium authenticum v. gr. *rectoris* xenodochii vel nosocomii, in quo coniux diem obierit supremum, vel *ducis* in cuius cohorte militaverit, vel *praefecti navis*, in qua navigaverit, vel denique *consulis* in cuius territorio mortuus dicatur.

absentis obitu suggerant, sufficiunt, ut iudex declarare possit de obitu praedicto moraliter certo constare. Eiusmodi coniecturae etc. e diversis fontibus colligi possunt, videlicet:

a. Ex iis quae ipsam p e r s o n a m defuncti respiciunt. Itaque apud eos, qui personam quoquo modo bene noverint, iudex debet e.g. exquirere:

an coniux absens esset bonus et religiosus; uxorem diligeret; nullam causam sese occultandi haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia sibi obventura sperare posset;

an discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset;

an aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit.

b. Si ob m i l t t i a m abierit, a duce militum requiratur, quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit.

c. Si n e g o t i a t i o n i s c a u s a iter susceperit, inquiratur utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regione, ad quam se contulit, supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae, etc.

d. Si m a r i t i m u m i t e r fuerit aggressus, erit investigandum e quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit, etc.

6⁰ F a m a quoque, aliis adiuta adminiculis, argumentum de obitu constituit, dummodo a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur; qui testes deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiore et saniore parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant. Praeterea non debet esse dubium, famam fuisse concitatam ab iis, in quorum commodum inquisitio de obitu absentis instituitur.

7⁰ Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas e p h e m e r i d e s, nisi ob speciales circumstantias prudentiori consilio aliter censeatur.

Quodsi, his omnibus pro casuum opportunitate diligenter

expensis, et cunctis aequa lance libratis, res maneat Ordinario incerta eique ita implexa videatur, ut iudicium prudens de obitu efformari non valeat, recurrendum erit ad S. Sedem, cui acta omnia cum ipso recursu transmittantur, aut saltem diligenter exponantur [1]).

Nota. Parochus, cuius pro novis nuptiis petitur assistentia, si habeatur certitudo moralis de morte, assistere potest nulla petita Ordinaria licentia; ius enim ipsum hanc ei dat licentiam, dummodo status liber debito modo fuerit probatus, et non agatur de iis, quorum nuptiis inconsulto Ordinario assistere sibi non licet, ut de vagis (n. 170 et 175). At si parochus dubitet, debet consulere Ordinarium, idque regulariter faciendum quoties non agitur de certitudine morali, acquisita per alterutrum e modis indicatis sub 2^0 et 3^0. Feye, n. 445.

282. Quid si, contracto bona fide novo matrimonio, pars quae mortua credebatur, vivens appareat, aut de illius morte iam serio dubitetur?

Respondet Lucius III in c. 2 *de sec. nuptiis* (IV, 21): „Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non servavit (scl. si ad secundas nuptias migraverit, quin sibi de morte prioris coniugis omnino certo constiterit), et de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum: ei, quae sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quodsi post hoc de prioris coniugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem coniugem revertatur." Ex hoc capite patet, quid in diversis casibus sit faciendum, scl.:

a. Quamdiu coniuges in bona fide, quacum secundum coniugium inierunt, permanent, in ea sunt relinquendi, quia bonae fidei possessor turbari a possessione non debet. S. C. Off. 22 Mart 1865 ad 2^m (*Collect.*, n. 1369). Cfr. Math., n. 208.

b. Quodsi vero alteruter de morte prioris coniugis serio dubitare incipiat (et idem dicendum est, si secundum matri-

1) Varios casus praesumptae mortis coniugis, a S. C. S. Officii, S. Rota Romana et S. C. de discipl. Sacram. decisos, vide *Canoniste*, 1893, p. 171; 1899, p. 45; 1901, p. 331; 1910, p. 180, 181; 1911, p. 103; necnon A. A. S. 1915, p. 40—44; 1916, p. 151—153; 1917, p. 120—122.

monium fuerit cum dubio, seu mala fide, initum), is qui ita bubitat nequit tuta conscientia debitum coniugale petere, licet alteri in bona fide versanti reddere teneatur. Utroque dubitante, neuter petere ac reddere potest, et coniuges separari debent (nisi absque incontinentiae periculo vivere possint ut frater et soror). At in hoc casu neutri licet ad aliud matrimonium transire, uti patet. Vide decisionem S. Off. modo citatam, ad 1^{m} et cfr. Math., n. 207.

c. Quodsi tandem utrique vel alterutri de vita prioris coniugis constet, omnino ab invicem separantur. Cfr. Math. 210.

283. Quaenam contra bigamos poena statuta?

Praenotandum. Causae bigamiae simultaneae pertinent ad forum ecclesiasticum exclusive, cum tota res pendeat a validitate primi coniugii (139), sed criminis punitio est res mixti fori, seu fori tum ecclesiastici, tum civilis; siquidem crimen bigamiae admodum bono civilis quoque societatis adversatur. Iamvero:

a. Iure canonico sic statutum est: „Bigami, id est qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint sunt ipso facto infames; et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur." Can. 2356.

Caeterum per se patet, filios in secundo matrimonio genitos esse adulterinos, ipsos autem bigamos, si crimen eorum est notorium, tamquam peccatores publicos tractandos esse. Hinc nisi, reparato scandalo, poenitentiam egerint, arcendi sunt a sacramentorum susceptione, a benedictione (mulieris) post partum, a munere patrînorum et a sepultura ecclesiastica.

b. Iure civili haec statuta sunt in Cod. Poen., art. 237:

„Met gevangenisstraf van ten hoogste vier jaren wordt gestraft:

1^{0} hij die opzettelijk een dubbel huwelijk aangaat;

2^{0} hij die een huwelijk aangaat, wetende dat de wederpartij daardoor een dubbel huwelijk aangaat.

Indien hij die opzettelijk een dubbel huwelijk aangaat, aan de wederpartij zijn gehuwden staat heeft verzwegen, wordt

hij gestraft met gevangenisstraf van ten hoogste zes jaren.

Ontzetting van de in art. 28, No. 1—5 vermelde rechten kan worden uitgesproken.

De bedoelde rechten zijn: 1° het bekleeden van ambten of van bepaalde ambten; 2° het dienen bij de gewapende macht; 3° het kiezen en de verkiesbaarheid bij krachtens wettelijk voorschrift uitgeschreven verkiezingen; 4° het zijn van raadsman of gerechtelijk bewindvoerder en het zijn van voogd, toeziende voogd, curator of toeziende curator over anderen dan eigen kinderen; 5° de ouderlijke macht, de voogdij en de curateele over eigen kinderen.

283 *bis.* Quid, prae ceteris, bigamis coniunctionibus praeveniendis inserviat?

Prae caeteris, in Parte III, Cap. I et II traditis, inserviat accurata observantia can. 1103, de matrimoniis non solum registro matrimoniorum sed etiam libris baptizatorum inscribendis. Annotatis enim matrimoniis in baptizatorum libris, persona olim coniugata nequibit afferre testimonium baptismi, quin simul afferat testimonium sui olim contracti matrimonii, saltem si afferatur extractum e baptizatorum libro quod est recentis datae [1]).

Art. IV. *De impedimento disparitatis cultus.*

284. Ad ipsum coniugium aetate et corpore apti et praeterea, ob nullum praeëxistens vinculum, liberi, in eligendo sibi coniuge id deinde in primis prae oculis habeant, ut ineundo coniugio tum generatim Deum, matrimonii Auctorem et Sponsorem „plenius benedicere" [2]), tum in specie „magnum sacramentum" intemeratae illius Christi et Ecclesiae coniunctionis repraesentare valeant.

Deum autem plenius benedicere profecto nequeunt qui, quoad ipsum cultum Deo et Christo Eius exhibendum, omnino dispares inveniuntur; et sic datur impedimentum *disparitatis*

---

1) Wouters, p. 65; v. d. B.-Sch., n. 237. Cfr. supra, n. 141 et 142.

2) Tob., VIII, 19; cfr. „Introitum" Missae „pro sponso et sponsa".

cultus, de quo hoc articulo. Idem dicendum est de iis, qui divino cultui ipso vitae statu perfectius iam dicati, per statum coniugalem inde retraherentur; et sic dantur impedimenta *ordinis sacri* (art. V) et *voti sollemnis* (art. VI).

Intemeratam vero Christi et Ecclesiae coniunctionem matrimonio suo repraesentare non valent qui, ut eo iungantur, peccato utuntur quo sanctitas matrimonii directe et graviter violatur. Quod fit tum per *raptum* mulieris in coniugem expetitae (art. VII), tum per gravem illam adulterii vel coniugicidii iniuriam, alterius matrimonio irrogatam cui, *criminis* nomen (art. VIII) a sacris canonibus specialius est tributum.

Igitur, ad impedimentum *disparttatis cultus* accedentes, in primis quaeramus:

284 *bis*. Disparitas cultus, matrimonium dirimens, quaenam intelligitur?

Intelligitur disparitas cultus perfecta, seu quae existit inter unam partem baptizatam et aliam non-baptizatam. Cfr. n. 207.

Rite notetur, solum Baptismatis sacramentum susceptum vel non susceptum, non autem fidem internam nupturientium, ad constituendum hoc impedimentum conferre. „Matrimonium sacramentum est, et ideo quantum pertinet ad necessitatem sacramenti, requirit paritatem quantum ad sacramentum fidei, scilicet Baptismum, magis quam quantum ad interiorem fidem; unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitas *fidei*, sed *cultus* disparitas, qui respicit exterius servitium; et propter hoc, si aliquis fidelis cum haeretica baptizata matrimonium contrahit, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo si sciat esse haereticam (cfr. supra n. 207, sequ.), sicut peccaret si cum excommunicata contraheret; non tamen propter hoc matrimonium dirimeretur; et e contrario, si quis catechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum matrimonium" [1]).

In determinando, quaenam cultus disparitas matrimonium

---

1) Ita S. Thom., qu. 59, art. 1, ad 5.

invalidum reddat, incubuit Ecclesiae necessitas statuendi signaculum penitus stabile ac certum, quod in iudicando sequeretur. Ut tale autem nihil convenientius eligi poterat, quam Baptismus, quo homines in regnum Ecclesiae cooptantur et quo Ecclesia suos ab alienis discernit, sicut olim qui populo Iudaico inserebantur per circumcisionem discernebantur a gentilibus. Hinc patet, quare sola haec disparitas cultus perfecta, non etiam imperfecta, impedimentum dirimens constituat.

Nota. Hoc dirimens impedimentum nostris temporibus non tantum ex parte Iudaeorum, sed etiam ex parte aliorum acatholicorum facile occurrere potest. Imprimis enim plures hodie sunt sectae quae Baptismum aut respuunt omnino (e.g. Methodistae, Ecclesiae quae vocantur Liberae, Exercitus Salvationis), aut nonnisi adultis hominibus conferunt (e. g. Mennonitae), aut parum admodum curant (e. g. „Moderni" qui dicuntur inter Protestantes, nominatim Remonstrantes). Deinde multi qui Libero-cogitatorum placitis adhaerent, vel Socialismo nomen dederunt, filios suos baptizari minime curant.

Hinc si e coniugio mixto sine dispensatione inito, coniux alteruter vel uterque ad Ecclesiam redit, saepe cogitandum erit de revalidando eorum matrimonio, ob cultus disparitatem nulliter contracto. Similiter in procurandis dispensationibus pro mixtis nuptiis ineundis videndum erit, utrum forte pars acatholica certo non sit baptizata. Tali enim casu, loco dispensationis in impedimento mere prohibente mixtae religionis, dispensatio in impedimento dirimente disparitatis cultus petenda erit [1]).

285. Quonam iure disparitas cultus perfecta matrimonium dirimat?

Etsi propter periculum tum perversionis coniugis baptizati, tum pravae educationis filiorum, nuptiae cum infidelibus iure naturali et divino (I Cor. VII, 39; II Cor. VI, 14) sint prohibitae, tamen eaedem nonnisi ecclesiastico iure irritae sunt habendae.

Non esse hoc impedimentum iuris naturalis, ex eo patet,

---

1) Stat. Renov. Dioec. Harl., Cap. XIV, II.

quod non repugnat matrimonii naturae; eo enim exstante, coniuges obligari invicem possunt ad cohabitationem, debiti redditionem et prolis educationem.

Neque videtur hoc impedimentum iure divino positivo inductum esse. Quamvis enim non desint, qui, ex locis S. Scripturae modo allegatis, matrimonium inter fidelem et infidelem nullum esse velint (e. g. Catharinus), sententia tamen longe communior praedicta loca de simplici prohibitione explicat.

Revera in Lege veteri aliqui fideles cum infidelibus coniugii foedus inierunt, ut Iacob cum filiabus Laban ethnici, Ioseph cum filia Putipharis, Moses cum filia Iethro Aethiopissa, Esther cum Assuero. Neque etiam in nova Lege primis Ecclesiae saeculis eiusmodi exempla desunt. Sic Caecilia nupsit Valeriano adhuc ethnico, Monica Patritio infideli, Clotildis regi Francorum Clodovaeo adhuc pagano. Sed neque S. Scriptura, neque Ecclesia, eiusmodi matrimoniis concubinatus notam inussit, quod profecto factum fuisset, si iuri divino aut naturali eadam repugnassent.

286. Quonam modo et tempore hoc impedimentum ab Ecclesia inductum est?

Ad 1^m. Sententia communissima et certa tenet cum Bened. XIV [1]), hoc impedimentum non iure scripto sed consuetudinario inductum esse. Copiosa quidem iam inde a saeculo IV prodiit legislatio haec mixta connubia improbans [2]); at, quum iam saeculo XII universaliter haberentur pro invalidis, nullus tamen antiquior canon reperitur qui ea irrita esse totidem verbis decernat. Quare factum esse debet ut eadem matrimonia primum ex praxi unius vel alterius Ecclesiae pro invalidis haberentur; quae praxis, deinde paullatim extensa, tandem consuetudinis universalis naturam induit.

Quo facto, eadem consuetudo deinceps coepit omnes ubique baptizatos ultro obligare; idque iis etiam in regionibus, ubi

---

[1]) Const. „Singulari Nobis", 9 Febr. 1749 (*Bullar.*, VII, p. 10).

[2]) E. g. Conc. Eliberit. (a. 305), cann. 15—17 (Hefele, I, S. 165); Conc. Arelat. (314), can. 11 (Hefele, I, S. 211); Conc. Laodic. (343—381), can. 10 et 31 (Hefele, I, 756 et 768); Conc. Hippon. (393), can. 12 (Hefele, II, S. 56); Conc. Chalc. (451), can. 14 (Hefele, II, S. 518).

christiana religio primum propagabatur, ideoque consuetudo illa nondum erat recepta. Quod patet ex praxi S. Sedis concedendi missionariis, in Sina et Tunkino apostolico munere fungentibus, facultatem in disparitatem cultus ob graves causas dispensandi. Quae concessio profecto supponebat, impedimentum praedictum etiam neo-conversos Sinenses et Tunkinenses ligare, ac proinde argumento erat, hanc legem, etsi consuetudine inductam, minime iam pependisse a receptione vel non-receptione in aliquo loco. Vide Bened. XIV, Const. cit., § 19.

Tandem omne dubium ea de re sustulit Codex I. C., quo praefata consuetudo in legem scriptam universalem conversa est. Can. 1070.

Ad 2^m. Quidquid sit de consuetudinis illius primordiis (circa quae auctores non consentiunt), certum est, eam saltem a saeculo duodecimo in universa Ecclesia invaluisse. Nam Gratianus [1]), Petrus Lombardus, B. Raymundus et alii illius aevi doctores et deinceps omnes theologi et canonistae hanc legem tradunt tamquam rem exploratam a maioribus acceptam [2]).

287. Utrum cultus disparitas nuptiis valide ineundis iis quoque in locis obstet, ubi coniuges christiani inveniri nequeunt, et dispensationis petitio est impossibilis?

Responsum vide supra n. 198.

288. Num quilibet baptizati cum non-baptizato invalide contrahunt?

Ita fuit novo Codice nondum vigente. Hodie vero, ex can. 1070, § 1, nullum tantummodo est matrimonium quod cum persona non baptizata contrahit „persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi vel schismate conversa". Quo patet, signaculum illud stabile ac certum, quo Ecclesia, ad determinandam cultus disparitatem matrimonium dirimentem, suos ab alienis discernit (n. 284 *bis*), iam non esse baptismum simpliciter, sed tantum-

[1]) Ad can. 14, Causa XXVIII, qu. 1 et ad Caus. XXXI, qu. 2.

[2]) Bellarminus, *De Sacr. Matr.*, L. I, c. 23.

modo baptismum a se aut administratum, aut in conversione ex haeresi vel schismate ratificatum.

Hinc valida iam sunt matrimonia, inde a die 19 Maii 1918 contracta a parte haeretica vel schismatica baptizata cum parte iudaea, vel mahumetana, vel etiam cum parte similiter haeretica aut schismatica, sed non baptizata [1]).

289. Quinam intelliguntur in Ecclesia catholica baptizati?

Proprie quidem loquendo quotquot valide baptizantur, eo ipso baptizantur „in Ecclesia catholica" eique fiunt subiecti: quia Baptismus Christi, spectato fine *operis*, hominem nonnisi verae Christi Ecclesiae deputare et veluti dicare potest [2]). At vero canon praesens de Baptismo „in Ecclesia catholica" evidenter loquitur in sensu restrictiori et magis proprio; scilicet de Baptismo quod, spectato fine *operantis* (i.e. aut baptizantis vel Baptismum mandantis, aut baptizari se facientis) baptizatum formaliter deputat externae Ecclesiae catholicae communioni. Hoc autem sensu „in Ecclesia catholica" baptizantur primo quidem infantes quos eorum parentes, aut qui parentum loco hac in re censeri possunt, eo fine (expresse vel tacite) baptizari curant, ut simul externae illius communionis membra fiant, sive dein ab ordinario sive ab extraordinario ministro (in casu necessitatis) Baptismus administretur. Deinde autem infantiam egressi qui propria voluntate Baptismum suscipiunt, eoque expresse vel tacite catholicae communioni se addicere intendunt.

Qui sensu exposito „in Ecclesia catholica" baptizati sunt,

---

1) Inde etiam liquet, quomodo resolvendus sit hic casus sat frequens: Caius et Titia, coniuges acatholici, divortio civili ab invicem separantur. Titia, ut cum Sempronio catholico denuo nubat, Ecclesiae catholicae et ipsa cupit aggregari. Ad seponendum impedimentum *vinculi*, quo Caio adhuc ligata videtur, in foro Ecclesiae probat se in sua secta certo non baptizatam (aut certo invalide bapizatam) fuisse, Caium vero baptizatum. Potestne tali casu iudex ecclesiasticus prius matrimonium invalidum decernere ob cultus disparatem inter Caium et Titium? Respondeo: si horum matrimonium ante diem 19 Maii 1918 celebratum fuit, *affirmative*; sin vero postea, *negative*. Cfr. Schaepm., *C. en H.*, p. 42.

2) Cfr. Trid., S. VII *de Bapt.*, cann. 7 et 8.

itemque „ad eam ex haeresi aut schismate conversi" hoc impedimento ligati manent „licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint", uti habet can. 1099, § 1, 1° (designans formae celebrationis matrimonii subiectos). Quae verba, quamvis in can. 1070, § 1 desiderentur, sunt tamen indubie subintelligenda, scl. ob principium generale, quod apostatae e sua defectione exemptionem a legibus Ecclesiae lucrari non debent.

Idque etiam procedere videtur quoad natos e genitoribus catholicis, horum ipsorum vel aliorum malitia aut negligentia iam ab infantili aetate a catholica communione seiunctos. Quoad natos e genitoribus acatholicis vel infidelibus S. C. S. Off. 31 Mart. 1911, nolens quaestionem generali responso dirimere, decrevit: „Recurrendum esse in casibus particularibus" [1]).

290. Quoties de Baptismo parti vel partibus rite administrato vel non administrato certo constat, hoc impedimentum nullam implexitatem vel difficultatem habet, ita ut facile sit determinare, quando matrimonium aliquod, ut iniri possit, dispensatione in cultus disparitate [vel, si iam contractum sit, revalidatione] indigeat, quando vero non; item facile determinare, quando matrimonium iam contractum, spectato hoc impedimento, sit nullum, quando vero validum.

At vero, nostris temporibus facile [2]) aliquando dubitari potest, utrum matrimonio coniungendi vel iam coniuncti revera sint baptizati, vel utrum, si de facto Baptismi constet, hic fuerit valide an invalide susceptus [3]). Stante tali dubio persona, de qua agitur, in casu conversionis erit sub conditione rebaptizanda. Sed quid, si eadem persona cum tali dubio matrimonium contractura sit, vel iam con-

---

1) *N. K. St.*, 1911, p. 161. Cfr. ad hanc quaestionem v. d. B.-Sch., n. 244 aut *C. en H.*, p. 41; Knecht, *Eherechtl. Decrete*[6], S. 38 et *Grundr. d. Kath. Eher.*, S. 73.

2) Scilicet quoad personas originis acatholicae.

3) Dubium de ipsa collatione baptismi dicitur *facti*; dubium de valore dicitur *iuris*. Quae tamen distinctio admodum differt ab ea, quam posuimus n. 185, 5°. Quod enim hîc dubium *iuris* vocatur, id, in sensu illius distinctionis, reapse est dubium *facti*, scl. de facto baptismi *valide* collati.

traxerit? Debetne, annon, quoad matrimonium contrahendum, dispensatio in cultus disparitate, saltem ad cautelam, impetrari? Et, si de matrimonio iam contracto agitur, estne hoc pro valido an pro invalido, aut saltem pro dubie valido habendum?

Videamus primo de casu matrimonii iam contracti.

291. Quid, si dubium de baptismo nuptiis iam contractis supervenerit?

Respondet can. 1070, § 2: „Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur [1]) aut eius baptismus erat dubius [2]), standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam."

Vi huius § matrimonium, cum dubio de baptismo unius partis contractum, practice habeatur pro valido, donec, e defectu baptismi certe probato, nullitas eius pateat.

Scilicet in tali dubio Ecclesia, ob favorem, matrimonio semel contracto canone 1014 generaliter tributum (n. 60), simpliciter praesumit — *praesumptione iuris,* quae vocatur — baptismum ipsum rite susceptum, ideoque matrimonium absque disparitatis cultus impedimento, hinc valide, contractum fuisse.

Attamen, si postea defectus baptismi defectus certo probetur, praesumptio illa — quae est *iuris* tantum, nec *iuris et de iure* (cfr. cann. 1825 et 1826) cedere debet veritati; ita ut tunc matrimonium diutius pro valido haberi nequeat, sed aut revalidandum sit, aut — si hoc in casu concreto magis expediat — nullum declarandum. Itaque dimittenda prorsus nunc videtur sententia illa aliquorum canonistarum, quae olim tenebat „matrimonium valere, etsi post matrimonium, certitudo acquiratur de baptismi defectu in alterutra parte; valere, inquam, usque ab initio, ita ut baptismo absolute collato, consensus renovari non debeat" [3]).

Hac parte canonis 1070, saltem quoad iudicium de matri-

---

1) En hypothesin dubii mere *negativi* seu simplicis defectus scientiae positivae.

2) En hypothesin dubii *positivi.* Cfr. Aertn[9]. n. 63.

3) Ita Gasp[3]., n. 687. Eiusdem sententiae erat Santi-Leitner, IV, p. 70. Contra, ideoque secundum quod nunc habet Codex, sentiebant Wernz, n. 507; v. d. B. Sch., n. 133*a*; Vlaming[1], n. 238.

monii iam contracti valore, confirmatur principium illud, variis S. Sedis resolutionibus iam pridem contentum: „Baptismus dubius in ordine ad matrimonium pro valido est habendus, sive iuris sit dubium, sive facti" [1]).

291 *bis.* Canon 1070, § 2, valetne tantummodo si pars certo baptizata (aut pro baptizata habenda) sit catholica in sensu eisdem canonis § 1, an etiam si sit acatholica?

Cum sententia, quam inter Codicis commentatores hucusque communem dixerim [2]), respondendum censemus: *affirmative* ad primam partem, *negative* vero ad secundam.

Canon enim 1070 totus videtur intelligendus secundum regulam, § 1 praemissam. Sed secundum hanc regulam a valide contrahendo cum persona non-baptizata deinceps non arcentur nisi personae baptizatae in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversae.

Nec ulla cernitur ratio, cur eiusdem canonis § 2, ultra ambitum § 1, extendatur ad acatholice baptizatos. Quod tamen, nulla adducta ratione, facit Lehmkuhl, de § illa 2 ita loquens: „Videntur imprimis attendi matrimonia acatholicorum, i. e. in quibus una pars est sectae acatholicae, quae baptismum non respuat" [3]).

Unde, in casu duorum coniugum acatholicorum, quorum, tempore contracti matrimonii, unus erat e. g. certo baptizatus, alter vero tamquam baptizatus communiter habebatur, si postea hunc alterum non baptizatum fuisse certo probaretur, matrimonium, secundum Lehmkuhl, inde appareret invalide contractum fuisse; secundum nos vero in valore suo persisteret, quia non ageretur de comparte in Ecclesia catholica etc. baptizata, et hinc casus appararet eam ab initio speciem habuisse, in qua, secundum § 1, impedimentum nequaquam inveniebatur. Idem foret si, in matrimonio mixto, pars catholica certo probaretur baptizata non fuisse [4]).

---

1) S. C. S. Off. 9 Sept. 1868 (*Collect.*, n. 657) et 18 Sept. 1890 (*Nouv. Rev.*, 1891, p. 522).

2) Schaepm., *C. en H.*, p. 41; Linneborn, S. 216 et Göller, S. 56, n. 4.

3) *Quaestiones*, p. 59.

4) Ipse Lehmkuhl sententiam suam tanti putat valere, ut, casu occurrente

292. Num antequam praedictum principium applicetur, dubium forte exsurgens, peracta investigatione in singulis casibus, pro viribus excuti debet?

Si agatur de dubio vero, seu positivo, affirmative. Nam ita iam antea S. Sedes postulabat [1]) et implicite („donec certo probetur..." etc.) ipse can. 1070 postulare videtur.

293. Quomodo potest certo probari alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

Aliquando id probari potest directe, scl. per testes [2]) aut per documenta, aliquando vero nonnisi indirecte, scl. ex praesumptionibus [3]).

Indirecta probatione plerumque utendum erit ut constet de *facto negativo* baptismi non-suscepti, sed saepe etiam ut constet de *facto positivo* baptismi suscepti (ad excutiendum dubium *facti*) aut valide administrati (ad excutiendum dubium *iuris*). Quod praesertim valet de baptismis in sectis acatholicis administratis vel non. Imprimis enim documenta et testimonia de illis nonnisi admodum difficulter colliguntur, sed dein, etiam collecta, ea plerumque carent authentia, quae plenam fidem plenamque probationem ex se faciant.

294. In ipsa indirecta probatione colligenda, i. e. in applicando principio praesumptionis, quaenam normae prae oculis habendae?

---

nec accepta interim authentica interpretatione, „pro securitate" Romam recurrendum esse suadeat.

1) S. C. S. Off. ad Epum Savannen. (in Canada) 1 Aug. 1883, ad qu.: „Num in ordine ad matrimonii contracti validitatem vel nullitatem, collatio vel non-collatio baptismi, dum ignoratur, ex principio praesumptionis definienda sit?" resp.: „Affirmative, peracta tamen investigatione in singulis casibus." A. S. S., XVIII, p. 462 vel in *Collect.*, n. 662. Et iam prius, 7 Iulii 1880: „...praevio diligenti examine in singulis casibus..."

2) Huc pertinet can. 779: „Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, satis est unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si ipse in adulta aetate baptismum receperit". Cfr. can. 742, § 1. Non autem sufficere simplicem personae acatholicae de baptismo suscepto interrogationem, resp. Praef. S. C. de Prop. Fide, 2 Aug. 1901, A. S. S., XXXIV, p. 640.

3) Cfr. cann. 1825—1828.

Normae illae aliae sunt pro excutiendo dubio *facti*, aliae pro excutiendo dubio *iuris*.

I. Ad excutiendum dubium facti S. C. S. Off. in citato resp. 1 Aug. 1883 ad Episc. Savannen., sub II, has normas tradidit:

a. Baptismus non est praesumendus, si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes, quae Baptismum respuit aut quae Baptismum non confert nisi adultis. Item si parentes habuerint, qui, dum in vivis essent, professi sint se nolle ad ullam sectam pertinere.

b. Praesumendus est Baptismus, si parentes pertinuerint ad sectam, quae Baptismum habet necessarium et in qua ordinarie pueris confertur, iidemque parentes fuerint in sua secta zelosi. Item praesumendus est Baptismus, si unus tantum parentum, qui in educatione primas habuit partes, in sua secta Baptismum uti necessarium habente zelosus fuerit, dummodo tunc alter coniux non cognoscatur collationi Baptismi positive contrarius fuisse.

c. Quodsi uterque parens socors fuerit in secta, aut pertinuerit ad sectam quae Baptismum retinet quidem, sed non tamquam necessarium habet, recurrendum est ad S. Sedem.

II. Ad excutiendum dubium iuris eadem S. C. S. Officii 17 Nov. 1830 et 20 Iulii 1840 haec statuit:

a. „Quoad haereticos, quorum Ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis."

b. „Quoad alios, qui iuxta sua Ritualia baptizant valide, validum censendum est Baptisma. Quodsi dubium persistat etiam in primo casu (*a*), censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem matrimonii."

c. „Si autem certo cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium" [1]).

294 ***bis.*** Num idem praesumptionis principium applicari potest in casu matrimonii contrahendi, adeo ut e.g. in casu matrimonii mixti, si, peracta investigatione „de baptismo partis

1) A. S. S., XIII, p. 457 et XXV, p. 258. Cfr. Gasp[3]., n. 687, sequ.: Wernz, n. 508; Desmet, n. 391, sequ.

acatholicae directe non constet, hic possit praesumptive, secundum normas modo (n. 294) traditas, pro baptizato haberi, quin opus sit dispensatione in disparitate cultus „ad cautelam"?

Spectatis responsis S. Sedis, ad quae, silente de hac hypothesi can. 1070, § 2, recurrendum nobis est, affirmative respondendum videtur. Imprimis enim S. C. S. Off., 9 Sept. 1868, ad dubium Vic. Ap. Iaponiae: „Utrum, si dubium de valore baptismi remaneat, et non visum sit opportunum solvere dubium de his qui sic dubie baptizati sint, in rebus quae ad matrimonium spectant, ut si vere ac valide baptizati fuissent, vel non?" indistincte resp.: „Censendum est validum baptisma in ordine validitatem matrimonii" (*Collect.*, n. 657). Insuper vero eadem S. C., in resp. ad Epum Monac., 18 Sept. 1890, eandem normam agendi tradidit, quae habetur in decreto 9 Sept. 1868, quamvis dubium s o l a concerneret matrimonia c o n t r a h e n d a [1]).

295. Num, ad dubium de baptismo in ordine ad matrimonium auferendum, adhiberi potest conditionata ipsius baptismi administratio?

Quoad catholicos rite dispositos, necnon quoad acatholicos converti cupientes, affirmative; negative vero quoad caeteros. S. C. S. Off., die 3 Apr. 1878, declaravit: „reprobandam atque illicitam omnino esse praxin administrandi a parochis baptismum sub conditione p a r t i a c a t h o l i c a e, q u a e i n h a e r e s i p e r m a n e r e d e c l a r a t, quando dubium circa eiusdem sacramenti validitatem exoritur" [2]).

295 *bis.* Utrum et quomodo hoc impedimentum sit d i s p e n s a b i l e?

a. Ex dictis n. 285 sequitur, hoc impedimentum, in quantum est d i r i m e n s, posse a Romano Pontifice dispensari. In quantum vero simul est p r o h i b e n s eadem hîc repetenda sunt, quae de dispensabilitate impedimenti mixtae religionis dicta sunt n. 216, sequ. Addatur tamen, dispensationem ad nubendum cum parte Iudaea vel Mahumetana in christianis,

1) Cfr. *Nouv. Rev.*. 1891, p. 522.
2) *Archiv*, 1879, S. 183.

ac praesertim in catholicis regionibus nonnisi aegerrime concedi, nec contineri facultatibus dispensandi, Ordinariis nonnullis olim concedi solitis.

b. „Quae de mixtis nuptiis in canonibus 1060—1064 praescripta sunt, applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus." Can. 1071. Hinc hîc etiam applicetur doctrina n. 221, sequ. tradita.

c. Extra loca missionum facultas delegata in hoc impedimento dispensandi rarissime Ordinariis conceditur. Hinc neque Episcopo nostro eadem facultas concessa est. Iterum tamen notetur can. 15 de facultate dispensandi in casibus dubiis. Cfr. supra, n. 197.

296. Dispensatio in mixta religione concessa, potestne accipi etiam ut dispensatio in cultus disparitate, quo casu pars acatholica, quae tempore matrimonii habebatur dubie baptizata, postea certo non-baptizata fuisse appareat.

Affirmat Lehmk., n. 985, saltem quoad casum quo de baptismo habebatur dubium *iuris*; tunc enim, ait, S. Sedes, noscens dubium quod de haereticorum baptismate generatim moveri potest, cum ipsa dispensatione in impedimento prohibente tacite dispensavisse censenda est etiam in impedimento disparitatis cultus, si forte adesset.

Sed huic prorsus gratuitae assertioni auctores [1]) communiter contradicunt, quia primo quidem quaelibet dispensatio tantum valet, quantum sonat; sed deinde ipsa S. Sedes mentem suam eo vergere nullo umquam verbo ostendit; quin potius, de ea interrogata, responsum affirmativum declinavit.

Art. V. *De impedimento ordinis.*

297. Quid ordinis impedimentum?

Est illud vi cuius „invalide matrimonium attentant clerici

1) Wernz, n. 509; de Becker, p. 224; de Smet, p. 354 (8); v. d. B.-Sch., p. 167. Revera, S. C. S. Off. 18 Sept. 1890, ad postulatum Ordinarii Monachen., ut declararetur „quod per dispensationem super impedimentum mixtae religionis, si dubium de baptismo partis haereticae persistat ... etiam dispensatio super impedimento disparitatis cultus ad cautelam concessa intelligenda sit", respondit remittendo ad decreta anni 1830 et 1868, superius (n. 292 et 294) allegata.

in sacris ordinibus constituti". Can. 1072. Nomine autem ordinum sacrorum intelliguntur presbyteratus, diaconatus et subdiaconatus. Can. 949.

Circa hoc impedimentum Conc. Trid., S. 24, can. 9, dogmatice definivit: „S. q. d., clericos in sacris ordinibus constitutos ... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica ..., A. S."

„Clerici minores possunt quidem nuptias inire, sed, nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, ipso iure e statu clericali decidunt." Can. 132, § 2. Cfr. Math., n. 241.

Et haec quidem est huius impedimenti disciplina in Ecclesia latina seu occidentali. Cfr. can. 1.

298. Quonam iure Ordo sacer matrimonium dirimat?

Iure mere ecclesiastico, uti in canone tridentino citato satis clare innuitur. Ex eodem canone deduci potest, clericos maiores directe vi legis ecclesiasticae, non autem directe ex voto in ordinatione implicite emisso, a matrimonio ineundo arceri. Nam Concilium expresse distinguit legem Ecclesiae (quoad clericos in sacris constitutos) et votum (quoad Regulares solemniter professos). Math., n. 242.

De rationibus, quibus sapientissima haec lex Ecclesiae nititur, alibi, de coelibatu ecclesiastico agentes, diximus.

299. Quonam tempore Ecclesia hoc impedimentum induxit?

a. Secundum multos hoc impedimentum, quatenus est prohibens, iam ab ipsis Apostolicis temporibus in Ecclesia extitit. Quod fuse probare conatur Rosset, III, n. 1565—1583.

b. Quatenus vero est dirimens, tempus, quo idem impedimentum ortum fuerit vel constitutum, non potest accurate designari. In can. 8, Dist. 27, Urbanus II (anno circiter 1090; iuxta alios hic canon primum latus fuit in Conc. Later. I anni 1127) matrimonia a clericis maioribus contracta *disiungi* iubet, idque, uti ibidem additur, „iuxta sacrorum canonum definitiones". Ex quibus verbis haud immerito concluditur, hanc legem in Ecclesia Latina esse anno 1090 multo antiquiorem. Prima lex generalis, qua praedicta matrimonia nomi-

natim *invalida* dicuntur, est can. 40, C. 27, qu. 1 (Conc. Lat. II, an. 1139). Vide *Archiv f. k. K.* Bd. XVI, S. 3 f.f. et Syll. prop. 72 in *Ench.*, 1772.

300. An et quatenus impedimentum Ordinis in Ecclesia Orientali inveniatur.

Disciplina Orientalis et Occidentalis, quamvis maxime differant quoad coniugatos ad Ordines admittendos [1]), in eo tamen conveniunt, quod in utraque clerici maiores seu sacri a matrimonio post ordinationem ineundo arcentur. „Quoniam in Apostolicis Canonibus (c. 27) dictum est, eorum qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere, et nos hoc servantes decernimus, ut nulli deinceps Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem matrimonium contrahere liceat, si autem hoc fuerit ausus, deponatur." Ita can 6 concilii Trullani (a. 692), quo utitur Ecclesia Graeca.

Utrum vero iidem extra Ecclesiam Latinam ita a matrimonio arceantur, ut illud non solum illicite, sed etiam invalide contrahant, nullo hucusque Apostolico decreto generaliter definitum est. Communissime tamen et probabilius auctores affirmant [2]),

---

1) In Ecclesia Orientali coniugatis permittitur ascensus ad subdiaconatum, diaconatum et presbyteratum. Ordine suscepto, licite possunt cum uxoribus cohabitare easque maritaliter cognoscere. Attamen sacerdotes uxorati per hebdomadem, aut saltem per triduum, a matrimonii usu abstinere debent, antequam ad Liturgiam faciendam (i. e. ad Sacrificium conficiendum) accedant. — Solus ascensus ad Episcopatum non permittitur coniugatis, nisi dispensatione obtenta. Ita ex disciplina canonis 13 Trullani (Concilii Quinisexti anni 692), a S. Sede usque ad nostra tempora tolerata.

In Ecclesia Occidentali coniugatis hodie ex can. 987, 2^0 non permittitur ascensus ad ullum Ordinem, sive sacrum sive minorem, ac ne quidem ad clericatum simplicem seu primam tonsuram. Quo canone abrogata est disciplina illa antiqua et antiquata, in qua maritus ad Ordines, etiam sacros, admitti poterat, dummodo eius uxor tum huic rei consentiret, tum ipsa castitatem voveret, idque vel sollemniter (si nempe iunior esset) vel saltem perpetuo (si aetatis esset provectioris, scl. annorum 55—70). In eadem disciplina uxor illius, qui sacro aliquo Ordine initiatus fuisset, ne demortuo quidem marito ulteriores nuptias valide poterat inire (impedimentum *ordinis mariti*).

2) Affirmantem sententiam ipsi Graeci schismatici, paucis tantum exceptis, reverentur. Invictissima eius argumenta vide apud Papp-Szilágyi, *Enchiridion*

eorumque sententiae adhaeret Ben. XIV in Const. „Eo quamvis tempore", § 38, sequ. (*Bull. Ben. XIV*, III, p. 145). Quinimo idem Pontifex, in Const. „Anno vertente" § 12 (*Bull.*, VIII, p. 248), mandat, ut, quoties in casibus particularibus, e. g. in casu conversionis alicuius Graeci schismatici, de valore eiusmodi matrimoniorum iudicium sit ferendum, ad Sedem Apostolicam pro dispensatione ad cautelam recurratur. Decernit tamen Pontifex, in talibus casibus dispensationem ad cautelam ita esse concedendam, ut „nullum verbum fiat de renovatione consensus"; quod dicit fieri non debere, ne decreta dispensationum controversiae de matrimoniorum praedictorum validitate finem imponere videantur (ibid. § 13).

Quidquid vero sit de Orientalibus in genere, certum est clericos maiores Italo-Graecos [1]) itemque Rumenos [2]), impedimento Ordinis eodem prorsus modo ac Latinos ligari. Denique notetur, Maronitis subdiaconatum [3]), Ruthenis subdiaconatum et diaconatum [4]) hoc impedimentum non inducere.

301. Utrum impedimentum Ordinis sit dispensabile.

Affirmative: est enim iuris ecclesiastici tantum (n. 298). De facto R. Pontifex dispensationem aliquando (raro tamen et ob causam quae non sit mere privata) concedit [5]).

Facultatem quamdam a iure delegatam continent canones

---

iuris Eccl. Orientalis. M.-Varadini, 1862, P. II. § 101. Vide ibidem de caelibatu Orientali § § 16 et 17.

1) Ben. XIV. Const. „Etsi pastoralis", § VII, n. 27 (*Bull.* I, p. 369). Sunt autem *Italo*-Graeci, qui degunt quidem in Italia (eique adiacentibus insulis), ad quam quondam eorum progenitores tempore persecutionis confugerunt, sed adhuc sequuntur ritum graecum, ab illis sibi traditum.

2) E. Syn. Rumenorum, anno 1883 habita. Gasp., n. 683.

3) Synod. Maron. Libanonen. a. 1736. Gasp.. n. 683.

4) Synod. Zamoscen. a. 1720. Papp-Szilágyi, *Enchir.*, p. 435.

5) Generatim loquendo cum subdiaconis raro, rarius cum diaconis, rarissime cum presbyteris, cum Episcopo numquam dispensatur. Tempore perturbationis Gallicanae Pius VII sacrilega multorum clericorum revalidavit coniugia, a quibus, civiliter contractis, illi difficile recedere poterant. Noluit tamen idem Pontifex revalidare matrimonium *Episcopi* Augustodunensis Talleyrand. Rosset, n. 1639.

1043—1045, scl. dispensandi ab impedimento subdiaconatus et diaconatus.

Quoties vero dispensatio conceditur, iniungitur clerico, ut, in statum laicalem redactus, ordines susceptos nullatenus exerceat. Qua iniunctione servatur principium fundamentale Ecclesiae Latinae, quod scl. „simul voluptatibus et carnalibus desideriis et ecclesiasticis obsequiis [clerici] vacare non valeant." Ita c. 3 *de conv. coniugatorum* (III, 32). Obligatio autem officii divini recitandi in alia pietatis opera dispensato commutatur.

302. Quaenam p o e n a canonica in clericos matrimonium attentantes?

Responsum vide infra, n. 307.

Art. VI. *De impedimento dirimente voti.*

303. Q u i d impedimentum dirimens voti?

Est, secundum can. 1073, illud, quo „invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Apostolicae Sedis praescripto vis addita sit nuptias irritandi".

Votum est „s o l l e m n e, si ab Ecclesia uti tale agnitum fuerit; secus [est] s i m p l e x". Can. 1308, § 2. Ut sollemnia ab Ecclesia agnita generatim [1]) sunt vota perpetua quae nuncupantur in aliquo O r d i n e regulari (can. 488, 2⁰), hinc ab iis qui r e g u l a r i u m et m o n i a l i u m nomine veniunt (ibid. 7⁰); reliqua, i.e. sive ad tempus in aliquo Ordine, sive, etiam perpetuo, in aliqua C o n g r e g a t i o n e nuncupata, generatim ut simplicia agnoscuntur.

Vota simplicia, quibus ex Apostolicae Sedis praescripto vis nuptias irritandi est addita, sola sunt vota simplicia castitatis, quae a sic dictis „scholasticis" in Societate Iesu emittuntur post biennium novitiatus [2]). Vim nuptias irritandi huiusmodi

1) In aliquibus locis (Gallia, Belgio, Bavaria) vota ipsarum monialium, quamvis ex ordinis instituto sollemnia, vi tamen specialis praescripti Sedis Apostolici nonnisi simplicia sunt. Cfr. can. 488, 7⁰.

2) Ex Const. Greg. XIII „Quanto fructuosius" (1 Febr. 1583) et „Ascendente Domino" (22 Maii 1584). Cfr. Ben. XIV, *de Syn.*, l. VIII, c. XI, n. 29,

votum retinet, quamdiu vovens e Societate legitime non dimittitur.

304. Votum sollemne, quo iure nuptias irritat?

Irritat solo iure ecclesiastico. Quod hodie ex can. 1038, § 2 omnino constat [1]).

304 *bis.* Quandonam hoc impedimentum in Ecclesia vigere coeperit.

a. Cunctis voto castitatis obstrictis semper interdictum fuisse matrimonium, in quantum ipse usus matrimonialis contrarius est voto castitatis, citra controversiam est. „Si nupserit virgo, non peccat, non illa virgo, quae semet Dei cultui dedicavit. Harum enim, si qua nupserit, *habebit damnationem,* quia primam fidem irritam fecit" [2]).

b. Quandonam autem voti sollemnitas, ex qua irritae essent nuptiae, sit introducta, accurate dici nequit. Patet vero ex antiquissimis documentis, discrimen inter votum simplex nuptias simpliciter prohibens, et votum sollemne nuptias irritans, tum quoad rem, tum (quadamtenus saltem) quoad nomen, iam saeculo IV et III in Ecclesia extitisse. Discrimen reale indicat e. g. papa Siricius (384—394) ubi, inducta distinctione inter virgines *velatas* et *nondum velatas* [3]), illas esse dicit, quae „integritatem publico testimonio *professae*" nuptias ineundo „*adultero mariti nomen* imponunt," has vero quae „nondum velatae, tamen sic (i. e. in integritate seu virginitate) manere *proposuerunt*," ac proinde, si nubant, nuptias ineunt non incestuosas quidem et adulteras, sed tamen *furtivas*, „ex

1) Sententia S. Thomae (qu. 53, art. 2), vim voti sollemnis ex ipsa huius voti natura, hinc e iure divino repetens, et, ipso recentiori tempore (a Rosset, n. 1676, sequ.) adhuc propugnata „sane nostra aetate iam diu opinionibus improbabilibus et obsoletis est annumeranda". Ita apposite Wernz, n. 378 (40). Caeterum, iam Bonifacius VIII (c. unic. *de voto* in VI⁰) edixerat, voti sollemnitatem „ex sola Ecclesiae constitutione" inventam esse.

2) S. Hieron. apud Gratianum c. 5, Dist. 27 et can. 17 Conc. Chalc. c. 22, C. 27, qu. 1.

3) Ep. 10, Migne, P. L., XIII, 1182. Cfr. Wilpert, *Die gottgeweihten Jungfrauen in den vier ersten christl. Jahrhunderten.* Eine patristische Studie, in *Zeitschr. f. Kath. Theologie,* Insbruck, 1889, S. 302 f. f.

eo quod matrimonii coelestis propositum non servaverint." Similem distinctionem iam S. Cyprianus exhibet. — Discrimen quoque nominale inter votum simplex et sollemne ipsa antiquitas iam inducere coepit. Dum enim virgines nondum velatae dicuntur in mero castitatis „proposito" vivere, e contra virgines velatae seu „canonicae" dicuntur „Deo, Christo nubere, Christo spondere maturitatem suam" (Tertull.), „Christo se dicare, tam carne quam mente se Deo *vovere*, in aeternum se continentiae devovere" (S. Cypr.), „integritatem pudoris *profiteri*, virginitatem *profiteri*, Christo *profiteri* et castitatem *profiteri publice*" (S. Ambrosius).

Quidquid vero sit de saeculis prioribus, omnino clara est haec dispositio Concilii Lateranen. II (1139): „Statuimus, quatenus episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares, canonici, monachi atque conversi professi, qui, sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus" [1]).

305. Quid requiritur, ut votum sollemne nuptias irritare possit?

Requiritur ut in ratione voti sollemnis, hinc secundum s. s. canones, sit validum. Ad hoc autem necesse est, ut vovens vicesimum primum aetatis annum expleverit (can. 573); novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit (can. 572, § 1, 3°); praemissa fuerit, expleto novitiatu, professio votorum simplicium saltem ad triennium (can. 572, § 2 et 574, § 1); ipsa professio voti sollemnis fuerit expresse, sine vi aut metu gravi aut dolo emissa necnon a legitimo Superiore secundum constitutiones, per se vel per alium, recepta (can. 572, 4°—6°).

306. Quomodo votum sollemne, valide emissum, vim nuptias irritandi amittit? — Amittit:

a. obtento indulto saecularizationis, seu perpetuo extra claustra manendi (can. 640, § 1, 2°; cfr. can. 638); quo

1) Apud Gratian., c. 40 C. XXVII, qu. 1.

tamen indulto non aufertur impedimentum *ordinis sacri* quoad religiosum in sacris constitutum;

b. legitima votorum simplicium in Congregatione religiosa nuncupatione; quia tunc, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur, voti sollemnitas eo ipso exstinguitur. Can. 636;

c. apostolica dispensatione, quae nonnumquam reapse, praesertim religiosis discolis [1]), conceditur, ita tamen ut voti obligatio in alia bona opera commetetur [2]).

307. Clerici et religiosi matrimonium attentantes, quibusnam subiacent poenis?

a. Poenae clericis et religiosis communes sunt: irregularitas (can. 985, 3°), excommunicatio latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservata (can. 2388, § 1) et exclusio ab actibus legitimis ecclesiasticis, quae scl. can. 2357, § 2 statuta est in publice concubinarios.

b. Poenae clericis propriae, hinc etiam religiosos in sacris constitutos respicientes, sunt: suspensio a divinis et privatio fructuum officii, beneficii, dignitatis (can. 2359, § 1); denique, si moniti non resipuerint, degradatio (can. 2388, § 1).

c. Poena religiosis propria est dimissio ab ordine suo religioso, ipso facto (can. 646, § 3°).

Et hae quidem poenae ab iis etiam incurruntur qui nonnisi vinculum civile, ut aiunt, attentant.

---

1) Ad concedendam dispensationem ob causas boni mere publici nonnisi rarissime datur opportunitas.

2) In rescripto dispensationis hae, similesve, solent inveniri clausulae, ab Ordinario-executore observandae: „... praevia expulsione oratoris ab ordine per modum poenae..., matrimonium valide, licite ac legitime contrahere possit cum muliere catholica, ita tamen, ut si eidem supervivat, ad alias nuptias transire nequeat; serio monitus, quod si extra legitimum coniugii usum deliquerit, se contra votum et virtutem castitatis peccare. Ipse vero Ordinarius ei imponat salutares poenitentias, quamdiu vixerit adimplendas..." (e. g. recitationem rosarii per singulas hebdomades, confessionem sacramentalem pluries, et ieiunium semel vel bis per annum. De facultate etiam in hoc impedimento dispensandi, Ordinariis aliisque sacerdotibus competente, cfr. can. 1043—1045.

Art. VII. *Impedimentum raptus.*

308. Raptus, ut impedimentum, quid sit.

Raptus considerari potest ut *crimen*, seu ut obiectum iuris poenalis [1]), et ut *impedimentum* matrimonii. Qua huiusmodi autem raptus est: Violenta mulieris abductio (et detentio), vel etiam sola detentio, matrimonii cum ea ineundi causâ peracta.

Violenta mulieris abductio, scl. de uno loco, mulieri tuto, in alium ei non tutum, est „raptus" *proprie* dictus; sola vero violenta mulieris detentio, in loco ubi illa commoratur vel libere accessit, sumitur pro raptu *aequivalenter*.

De raptu proprie dicto, can. 1074, § 1, iisdem fere verbis quibus Conc. Trid., c. 6, S. 24 *de ref. matr.*, ita statuit: „Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium".

De raptu vero aequivalenter sumpto idem canon, § 3, novum in hoc ius ita condit: „Quod ad matrimonii nullitatem [2]) attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel libere accessit, violenter intuitu matrimoni detinet" [3]).

309. Quaenam fuit huius impedimenti constituendi ratio? Secundum Instructionem S. C. S. Off. ad Epôs Albaniae, diei 15 Febr. 1901, hoc impedimentum a Conc. Tridentino [4])

---

1) De raptus crimine, deque poena in ipsum, ita habet can. 2353: „Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, ... ipso iure exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur". Cfr. can. 2354. Qui sint „actus legitimi ecclesiastici", vide can. 2256, 2⁰. Poena *excommunicationis* ipso facto incurrendae, necnon *infamiae* perpetuae (cfr. c. 6 Trid. cit.), utpote nullam mentionem in Codice inveniens, tamquam abrogata habeatur, ex can. 6, 5⁰.

2) Dicitur „quod ad matrimonii nullitatem attinet"; non igitur quod attinet ad poenam in raptores statutam.

3) Hoc canone nunc in ius Ecclesiae transiit quod antea aliqui a. a. solummodo opinabantur. Cfr. Vlaming[1], n. 458*c*; Schaepm., *C. en H.*, blz. 44.

4) Iure Decretalium raptus referebatur ad casus consensus deficientis. Vide c. 7 *de raptoribus* (V, 17).

constitutum fuit „tum ex praesumptione non-consensus, tum in odium tanti facinoris". Dicitur:

a. „ex praesumptione non-consensus", scl. consensus coacti seu per vim et metum extorti. Attamen ne *raptus* confundatur cum *metu* matrimonium irritante, vox „praesumptio" non est accipienda pro *praesumptione* iuris proprie dicta [1]), sed pro solo iuris *timore* et generaliter *suspicato periculo* ne violentiam abductionis sequatur violentia quoad consensum nuptialem. Ratione huius timoris et suspicati periculi Ecclesia, ipsam externam matrimoniorum libertatem tueri intendens, mulierem raptam, quamdiu versetur in potestate raptoris, ad valide ei nubendum simpliciter inhabilem reddit, sive „praesumptio" illa non-consensus de facto verificetur, sive non [2]). Quinimo, in hypothesi consensus de facto violenter extorti, praeter impedimentum *raptus,* quod est iuris ecclesiastici, habetur circumstantia illa, a raptu prorsus distincta, quae olim vocabatur „impedimentum" *metus* [3]), quod secundum multos est iuris naturalis. — Dicitur:

b. „in odium tanti facinoris". Ne tamen iterum confusio obtineat inter raptus *impedimentum* et raptus *crimen,* expressio illa „in *odium*" non accipiatur pro „in *vindictam*" seu „in *poenam*". Quamvis enim fieri non possit, quin lex impedimenti operetur ad tantum facinus cohibendum et eatenus in eius odium, propria tamen vindictae sumendae ratione ea non informatur; quamprimum enim mulier rapta in loco tuto ac libero est constituta, impedimentum per se cessat (vide n. 311).

310. Quaenam sunt in specie impedimentum raptus constituentia?

Impedimentum adest cum abducitur vel retinetur:

a. mulier, quaecumque illa sit, honesta vel inhonesta,

1) Quemadmodum accipere saltem videntur e. g. de Angelis, eiusque sequaces Santi et Sebastianelli.

2) Impedimento raptus pro *praesumptione iuris* accepto, cum praesumptio cedere debeat veritati, impedimentum non adforet si *constaret* raptam libere matrimonio consensisse; quod tamen falsum est.

3) Codex I. C. omnem ansam raptum cum metu confundendi eo abstulit, quod de raptu agit Cap. IV (de impedimentis dirimentibus), de metu vero Cap. V (de consensu matrimoniali).

raptori desponsata vel non. Lex etenim nullatenus distinguit. Math. n. 232. Raptum *viri*, ut matrimonii impedimentum (de crimine cfr. can. 2354), ius nostrum nec umquam curavit, nec hodie curat;

b. violenter, ita nempe ut mulier invita sit, sive quoad *abductionem* (retentionem) *ipsam*, quando nempe per vim proprie dictam, physicam vel etiam moralem (e.g. per minas) alio transfertur vel in loco retinetur; sive *solummodo quoad matrimonium*, quando nempe, dolo blanditiisve circumventa, in abductionem (retentionem) quidem consentit, sed ita, ut nesciat nolitque matrimonii ineundi causa se abduci aut detentam iri [1]). Non igitur raptus est, si matrimonii intuitu abduci se vel retineri patiatur, sive omnino sponte amasium sequatur (*fuga* simplex) aut morem ei gerat, sive eius artibus blanditiisve seducta (*raptus seductionis* vel *subordinationis)*. Hic *seductionis* raptus ex communiori et probabiliori sententia *canonice* ne tunc quidem impedimentum dirimens constituit, quum vis vel fraus, etsi aliqua intervenerit, non tamen in ipsam puellam sed solummodo in eius parentes adhibita fuerit. Quidquid enim sit de conceptu raptus secundum ius Romanum et legislationes modernas [2]), secundum ius canonicum „iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum . . ., licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur

---

1) Vide S. C. C. in *Parisiensi*, 27 Aug. 1864. Agebatur de puella, quae a propria matre, ex condicto tamen cum raptore, sub praetextu domum locandam invisendi (hinc per dolum potius quam per vim), inibi constituta erat sub potestate illius, cui iam pridem sponsalitiam fidem dare detrectaverat et cuius etiamnum consortium reluctabat. S. Congr. nullum declaravit matrimonium, quod post plures menses tandem raptor obtinuit ab hac puella, loco tuto interim non restituta. Ratio decidendi in eo videtur fuisse, quod in hac specie facti (scl. puellae tempore deceptionis matrimonium posive nolentis) deceptio in moralem quamdam violentiam refundebatur ideoque verum raptum constituebat. A qua specie nonnihil differt ea, de qua Matharan (n. 236) cum Gasparri (n. 636) aliisque controversiam agit: siquidem ibi mulier tempore abductionis solummodo nesciebat se matrimonii causa abductam iri, quin tamen (uti ex post facto concludere licet) eiusdem respectu fuerit invita. Quare ibi abductio est dolosa simpliciter, nec refunditur in violentam, qualis ad raptum constituendum essentialiter requiritur.

2) Wetb. v. Strafr., art. 281.

rapuisse" [1]). Raptus erga parentes iure canonico est prohibitus quidem et, si de impubere (etiam masculini sexus) agatur, poena affectus (can. 2354, § 1), sed impedimentum matrimonii, praesertim dirimens, non constituit;

c. matrimonii cum ea ineundi causa, adeo ut raptus impedimentum non sit, si mulier abducatur aut retineatur causa vindictae vel pecuniae exigendae; quinimo nec si unice ad libidinem explendam. Math., n. 230. Ratio est quia sacri canones raptum nonnisi intuitu matrimonii eiusque libertatis considerant. Praeterea ita expresse declaravit S. C. C. 23 Iun. 1566 et iterum 14 Nov. 1648. Cfr. Feye, n. 149. Causam raptus praetensi, sed multiplici ex capite deficientis, vide a S. C. C. decisam in *Panormitana* 1 Sept. 1894 *(Canoniste,* 1895, p. 37).

311. Raptus impedimentum quomodo cessat?

Non cessat nisi per separationem raptae a raptore eiusque constitutionem in loco tuto ac libero; quo tamen facto, si deinde mulier illum in virum habere consenserit, matrimonium erit validum. Vide can. 1074, § 2.

Quamvis hoc impedimentum, utpote iuris ecclesiastici, etiam dispensatione auferri possit absolute loquendo, praxis tamen Ecclesiae ab eo dispensando adeo est aliena, ut in ipsis aliis impedimentis dispensandis, itemque in dispensationum indultis, clausula speciali de absentia raptus utatur. Hinc ad aliquam dispensationem, e. g. consanguinitatis, valide impetrandam, circumstantia raptus, sive adhuc perduret, sive iam cessaverit, exprimi in supplicatione debet. S. C. S. Off. 15 Iun. 1875 (Schneider, p. 87).

Art. VIII. *De impedimento criminis.*

312. Quid sit „criminis" impedimentum.

Est inhabilitas, iure Ecclesiae dirimens matrimonium inter eos contrahendum qui, certis in adiunctis, complices fuerunt in crimine vel adulterii, vel coniugicidii. — Dicitur:

1) Ita Lucius III in C. 6, *de raptoribus.* Quod pluribus decisionibus confirmavit S. C. C., e. g. in *Aquen. Massilien.,* 16 Febr. 1889 (Act. S. Sed., XXI, p. 593).

a. Inhabilitas... Iam antequam Codex I. C. vigeret, omnes a.a. tenebant, hoc impedimentum, sicuti omnia alia impedimenta dirimentia, veram inhabilitatem constituere, licet illud simul in poenam criminis ab Ecclesia statutum crederent. Admodum vero controvertebant, utrum et quomodo ab hac poena incurrenda excusaret ignorantia. Sed huic controversiae Codex nullum iam locum relinquit, quia hic ex una parte nullibi rationem poenae huic impedimento attribuit, et ex altera parte „nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur." Can. 16, § 1.

b. Iure Ecclesiae... quod hodie continetur hoc canone 1075:

„Valide contrahere nequeunt matrimonium:

1° Qui perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;

2° Qui perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit;

3° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt."

Iure Iustinianaeo [1]) cautum iam erat, ut adulter et adultera numquam, ne soluto quidem priori coniugio, invicem possent copulari idque licet adulterio nec promissio nec attentatum matrimonii (can. cit., 1°) nec coniugicidium (ibid., 2°) accessisset.

Eandem legislationem antiqui Ecclesiae canones [2]) iam adoptarunt. Postea vero hinc quidem inducta est limitatio ad tres casus, canone 1075 1° et 2° comprehensos et mox a nobis explicandos (§ 1—3); inde vero impedimentum extensum fuit ad casum can. 1075, 3°, scl. ad casum solius coniugicidii, mutuo tamen consilio nubere cupientium machinati, de quo infra, § 4 [3]).

---

1) Novella 134, cap. 12.

2) Cann. 1 et 3, C. 31, qu. 1.

3) Tit. Decretalium *De eo qui duxit quam polluit per adult.* (IV, 7) necnon c. 1 *de conversione infidelium* (III, 33).

Codex civilis patrius idem impedimentum eodem fere ambitu refert quo ius Romanum [1]).

Huius impedimenti inducendi ratio fuit tum fides maritalis tutanda, seu iniuria a coniugiis avertenda, tum incolumitas coniugis innocentis procuranda. Denegata scl. validitate coniugii ineundi inter praedictorum criminum reos, lex praevenire studet, ne spes novi coniugii ansam coniugibus foedifragis praebeat, sive frangendi maritalem fidem sive mortem coniugis innocentis captandi. Quoad casus publicos accedit ratio scandali vitandi necnon consulendi, ut ita dicam, conscientiae publicae, quae sane vehementer eo perturbaretur quod bonum coniugii esset in praemium pro bono eodem, perfida conspiratione alteri ablato. Tandem matrimonii denegationem etiam ut criminis sui poenam complices experiuntur, licet legislator ei rationem *formalem* poenae non indiderit.

Impedimentum criminis, utpote iure canonico receptum, ubi semel exortum est, de se perpetuam inhabilitatem constituit. Hinc neque lapsu temporis, neque per criminis remissionem ex parte coniugis laesi, neque per iniuriae quamdam quasi compensationem (eo quod e. g. etiam coniux laesus adulterium committat), sed tantummodo per dispensationem extinguitur.

c. Dirimens matrimonium... Crimina nuptias solummodo prohibentia, etsi olim plura extiterint [2]), hodie tamen nulla supersunt.

d. Inter complices... Vide notam marginalem infra positam.

---

1) B. W. art. 89: „Een persoon die bij regterlijk vonnis van overspel is overtuigd, mag nimmer met den medepligtige aan dat overspel in het huwelijk treden." Hoc civile impedimentum est ex iis, quae in sensu codicis nostri matrimonium dirimunt, ita scl. ut huius nullitas possit propter illud invocari (art. 145). Cfr. Diephuis, *Ned. burg. recht*, IV, blz. 35, v.v.

2) Eiusmodi in antiqua disciplina erant: Incestus, uxoricidium, raptus sponsae alienae, occisio presbyteri, interfectio propriae prolis et matrimonium attentatum cum moniali. — Et haec quidem crimina inducebant impedimentum prohibens *absolutum*, dum impedimentum criminis dirimens, quod hodie adhuc viget, constituit impedimentum *relativum* tantum, obstans matrimonio inter complices (non autem cum aliis) ineundo.

e. Certis in adiunctis... Non enim, qui utcumque complices in adulterio vel coniugicidio fuerunt, a matrimonio inter se ineundo arcentur, sed patratio istorum criminum peculiares quasdam sibi vindicat conditiones, ut inde impedimentum criminis enascatur.

313. In quotuplici facti specie existit impedimentum criminis?

Ex duplici illo fonte criminoso, adulterio et coniugicidio, impedimentum criminis oritur in quadruplici specie facti, nempe:

1°. In casu solius adulterii, sine concursu coniugicidii, sed cum promissione mutua futuri matrimonii inter adulteros contrahendi. Ita ex can. 1075, 1° [1]).

2°. In casu solius adulterii, sine concursu coniugicidii, sed cum attentato matrimonii verbis de praesenti contracti. Ita ex eodem num. 1° canonis 1475 [2]). Hic igitur casus verificatur si duo, quorum uterque vel alteruter ligatur vinculo coniugali cum tertia persona, attentent inter se et consumment matrimonium.

3°. In casu adulterii cum coniugicidio coniuncti. Quo tamen casu neque promissio de matrimonio ineundo (ut in casu 1°) neque, quoad coniugicidium, mutua machinatio (ut in casu 3°) requiritur, uti infra fusius exponetur. Ita ex can. 1075, 2° [3]).

4°. In casu solius coniugicidii (absque concursu adulterii) mutua machinatione patrati. Ita ex can. 1075, 3° [4]).

Nota. Nonnulli auctores omnes quatuor casus praedictos, etiam 1m et 2m, nomine *coniugicidii* quodammodo comprehendunt. Ratio est, quia in casu 1° et 2° adulteri, etsi non de facto machinentur in mortem coniugis innocentis, vix tamen nequeunt eandem summopere habere in voto. Consequenter auctores illi dicunt, in casu 1° et 2° haberi impedimentum criminis *neutro patrante* [scl. coniugicidium], in

1) Cfr. capp. 1. 6 et 7 *de eo qui duxit* (IV, 7).
2) Cfr. cap. ult. eiusd. tit.
3) Cfr. cap. 1, 3 et 6 eiusd. tit.
4) Cfr. cap. 1 „Laudabilem" *de conv. infid.* (III, 33).

casu 3° idem impedimentum adesse *alterutro patrante*, in casu denique 4° haberi crimen *utroque patrante*.

Iam singulae quatuor hypotheses, cum peculiaribus suis requisitis, sunt expendendae.

§ 1. De adulterio cum matrimonio promisso.

314. Praemittimus eam can. 1075, 1° partem, qua haec impedimenti species continetur, scl.: „Valide contrahere nequeunt matrimonium qui, perdurante eodem matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo . . ." Dein quaerimus:

Quale, ut impedimentum incurratur, requiritur adulterium?

Requiritur adulterium:

a. verum; videlicet requiritur, ut uterque vel saltem unus fornicator alligatus sit vinculo matrimonii validi, sive consummati sive simpliciter rati, sed non sufficit adulterium *existimatum*. Hinc si coniux fornicetur, falso putans compartem esse in vivis, cum tamen reapse defuncta est; aut si matrimonium, quod contraxit, est invalidum, non incurrit impedimentum, etiamsi invaliditatis plane sit inscius. Vide Math., n. 306. Ratio est, quia in hypothesi, etsi a peccante, propter conscientiam erroneam, incurratur adulterii *reatus*, reapse tamen nulli matrimonio iniuria irrogatur;

b. consummatum, nempe per copulam perfectam. Hinc copula solummodo attentata aut alii actus impudici non inducunt impedimentum. Math., n. 307. At, si copula habita fuit, in dubio praesumitur perfecta in utroque foro;

c. utrinque formale, videlicet requiritur, ut utraque pars sciat, se non tantum *fornicari* sed etiam, se *adulterium* committere; aliis verbis: utraque pars debet scire, aliquod existere matrimoniale vinculum, cui per suum peccatum iniuriam irrogat. Hinc, si e.g. mulier soluta, sub fide matrimonii mutuo data, rem habeat cum viro quem pariter solutum putat, non incurritur impedimentum, et vice versa [1]). Et ratio est in promptu: siquidem hoc impedimentum inductum est, ne spes

1) Ita Alex. III in c. 1 *de eo qui duxit* . . .

futuri matrimonii ansam adulteris praebeat mortis coniugum machinandae: quae quidem machinatio utriusque concursum expostulat. Ubi igitur existentia coniugis innocentis, qui ex communi utriusque fornicantis machinatione posset vita periclitari, ab alterutra parte ignoratur, praedictus concursus plane exclusus est;

d. ita utrinque formale, ut eidem saltem coniugi iniuriosum sit. Hinc si e.g. Gaudentius coniugatus rem habet cum Margarita similiter coniugata, et ambo sibi promittunt futuras nuptias, *neuter vero noverat alterum esse coniugatum,* impedimentum criminis non oritur. Nam licet uterque peccans, utpote cognoscens suum proprium matrimonium, committat peccatum formale adulterii, tamen utriusque peccatum formaliter non concurrit ad iniuriam uni eidemque coniugi inferendam. Ad hoc enim opus est ut uterque notitiam habeat saltem matrimonii unius partis. Ratio eadem est, quam allegavimus sub *c,* quia nempe hoc impedimentum constitutum est propter iniuriam ab utroque adultero irrogatam *eidem* matrimonio, et maxime, ne spes matrimonii inducat ad coniugis mortem communi utriusque consilio machinandam. Ad hoc autem in proposito casu adulterium perducere non potest. Math., n. 308 et 309.

Quodsi vero in eodem casu proposito tum Gaudentius tum Margarita non proprium suum coniugium tantum, sed insuper coniugium alterius cognovissent, eorum adulterium fuisset *duplici* coniugio formaliter iniuriosum, ac proinde impedimentum criminis ex duplici capite inter eos existeret; quae circumstantia necessario foret aperienda, si dispensatio peteretur.

315. Qualis, ut incurratur impedimentum, requiritur promissio?

Quoad requisita promissionis quaedam sunt certa, quaedam controversa.

I. Certum est:

a. requiri promissionem proprie dictam, nec sufficere desiderium nubendi, etsi signis expressum, imo neque nubendi propositum. Non igitur incurritur impedimentum e. g. ex eo quod vir dicat adulterae: „Vehementer exopto esse coniux tuus"; vel: „Si iterum nubam, non aliam ducam nisi te."

Haec enim non continent promissionem proprie dictam, quam tamen iura requirunt;

b. requiri promissionem acceptatam. Canon enim 1075, 1° postulat quod sit *data fides*: porro fides non intelligitur data, nisi fuerit acceptata;

c. non sufficere promissionem conditionatam, cuius conditio ante patratum adulterium deficit: quia deficiente conditione, dissolvitur promissio, et habetur perinde ac si numquam facta fuisset; unde adulterium subsequens non coniungitur cum matrimonii promissione, quod tamen iura requirunt;

d. requiri promissionem mutuam, seu promissionem unius cum repromissione alterius partis, quod olim quidem probabilius, etsi non communius, auctores docebant [1]) sed nunc e textu indubio Codicis omnino constat.

II. Controvertitur vero:

a. utrum promissio necessario debeat esse seria, an etiam ficta sufficiat. Probabilior et communior sententia requirit promissionem seriam, seu cum animo se vere obligandi factam, dicens, fictam promissionem ne tunc quidem sufficere, cum fictio nullo signo alteri manifestatur. Cum enim versemur in re odiosa, verba legis stricte sumenda sunt: ficta autem promissio non est vera promissio [2]);

b. utrum promissio debeat esse expresse acceptata (cfr. I, *b*), an potius pro acceptatione sufficiat taciturnitas? Sententia communior et probabilior tenet, taciturnitatem non sufficere, quia in huiusmodi re odiosa (qualis certe est tum grave delictum quod in acceptatione eiusmodi promissionis continetur, tum maxime est promanans inde impedimentum) silentium non potest simpliciter pro consensu haberi; quinimo, spectatis circumstantiis, silentium unius partis adulterae potius pro denegatione consensus quam pro assensu haberi debet. Si enim revera interne acceptaret, proculdubio, inter alias amoris expressiones, etiam externe id proderet. Hinc, e con-

---

1) Vlaming[2], n. 298. Apud Schaepm., *C. en H.*, blz. 44, („Bestaat er dus beiderzijds eene *expressa promissio*, dan is het impediment niet aanwezig"), per errorem typographicum, adverbium negans („bestaat er dus *niet*...") excidisse videtur.

2) Ben. XIV, S. Lig., Schmalzgr., Lehmk., Gasp., Feye, Rosset, v. d. B.-Sch.

trario, si tacet, videtur tacere de consilio, scl. ut nunc compartem, nuptias sibi promittentem, minus contristet per expressam consensus denegationem [1];

c. utrum impedimentum incurratur, si promissio fuit conditionata, et conditio post patratum adulterium (cfr. I, *c*) aut *suspensa manet* usque ad obitum coniugis innocentis, aut ante illum obitum deficit. Communius et probabilius auctores tenent, contra paucos alios, in neutra hypothesi impedimentum incurri, quia non habetur simpliciter *fides data* seu promissio, ubi conditio adiecta non verificatur seu impletur [2];

d. utrum promissio necessario esse debeat de matrimonio post mortem coniugis ineundo, an sufficiat promissio de nuptiis stante adhuc priori coniugio ineundis. Hoc ultimum tenet Carrière n⁰. 715, tum quia canones modo prorsus generali de *promissione* loquuntur, tum quia promissio de matrimonio attentando (qualis est promissio de matrimonio ineundo dum prior coniux adhuc vivit) aeque ac ipsa attentatio matrimonii (de qua § 2) infert illud periculum, propter quod Ecclesia impedimentum criminis induxit. — Sed oppositum nobis probabilius videtur. Nam canon 1075 loquitur de promissione matrimonii *ineundi;* talis vero non est promissio de nubendo, vivente adhuc priori coniuge, quippe quae potius sit promissio de matrimonio *attentando.* Hinc impedimentum non putamus incurri si e. g. Titius dicat Caiae coniugatae: „Promitto tibi nuptias, *postquam divortium civile obtinueris* ineundas" [3]. — Notandum tamen, quod, nisi contrarium expressum fuerit, promissio matrimonii inter adulteros communiter versabitur circa matrimonium post mortem coniugis ineundum; hinc non reputamus necesse, quod hoc expresse promissioni addatur. Quinimo, in foro externo, nisi contrarium expresse dictum fuisse *probetur,* semper censetur adfuisse intentio et

---

1) Ita cum Sanchez, Reiffenst., Schmalzgr., de Angelis, Feye, Lehmk., Rosset, Wernz, contra alios, apud S. Lig., n. 1038, quorum tamen sententiam, sicut illorum, S. Doctor *merito probabilem* appellat.

2) Gasp., 737, *c*; Feye, 451, 6⁰; Rosset, 2031 et 2032; v. d. B.-Sch., p. 178.

3) Gasp., 737, *e*; Feye, 459; v. d. Burgt n. 138. Aliter Schaepm. *C. en H.*, blz. 44, 8, 2.

promissio contrahendi matrimonium post solutionem illius quod nunc existit;

e. utrum, si promissio adulterium praecedat, necesse sit, quod uterque promittens tempore promissionis sciat alterutrum esse matrimonio iunctum. E. g.: Titius, ignorans Caiam esse coniugatam, promissit ei matrimonium, et postea, cognito illius matrimonio, adulterium perpetrat cum eadem. Existitne inter eos impedimentum? Palam est, et omnes fatentur, impedimentum existere si, post acceptam matrimonii notitiam, promissio fuerit expresse confirmata. Sed de casu quo hoc factum non fuerit auctores dissentiunt. Inter eos qui affirmant alii alias afferunt rationes. Sunt qui ideo impedimentum putant existere, quia scientia coniugii requiritur quidem quoad adulterium, non autem quoad promissionem: etenim, inquiunt, adulterium absque illa scientia non est adulterium formale (vide n. 314, *c* et *d*), prout illud iura requirunt; dum promissio, seu fides data, est proprie fides data, etsi complices sint coniugii inscii. Ita e.g. Schmalzgrueber. Verum, haec ratio minime mihi satisfacit. Tota enim huius impedimenti indoles eiusmodi est, ut tum promissio tum adulterium debeant utrinque formaliter concurrere ad creandum periculum vitae coniugis innocentis: hinc (uti bene observat v. d. Burgt, n. 138) communiter auctores docent, requiri promissionem contrahendi post mortem coniugis. — Quapropter alii melius dicunt, ideo in casu impedimentum existere, quia per subsequens adulterium, cum notitia coniugii patratum, promissio prius facta tacite confirmatur, seu ratihabetur, ita ut ipsa tunc per eandem notitiam informetur ad inferendum, una cum adulterio, saepedictum periculum. — Attamen, non desunt, qui neque hoc concedunt, quia, inquiunt, sicut turpis promissio non est facile praesumenda, ita nec turpis ratihabitio. Quin, nec ratihabitio sufficit, si facta fuerit altero inscio [1]). — Prae caeteris magis mihi placet haec distinctio, quam cum Tamburino facit Sporer: Vel committunt adulterium ex vi promissionis quondam factae, cum spe futuri matrimonii; et tunc absque dubio exsurgit impedimentum; quia sic per-

1) Ita d'Annibale, III, § 439.

severat promissio facta, et quidem iam sub mala fide, quae ante erat sub bona fide. Vel ambo, postquam legitimum coniugem adhuc vivere cognoverint, amplius nullatenus moventur promissione prius facta, quam uti exstinctam habent, utpote de re impossibili: et tunc non exsurgit impedimentum, etsi committatur utrinque formale adulterium.

Nota. In hac praesertim materia „solutiones huiusmodi controversiarum potissime inserviunt confessario ad formandam conscientiam, ut post matrimonium contractum facilius relinquat poenitentem in bona fide, vel eius dubia solvat. Inserviunt etiam extra tribunal Poenitentiae, ut dubia solvantur in favorem validitatis matrimonii, quando res non est publica nec ad forum externum potest deduci. Numquam vero propria auctoritate eiusmodi solutiones, nisi in casu urgentissimo non publico, applicentur matrimonio nondum contracto sed contrahendo" [1]). In casu vero urgentissimo non publico (e. g. in casu, quem vocant *perplexum*, de quo postea) solutiones praedictae etiam ante matrimonium contractum inservire confessario possunt ad formandam suam (et saepe etiam poenitentis sui nupturientis) conscientiam, ope principii illius reflexi „Impedimentum dubium, impedimentum nullum." Vide supra, n. 197, I, *a*. Hae autem observationes applicentur aliis etiam circa impedimentum criminis quaestionibus, et rei matrimoniali universe.

316. Qualis requiritur connexio inter adulterium et matrimonii promissionem?

a. Utrumque debet concurrere, ita ut ex isto capite impedimentum non oriatur, si aut adulterium aut promissio matrimonii defuerit. Quapropter, licet perinde sit, sive adulterium praecedat sive sequatur promissionem, tamen, si promissio adulterium praecedit, requiritur ut antea promissio non fuerit revocata; secus numquam habentur promissio simul et adulterium, quae impedimentum pariunt. Quodsi vero promissio revocetur post adulterium, nil officit; nam impedimentum iam existit, quia simul iam extiterunt duo elementa

1) Ita Feye, n. 451.

illud constituentia: hoc autem factum per revocationem subsequentem destrui iam non potest.

b. Utrumque ex communi doctrina concurrere debet vivente coniuge innocente seu „perdurante matrimonio" (can. 1075) cui iniuria irrogatur [1]). Hinc non incurrunt impedimentum Titius et Caia, qui, dum uterque solutus est, matrimonium sibi promittunt, postea vero, contracto inter Titium et Semproniam matrimonio, adulterantur. Eodem modo resolvendum foret si iidem, stante coniugio Titii cum Sempronia, adulterium commisissent et deinde, Sempronia defuncta, nuptias sibi spopondissent. In utroque enim casu promissio matrimonii nullum periculum Semproniae parit, et per se omnino licita ac valida est.

c. Utrumque, ex doctrina pariter communi, concurrere debet vivente eodem coniuge, seu „perdurante *eodem* matrimonio" (can. 1075). Hinc si Titius, constante primo matrimonio, cognovit Caiam solutam, eidemque, constante secundo matrimonio, nuptias promisit quin tamen eam tunc cognoverit, non existit impedimentum. Ratio est, quia secundum s.s. canones ponderanda videtur iniuria eidem matrimonio irrogata; ponderandum praesertum videtur mortis captandae incentivum, quod ex geminata illa causa exsurgit.

Nota. Haec prima impedimenti species prae reliquis frequentius occurrit. Ad parochum et confessarium spectat eidem tunc praesertim intendere, cum nuptiis iungendae sunt duae personae, quarum saltem una antea fuit coniugata, maxime si, dum coniux defuncta adhuc vivebat, in eadem domo habitaverint, e.g. si vir recenter viduus petat iungi ancillae suae.

§ 2. De adulterio cum matrimonio attentato.

317. Praemittimus eam partem can. 1075, 1⁰ quae hunc casum respicit. Dicitur nempe: „Valide contrahere nequeunt matrimonium qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt . . . [et] matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt".

Ut autem ex isto capite impedimentum oriatur, eodem pror-

1) C. 8 *de eo qui duxit* dicit: „dum vivit uxor ipsius".

sus modo coniungi debent adulterium et matrimonii attentatio ac in casu priori adulterium et matrimonii promissio. Hinc eaedem omnino hîc conditiones requiruntur in adulterio quas recensuimus n. 314, eaedem pariter conditiones in attentatione quae, iuxta dicta n. 315, in promissione, ac denique idem ille inter utrumque nexus, quem descripsimus n. 316. Solummodo itaque in hac § exponendum est:

318. Quid per matrimonii attentationem sit intelligendum.

Per matrimonii attentationem hîc intelligitur: actus quo duo, exstantis impedimenti ligaminis conscii, vere et serio sibi praestant consensum coniugalem per verba vel alia signa de praesenti, sive publice sive clandestine. Cfr. n. 56. Hinc patet:

a. per se non sufficere, quod duo vivant in concubinatu adulterino, nisi aut in illo contingat consensum coniugalem per verba de praesenti praestari, aut ipse concubinatus, spectato usu loci [1]), includat promissionem matrimonii, sive de praesenti, sive de futuro. — Dixi, concubinatum non esse per se matrimonii attentato aequiparandum. Quisque vero intelligit, eumdem natura sua facilem praebere occasionem ad matrimonii attentationem, aut saltem ad eiusdem mutuam promissionem inter concubinarios;

b. non incurri impedimentum ab iis quorum saltem alteruter, tempore quo matrimonium attentatur, ligaminis obstantis inscius est. Cfr. n. 315. — Attamen si, illo cognito, pars quae ignorabat, in contubernio perseveret et adulterium committat, impedimentum statim incurritur;

c. non opus esse, ut attentatio matrimonii fiat in forma legitima Ecclesiae, quia per consensum de praesenti, licet clandestine, ac proinde „etiam per civilem tantum actum", vera fit matrimonii *attentatio.* Proinde omnes illi, qui, post matrimonium valide contractum, petunt et obtinent civile divortium et deinde aliud matrimonium civile contrahunt et consummant, hoc impedimentum incurrunt: ideoque,

---

1) S. C. de Prop. Fide 14 Ian. 1844 apud Feye p. 344 [1]).

soluto licet priori coniugio, non possunt sine dispensatione [1]) matrimonium inire. Quinimo, ne civilis quidem forma requiritur. Quomodocumque enim complices per verba de praesenti inter se contrahant, matrimonium (saltem intentionaliter et cum periculo vitae coniugis innocentis) vere „attentant". Itaque verba illa canonis „etiam per civilem tantum actum" non taxative sed exemplificative sunt intelligenda [2]).

§ 3. De coniugicidio cum adulterio.

319. Quomodo, generatim loquendo, haec tertia criminis species differt a praecedentibus?

Praemittimus can. 1075, 2°: „Valide contrahere nequeunt matrimonium qui perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit".

Quando adulterium subsequitur coniugis occisio, non requiritur ad impedimentum incurrendum sive promissio matrimonii, sive mutua adulterorum conspiratio in mortem coniugis innocentis. Uterque enim complex per adulterium sufficienter censetur criminis coniugicidii particeps. Attamen nonnullae requiruntur conditiones, de quibus nunc agendum.

320. Quaenam conditiones requiruntur in adulterio?

Requiritur imprimis adulterium verum, consummatum et utrinque formale, haud secus ac supra n. 314, *a*, *b* et *c*.

Deinde requiritur, sicut ibidem ad *d*, quod adulterium sit utrinque uni eidemque coniugi formaliter iniuriosum, cum hoc tamen addito, quod tale esse debet respectu illius praecise coniugis qui occiditur.

---

1) Hic vero notetur can. 1053: „Data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensationem ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2, 3."

2) Schaepm., *C. en H.*, blz. 45.

Hoc est: non sufficit quod alterutrius saltem adulteri coniugium notum sit utrique (uti sufficit in casu ibi posito) sed insuper necesse est, ut uterque adulter notitiam habeat illius in specie matrimonii, quod per coniugicidium dissolvitur. De hoc requisito plerique auctores silent, quamvis tamen illud sit valde rationabile. Nam adulterium ex fine legis [1]) eatenus causa impedimenti esse videtur, quatenus illud ex utraque parte in coniugicidium influit: quod sane non verificatur si alteruter complex ignorat existentiam illus coniugis qui interficitur [2]).

Inde patet, quomodo resolvendus sit sequens casus: Gaudentius vir coniugatus, adulterium perpetrat cum Margarita, cuius maritum infirmum praevidet brevi moriturum. Fingit tamen coram Margarita, se non coniugatum sed solutum esse. Patrato adulterio, propriae suae uxori venenum mortiferum (cum effectu) solus propinat, quo nempe possit Margaritam, statim ac huius maritus diem supremum obierit, secundis sibi nuptiis copulare. Potestne Gaudentium inter et Margaritam constare matrimonium? — Affirmative respondendum censemus, quia eorum adulterium, etsi utrinque formale et utrinque uni eidemque coniugi (scl. coniugi Margaritae, quem existere uterque adulter bene sciebat) formaliter iniuriosum, tamen non erat utrinque formaliter iniuriosum illi coniugi cui mors parata fuit: nam huius existentiam ignorabat Margarita, quae proinde ex parte sua, i.e. formaliter seu scienter, nullo modo in coniugis illius interfectionem influxum exercuit.

321. Quale ad impedimentum inducendum requiritur coniugicidium?

a. Imprimis non requiritur adulterorum machinatio mutua,

---

1) Revera Decretales, hanc impedimenti speciam continentes, praecise loquuntur de adulterio, respectu coniugis interfecti iniurioso, uti bene notat Kutschker, III, S. 433.

2) Cfr, S. Lig., n, 1035, qui idem sentire videtur: „Requiritur V (inquit) ut adulteri sint conscii matrimonii"... Et paullulum expressius in *Hom. Apost.*, Tract. 18, n, 63: „Requiritur ut uterque adulter sint conscii prioris matrimonii (i.e. illius matrimonii cuius unus coniux occisus fuit)." Hanc sententiam (cum Kugler) etiam Matharan, n. 320 amplectitur.

sed sufficit si „eorum alter coniugicidium patravit". Nec refert utrum alter ille interfecerit coniugem proprium, an compartis, sicut non refert, utrum physica an morali machinatione usus fuerit.

b. Requiritur tamen coniugicidium verum, quo nempe occidatur qui vere, non tantum putative (ratione scl. matrimonii mere putativi) sit coniux, quia secus pro coniugicidio, quod canone nostro requiritur, nonnisi homicidium simplex haberetur.

c. Requiritur etiam coniugicidium dolosum, seu intentione occidendi vere „patratum". Tale non foret, coniugicidium praeter illam intentionem simplici saevitia „causatum".

d. Requiritur mors reapse secuta; nec sufficit mors mere attentata. Quinimo requiri videtur mors vi ipsius actus occisorii secuta, ita ut impedimentum non exsurgat si secuta sit e. g. ex imperitia vel negligentia medici, aut ex alia quavis causa superveniente.

Triplex autem hoc requisitum (*b, c* et *d*) dictitat necessitas interpretationis strictae, ex *regula iuris* 15 in VI⁰ in odiosis (quale profecto est quodlibet matrimonii impedimentum) adhibendae. — Ulterius vero:

e. Requiritur quod coniugicidium processerit ex intentione nubendi cum complice adulterii; quod expresse quidem lex ipsa non postulat, sed tamen ex manifesto legis fine postulatur. Siquidem ratio legis hoc impedimentum statuentis est, ne quis ad coniugem occidendum spe contrahendi cum complice adulterii incitetur. Porro talis ratio, ac proinde et ipsa lex penitus deficit, si ob aliam prorsus causam, puta ob iram, vindictam, etc. occisio perpetratur. — Non tamen opus est utrique adultero praedictam intentionem fuisse; nam in hac impedimenti specie non requiritur, sicut in quarta, machinatio mutua quoad coniugicidium. Nec opus est, quod occisor animum nubendi ante occisionem complici suo manifestaverit; quia, sicut nulla est ratio animum illum in utroque adultero exigendi, ita nec exigendi eiusdem manifestationem ab uno alteri factam [1]).

1) Ita cum Feye, n. 454, 4⁰; Carrière, n. 739; Rosset, n. 2048, Alii vero, immerito supponentes, hîc agi de poena ab Ecclesia inflicta, secus sentiunt, quia Ecclesia non potest punire actus mere internos. Ita S. Lig., n. 1036; Gasp., n. 739; v. d. Burgt, n. 148.

Nota. In foro externo, si de commisso adulterio constat, intentio nubendi cum complice inde praesumetur, nisi coniecturis admodum fortibus compertum sit, eamdem revera defuisse. Quare dubia de interna animi intentione, qua adulter coniugicidium patraverit, in praxin fori externi vix quidquam influunt, eo vel magis quod, si machinatio sit publica, non possit in huiusmodi dubiis propria auctoritate procedi [1]).

322. Quaenam inter adulterium et coniugicidium connexio esse debet?

a. Utrumque debet perdurante eodem legitimo matrimonio commissum esse.

b. Adulterium debet occisionem coniugis praecessisse. Hoc requisitum omnes quidem auctores commemorant, sed non omnes explicant eodem modo. Plerique impedimentum non quidem putant incurri, si adulterium sequatur coniugis mortem reapse secutam, incurri vero existimant etiamsi adulterium sequatur mortis machinationem (e. g. vulneris inflictionem, veneni propinationem), dummodo praecedat mortem ipsam [2]). Illi igitur auctores hîc nomine *occisionis* non praecise illam actionem seu machinationem intelligunt, quae ex se est causa mortis, sed potius mortem ipsam. Alii e contra eodem nomine intelligunt illum praecise actum quo mors causatur. Ita e. g. v. d. Burgt, qui (p. 142) sic habet: „Nexum inter adulterium et coniugicidium auctores hunc postulant, ut *adulterium praecedat occissionem* (cfr. S. Lig., 1036, II). Oportet igitur occisio fiat stante adulterio; quod sequitur ex proposita conditione in coniugicidio, qua desideratur, ut *coniugicidium fiat animo* contrahendi cum *complice adulterii* (vide supra 307, *c*). Satis patet, non requiri, ut adulterium praecedat machinationem *moralem* mortis: cum enim mors vel vulnus lethale, vel veneni propinatio fit eo momento, quo adulterium commissum est, adulterium praecedit occisionem, et fieri potest occisio intentione faciendi nuptias cum

---

1) Ben. XIV, *Quaest. can.* 526, § „Quia vero", Cfr. superius, n. 315 in Nota.

2) Feye, 454, 2^0; Rosset, 2047, 1^0; Heiss. p. 163; Kutschker, III, S. 432, 2^0; Palmieri, p. 507, 4^0, etc.

complice adulterii. Sed non videtur sufficere, ut adulterium perpetretur *post* machinationem *physicam* sed ante mortem, v. g. postquam vulnus lethale inflictum est, postquam venenum est propinatum; nam eo casu coniugicidium non fit *stante adulterio,* non fit animo contrahendi *cum complice adulterii".* Sunt qui hanc interpretationem ideo reiiciunt, quia in ea verba „cum complice adulterii" nimis ad litteram sumuntur [1]). Sed nos interpretationem a v. d. Burgt datam ex animo amplectimur, quia 1° in interpretatione opposita tota haec conditio superflue apponitur: siquidem nimis est evidens, adulterium debere mortem ipsam coniugis praecedere: ni enim praecedat mortem ipsam, non est adulterium sed simplex fornicatio; 2° quia „coniugicidium" proprie non eo momento „patratur" quo coniux reapse moritur, sed eo tempore quo ponitur actus qui illud causat; 3° quia adulterium, post actum qui causa mortis est commissum, nullum in coniugicidium influxum exercet, cum tamen hoc impedimentum ideo praesertim constitutum videatur, ne adulterium (utrinque formale et eidem coniugi iniuriosum) facilem praebeat occasionem ad necem coniugi innocenti parandam. Hinc, in casu, quo Caius, propinato veneno uxori suae, deinde patrat adulterium cum Sempronia, matrimonium inter Caium et Semproniam existere posse probabilius nobis videtur.

§ 4. De coniugicidio solo.

323. Praemittimus can. 1075, 3°: „Invalide matrimonium contrahunt qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt" [2]).

---

1) Feye, n. 454, 2° et (nulla adducta ratione) Wernz, n. 532 (64).

2) Afferendam etiam duximus ex iure veteri dispositionem Coelestini III in cit. cap. „Laudabilem", ubi ita legimus: „Interrogasti de Saracenis qui, dum in captivate essent, quarumdam Christianarum viros earum insidiis et machinationibus occiderunt, utrum, quia postea per ipsas ad fidem Christianam conversi sunt, eas de iure possint accipere in uxores, vel si duxerint, coniugium teneat earumdem. Hic Triburiensis Concilii regula contenti sumus, asserentis quod, si in mortem ipsorum malitiose fuerint machinatae, licet earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhaerere debent, nec

Ut e solo coniugicidio impedimentum oriatur, praeter ea quae posuimus numero 321, *b*, *c*, *d* et *e*, insuper requiritur „mutua opera", seu cooperatio partium ad mortem coniugi inferendam. Quamvis autem etiam moralis cooperatio (mandatum, suasio, consilium, approbatio) sola sufficiat, tamen haec, si mortem (de facto secutam, aut saltem inevitabiliter secuturam), non praecedat sed nonnisi sequatur, impedimentum criminis non constituit. Nam cooperatio huiusmodi, quae e.g. habetur si coniugicidium, ab una parte patratum ab altera parte nonnisi ex post facto approbetur, non ita in illud influit, ut inde mors „inferri" dici possit.

Secundum aliquos [1]) de impedimento inducto dubitari etiam tunc potest si alteri, propositum pravum manifestanti, alter simpliciter consentit; quia, inquiunt, hoc non est „machinatio" vel (secundum terminologiam canonis nostri) non est „opera" in ipsam mortem adhibita.

324. De intentione nubendi ex fine legis (cfr. n. 321, *e*) etiam in hac impedimenti specie requisita, quaeri potest, num adesse debeat in utroque complice, an sufficiat quod adsit in alterutro.

a. Communiter auctores sufficere opinantur quod adsit in alterutro tantum [2]). Et ratio est, quia tali casu sufficienter habetur illa ansa mortem coniugis machinandi, ad quam tollendam impedimentum constitutum fuit. Caeterum can. 1075 (sicut etiam canones iuris veteris) nullo verbo utriusque nubendi intentionem postulat. Et huic sententiae favet Instr. Austr., quae § 37 ita habet: „Coniugicidium inter coniugem eiusdem reum et personam, cum qua ad crimen patrandum conspiravit, matrimonium invalidum efficit, quando vel una

---

sunt, si adhaeserint, etiam tolerandi, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit". Deinde, in eodem capite Coelestinus tradit, e contrario uxores virorum Christianorum in bello interfectorum posse Saracenis conversis nubere, cum „tales non procuraverint virorum interitum defunctorum". Cfr. c. 5, C. 31, qu. 1.

1) d'Annib., III, § 440.

2) Ita Sanchez, L. VII, Disp. 78, n. 14; S. Lig. n. 1034. Recentiores quoque tere omnes, e. g. Gasp., n. 733; Wernz, n. 528, III; Rosset, n. 2044.

tantum pars facinus ea intentione perpetraverit, ut cum altera matrimonium inire possit."

b. Alii, pauci tamen [1]) putant, necessitatem praedictae intentionis in utroque machinante sequi ex duabas rationibus simul sumendis, scl. quod requiratur utriusque conspiratio, et quod impedimentum sit ideo constitutum, ne spe matrimonii ad coniugicidium deveniatur. Quemadmodum enim uterque complex debet concurrere ad coniugicidium, ita pariter uterque debet ad crimen istud spe matrimonii perduci. Huic sententiae haud obscure favet Instructio pastoralis Eystettentis, quae sic habet: „Nascitur impedimentum criminis ex coniugicidio sine adulterio, si utraque pars ex intentione foedus coniugale ineundi... in necem coniugis innocentis conspiret... etc." — Carrière, n. 736, relata utraque sententia, dicit, sententiam priorem satis probabilem videri, ideoque casu occurrente petendam esse dispensationem ad cautelam; se vero nescire, an posterior sententia non sit „magis principiis consentanea".

325. Utrum intentio nubendi debeat esse ante coniugicidium complici manifestata?

a. Si admittatur, intentionem illam requiri in machinante utroque, affirmative respondendum est; quia secus non potest concipi duorum conspiratio eo fine instituta, ut cum coniuge superstite matrimonium ineatur.

b. At etiamsi admittatur, intentionem illam sufficere in alterutro, adhuc probabilius manifestatio requiritur, tum quia Ecclesia non solet leges ferre circa actus internos, tum quia secus intentio illa nullatenus influeret in hoc, ut spe matrimonii mutua conspiratio fieret. Quam ob rem auctores communiter, cum S. Lig., l. c. (contra paucos, inter quos Reiffenstuel), manifestationem requirunt. Addit vero S. Lig., non opus esse, ut manifestatio per verba fiat, sed sufficere si fiat per signa, e.g. per munera, epistolas amatorias, familiaritates et similia. Quod aliis verbis docet Wernz (n. 529 in nota 55) ubi, distinguens inter intentionem *externatam* et *manifestati-*

1) Feye, n. 453, 3⁰ et (uti saltem videtur) etiam Santi-Leitner, IV, p. 208.

onem intentionis *alteri* factam, hanc non esse necessariam, bene vero illam, arguit.

„Ut vero satis sint — ita merito addit Rosset (n. 2045) — debent indubie arguere intentionem, quia *nemo censendus est malus, nisi talis probetur;* unde res ponderanda est ex circumstantiis."

Nota. In foro externo, si constet virum et mulierem, inter se matrimonium contrahere cupientium, antea in mortem coniugis cui alteruter ligatus erat, conspirasse, intentio illa nubendi recte praesumitur. Unde hîc repetenda, quae diximus in Nota ad n. 321.

§ 5. Quaestiones aliquot impedimentum criminis universim spectantes.

326. Quomodo hoc impedimentum multiplicatur? Multiplicatur:

I. Pro numero matrimoniorum, quibus vel uno ex quatuor modis descriptis iniuria infertur. Hinc e. g.: *a.* adulterium quod Titius plus semel, fide matrimonii mutuo data, committit cum ancilla sua, duplex impedimentum inter eosdem provocabit, si primum quidem constante coniugio Titii cum Sempronia, ac deinde constante eiusdem Titii coniugio cum Maevia, peccatum istud commiserunt. — Similiter: *b.* adulterium, sub fide mutua matrimonii inter duas personas coniugatas commissum, positis ponendis (314—316), utpote duplici matrimonio iniuriosum, duplex impedimentum constituet (cfr. n. 314, *d*).

II. Pro numero diversorum delictorum in unum idemque matrimonium patratorum. Hinc, prout circa unum idemque matrimonium duae pluresve ex quatuor suprapositis hypothesibus verificantur, duo plurave erunt impedimenta. Ita e. g. si Titius, maritus Semproniae, hac vivente, Caiae, ancillae suae, matrimonium post mortem coniugis ineundum promittens, primum cum ea carnaliter commiscetur (hypothesis 1a), deinde matrimonium attentat cum eadem (hypoth. 2a), tandem ut Caiam vero matrimonio ducat uxorem interficit (hypoth. 3a), triplex inter ipsum et Caiam impedimentum existit. Quodsi etiam Caia in Semproniae mortem fuerit machinata, verificatur in-

super hypothesis 4a. — At, non multiplicatur impedimentum ex eodem crimine, durante eodem matrimonio saepius repetito, e. g. ex pluries repetito adulterio formali aut ex promissione matrimonii saepius confirmata: ideo dixi, impedimentum multiplicari pro numero diversorum delictorum, quae scl. differant quoad speciem.

III. Ex dictis consequitur, numerum impedimentorum crescere prout plura specie delicta circa diversa matrimonia verificantur. Suppone e. g. Titium coniugatum esse cum Sempronia, et Caiam cum Maevio, et utrumque, Titium scl. et Caiam, alterius ligamen cognoscere. Iam, si Titius cognoscit Caiam cum promissione matrimonii, post mortem utriusque eorum coniugis sunt duo impedimenta; si insuper, vivente Sempronia, matrimonium cum Caia attentat, sunt quatuor; si ad eam ducendam et Semproniam et Maevium interficit ut nuptias cum Caia contrahere possit sunt sex [1]).

Nota. Quamvis in petendis super crimine dispensationibus circumstantia multiplicitatis sit necessario exprimenda (Gasp., l. c.) non tamen necesse videtur *numero* indicare, *quoties* adsit impedimentum: nam neque auctores semper determinare possunt, utrum ex aliquo actu novum oriatur impedimentum. Hinc sufficiet omnes casus circumstantias distincte exposuisse. Pompen, p. 32.

327. Utrum hoc impedimentum incurrant infideles.

a. Si uterque complex infidelis est, neuter hoc impedimentum, quod est ecclesiasticum, incurrit, et ad fidem conversi possunt sine dispensatione matrimonium contrahere [2]).

b. Si unus complex infidelis est, alter vero fidelis, impedimentum directe quidem ipsum ligabit fidelem sed, per consequens seu indirecte, etiam infidelem; tunc enim praecise habetur species facti, de qua agit cap. „Laudabilem." Idque confirmat citata responsio S. C. de Prop. Fide, ad 2[m].

Excipe tamen, si in tertia huius impedimenti specie coniugicidium non ab adultero fideli sed ab infideli sit patratum.

1) Feye, 455; Gasp., 740; Zitelli p. 384.

2) Ita declaravit S. C. de Prop. Fide 23 Aug. 1852. *Collect.*, n. 1256.

Ex una enim parte adulter infidelis lege Ecclesiae affici non potest nisi indirecte, i. e. nisi ratione complicis fidelis impedimentum sibi directe contrahentis; ex altera vero, tertia illa species quoad ipsum fidelem plene non verificatur nisi quatenus non solum adulter sed etiam coniugicida existat [1]).

c. Si unum ex iis, quae ad impedimentum postulantur, contigit in infidelitate, alterum vero post baptisma, impedimentum non existit, quia Ecclesia requirit concursum amborum requisitorum, et neutrum seorsim lege sua afficit: unde necesse est ut utrumque coniunctim contingat eo tempore, quo delinquens subiacet Ecclesiae legibus, seu post baptismum. — Excipe tamen casum quo promissio vel attentatio matrimonii locum habuerit in infidelitate, sed in illa partes post baptismum perseverantes adulterentur: tunc enim promissio illa vel attentatio revera virtualiter perseverat et post baptismum veluti renovatur [2]).

327 *bis.* Num crimen, ab utroque complice adhuc infideli commissum, utroque vel alterutro baptizato impedimentum esse incipit?

Negative secundum omnes. Et constat ex resp. S. C. de Prop. Fide, 23 Aug. 1852 ad hanc quaestionem: „Vir infidelis qui ante baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui — annuente muliere, fidem de futuro matrimonio acceptante — mortem intulit, potestne post utriusque baptismum matrimonium inire cum dicta muliere?" Responsum fuit: *Affirmative.* Nec mirum: agitur quippe de impedimento, cuius ratio tota, secundum distinctionem Sanchezii superius (n. 194) relatam, quaerenda est in mente Ecclesiae, quin naturalis quaedam relatio partium intercedat, quae veluti permanens quaedam radix considerari possit unde, suscepto baptismate, impedimentum exsurgat.

Nota. Cl. auctor Sch.-v. d. B. (n. 47a) rem hoc modo ulterius explicare studet: Causam radicalem, seu radicem, qua huius delicti reus fit iure canonico inhabilis ad matrimonium cum

1) Schmalzgr., L. IV, t. VII, n. 46.
2) Sanchez, L. VII, Disp. 78, n. 3 et Disp. 79, n. 43.

complice ineundum, ipse quaerit in eius „voluntate criminosa", quam deinde dicit suscepto baptismo a reo infideli auferri „quia omnia crimina abluit sacramentum regenerationis." E quo tandem explicat quomodo infideles „crimen" perpetrantes, sicut ante baptismum ab impedimenti lege immunes existunt, ita nec post baptismum eadem arripi et ligari possint. Attamen, uti nobis videtur, superveniens baptisma ad rem explicandam nec requiritur nec quidquam iuvat. Sane, voluntas criminosa peccantis est „radix" impedimenti; attamen talis est non praecise *ut criminosa* — nam impedimentum criminis non est, saltem non principaliter, lex criminalis — sed ut inviolabilitati matrimonii christiani *iniuriosa* et coniugibus christianis *periculosa;* est quippe principaliter lex canonico-socialis. Sed, ut huiusmodi, reum infidelem, ad societatem christianam non pertinentem, afficere nequaquam potuit, ideoque nec ullam in eo figere radicem baptismo eruendam.

Quare, uti nobis quidem videtur, infideles baptizati ab impedimento criminis, etiam post baptisma, simpliciter liberi manent, eo quod hoc invento canonico-sociali Ecclesiae ne radicaliter quidem umquam affici potuerint.

328. Utrum hoc impedimentum sit dispensabile.

a. Hoc impedimentum, utpote quoad omnes et singulas suas species iuris mere *ecclesiastici* [1]), potest quolibet casu, etiamsi agatur de coniugicidio, eoque tam publico quam occulto, dispensatione Ecclesiae auferri. Nihilominus:

b. In casu coniugicidii publici, sive alterutro sive utroque machinante patrati, S. Sedes non dispensat, sive quoad matrimonium contrahendum, sive quoad revalidandum matrimonium iam contractum. Ben. XIV in cit. Const. dicit: „Neque tamen exemplo ullo constat, Pontificem dispensasse in impedimento huiusmodi publico". Et in *Inst. eccl.* 87, n. 21 idem Pontifex testatur, Clementem VIII viris potentissimis id expetentibus constanter denegasse. Nihilominus facultas illa canonis 1043 dispensandi *cum aegrotis,* urgente mortis periculo, etiam impedimentum publicum coniugicidii comprehendit.

---

1) Ben. XIV Const. „Aestas anni" 28 Oct. 1757 (*Bull. Ben. XIV,* t. XII, p. 318).

c. Ex canone 1042, § 2, n. 5 „crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum" est impedimentum *gradus minoris,* ideoque dispensationis facilioris. Cfr. can. 1054 et superius, n. 185, 7⁰. Attamen: In crimine coniugicidii occulto S. Poenitentiaria pro foro conscientiae dispensationem aliquando impertitur, sed nonnisi ex urgentissima causa et iniuncta poenitentia salutari, v. gr. ut contracturi ieiunent singulis sextis feriis per annum, ut certas preces pro anima occisi genibus flexis recitent, pro facultatibus suis certum numerum missarum certis diebus per annum, v. g. singulis mensibus, celebrari procurent, et etiam singulis mensibus confiteantur sacraque communione reficiantur [1]).

d. Ab impedimento orto ex adulterio cum matrimonii attentato dispensatur ex canonica causa inter graviores, puta si oratrix diffamata maneret, si gravia scandala verosimiliter orirentur.

e. Tandem ab impedimento orto ex adulterio cum matrimonii promissione facilius et ex quacumque causa canonica dispensatio conceditur vel a S. C. de disciplina Sacramentorum, si tum adulterium tum promissio publica sunt; vel a S. Poenitentiaria, si utrumque delictum vel alterutrum est occultum. Cfr. etiam can. 1053 [2]).

329. Quomodo cum iis nupturientibus agendum, quos confessarius impedimento criminis obstrictos suspicetur?

Huiusmodi suspicione merito aspergitur, qui confitetur, se tempore prioris matrimonii commisisse adulterium, praesertim si pluries cum eodem complice. Item qui brevi post mortem uxoris properatur nuptias inire cum famula vel sorore uxoris vel cum alia femina de domo aut familia sua. — Tali casu confessarius exploret prudentur, qua de causa nupturientes tam cito [3]) post mortem illius coniugis velint coniungi; an sat mature et sat diu deliberaverint; an de eo iam cogitaverint

---

1) Corr., L. VIII, c. 9, n. 5; Gasp., n. 743.

2) Ad *d* et *e* cfr. Ben. XIV, Const. „Pastor bonus", 13 Apr. 1744 in *Bull.* Ben. XIV, II, p. 226.

3) Mulier novas nuptias appetens, tunc adhuc dicenda est cito easdem appetere, licet ab obitu viri iam decem menses fluxerint: nam lex civilis

aut locuti fuerint ante illius mortem ... etc.; quomodo vivente coniuge ad invicem se habuerint; an iam tunc familiariter inter se egerint ... etc.; an iam tunc novas nuptias desideraverint; an forte vehementer et impatienter; an aliquid praestiterint ad mortem illam procurandum vel accelerandum ... etc. — Ut facilius veritatem aperiant, simul damnabilis status in quo versarentur, si cum impedimento contraherent, ipsis manifestandus est, et spes insinuanda de dispensatione facile et secrete, absque ullo famae periculo, obtinenda. Dens, p. 298; Rosset, n. 2063.

Opportunam interrogandi occasionem quandoque praebent rumores de impedimento in parochia sparsi. Tunc, ut patet, directe peti potest, an revera subsit, ut quidam suspicantur.

Art. IX. *De impedimento consanguinitatis.*

330. Codex, statutis (cann. 1070, 1072—1075) quinque illis impedimentis, divini praecipue cultus vindicibus, per totidem alia peculiariter consulit bono physico et morali societatis humanae. Sunt autem quinque illa, quae communi propinquitatis nomine vocari possunt, nempe consanguinitas, affinitas, publica honestas, cognatio spiritualis et cognatio legalis. Quorum natura et ambitus iam sunt describenda.

Ac primo quidem quoad consanguinitatem.

§ 1. Consanguinitas secundum se.

330 *bis.* Quid consanguinitas?

Est vinculum sanguinis inter personas quae per carnalem generationem vel una ab altera, vel coniunctim ab eodem propinquo stipite descendunt. — Dicitur:

a. vinculum sanguinis, quod potest intelligi tum in sensu physico, quatenus in consanguineis consideretur communio eiusdem physice sanguinis; tum in sensu morali, qua-

feminis denuo nubere prohibet, nisi post elapsos decem menses seu trecentos dies a viri obitu. Cod. civ. art. 91: „Een vrouw kan geen nieuw huwelijk aangaan, dan na verloop van drie honderd dagen na de ontbinding van het vorige huwelijk".

tenus consideretur relatio seu propinquitas moralis (socialis), quae in communione eiusdem sanguinis fundatur;

b. inter personas, nam consanguinitas nonnisi de hominibus praedicatur;

c. quae per carnalem generationem... descendunt, quo denotatur, eam sanguinis communionem intelligi, quae habetur ex generatione, seu ex carnali copula. Per copulam enim sanguis genitorum traducitur in genitos. Hinc Eva, licet ex costa Adae formata ac proinde *eiusdem sanguinis* cum eo, tamen non fuit Adae consanguinea in sensu quo de consanguinitate nos iam loquimur;

d. vel una ab altera, vel coniunctim ab eodem stipite... descendunt. His verbis designatur duplex modus diversus quo consanguinitas inducitur. Aut enim una persona descendit ab alia, sive immediate, uti filius descendit a patre, sive mediate, uti nepos (patre suo mediante) descendit ab avo. Aut duae pluresve personae coniunctim descendunt ab uno progenitore communi, qui tunc vocatur *stipes communis,* a quo scl. illae, veluti rami a trunco, communem trahunt originem. Sic e.g. respectu fratrum et sororum stipes communis est pater aut mater, vel uterque; similiter respectu plurium consobrinorum stipes est avus aut avia, vel uterque [1]);

c. dicitur: ob eodem propinquo stipite,... etc., quia remote omnes homines ab uno Noe vel Adam descendunt, quin tamen inde consanguinei adhuc dicantur. Cfr. n. 331.

331. Quomodo consanguinitas distinguitur?

1°. In legitimam et illegitimam, prout e concubitu coniugali vel ex extra-coniugali oritur. Ex canone 1114, designante qui filii sint iure canonico generatim „legitimi", etiam legitimitas vel illegitimitas consanguinitatis accuratius ita designari potest. Scilicet legitima est consanguinitas, quae oritur ex concubitu coniugali in matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel suscep-

1) Stipes solet constare duabus personis (parentibus); at quandoque nonnisi unica constat persona, si nempe haec, sive mas sive foemina, non cum una sed cum compluribus prolem genuit, e.g. e pluribus successive matrimoniis, vel e qualicumque copula cum pluribus habita.

tum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti. Illegitima vero est, quae oritur ex copula non saltem putative coniugali, sive simpliciter fornicaria sive adulterina, vel ex copula coniugali quidem, sed sacrilega in sensu modo indicato. — Tota vero haec distinctio quoad consanguinitatis impedimentum, de quo § 2, nullius est momenti, sicut nec illa, qua consanguinitas distinguitur:

2°. In strictam (plenam, *volle* bloedverwantschap), quae existit inter eos qui utrumque progenitorem, scl. patrem et matrem, communem habent dicunturque germani; et minus strictam (*halve* bloedverwantschap) quae inter eos existit, qui aut solum patrem aut solam matrem habent communem. Qui ab eodem patre descendunt, licet diversam habeant matrem, specialius vocantur consanguinei; qui vero ab eadem matre, non vero ab eodem patre, descendunt, dicuntur uterini.

3°. In agnationem et cognationem, prout nempe communitas sanguinis traducitur per lineam masculinam, aut potius per lineam femininam. Agnati, non vero cognati, habent commune nomen et, si de nobilibus agitur, commune stemma seu insigne gentilitium.

4°. in simplicem et multiplicem. Illa habetur si personae consanguineae ab uno tantum stipite communi et nonnisi unica via descendant; haec vero si alteruter vel uterque aut duplici vel multiplici via ab uno communi stipite descendat, aut ipse stipes communis non sit unicus sed duplex aut multiplex. Quae, quomodo contingere possint, statim (n. 335) indicabimus;

5°. in consanguinitatem lineae rectae et consanguinitatem lineae collateralis (obliquae, transversae).

Nomine lineae intelligitur series personarum consanguinearum per succedentes sibi generationes ordinatarum.

Linea est recta, quae continet personas quarum una ab altera generata est. Haec linea ducitur unico tractu, scl. a stipite generante ad genitum, e.g. pater-filius; avus-nepos; proavus-pronepos. Eadem, quamvis nonnisi unica sit, duplici tamen nomine vocari potest: dicitur quippe descendentalis si, in designandis et numerandis generationibus, descenditur a stipite ad genitos (filium, nepotem, pronepotem,

abnepotem); dicitur vero ascendentalis, si in designandis et numerandis generationibus a genitis ascenditur ad genitores (patrem, avum, proavum, abavum).

Linea collateralis est series personarum consanguinearum, quae ab eodem quidem stipite communem ducunt originem, sed quarum nulla originem habet ab altera, uti e.g. frater-soror; avunculus-neptis. Haec linea duplici ducitur tractu, hinc inde a stipite, e.g. *pater-filius* et *pater-filia;* vel *avus-nepos* et *avus-neptis.* Eadem linea vocatur aequalis si, ob aequalem numerum generationum hinc atque inde, uterque tractus aequalis sit; si secus, vocatur inaequalis. Frater et soror linea aequali stipiti suo communi (patri) coniunguntur; avunculus vero et neptis linea inaequali.

332. Consanguinitas quomodo mensuratur?

Mensuratur per gradus. Gradus autem est: mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis; isque constituitur per generationem, qua una persona ab altera procedit, diciturque „a similitudine scalarum [1]) locorumque proclivium, quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id est in eum qui quasi ex eo nascitur, transeamus", uti habet l. 10, § 10 D., *de gradibus* (38, 10). Ideo in linea consanguinitatis nulla persona per seipsam gradum constituit, sed necesse est ut ad aliam conferatur, quemadmodum unus scalae baculus per se non facit gradum, sed distantia inter baculum unum et alterum.

Ut in casibus particularibus gradus consanguinitatis, inter duas personas mensurandi, prae oculis habeantur, conficiatur earumdem personarum arbor genealogica (stamboom) seu: schema genealogiae accuratum atque bene distinctum, quod a communi stipite per ordinatam seriem generatio-

1) Ad repraesentandam generationum seriem Romani etiam similitudine arboris, cum stipite (trunco, stirpe, radice) et ramulis, utebantur. Germani vero plerumque adhibebant similitudinem corporis humani, cum membris hinc et inde. Ius autem canonicum, quamvis inde a tempore Alexandri II (cfr. c. 2, C. 35, qu. 5) ad ipsam consanguinitatem computandam Germanorum methodum adoptaverit, in designanda tamen eius mensura, utramque illam retinuit metaphoram Romanorum, quam promiscue adhibet.

num, descriptis nominibus personarum in singulis generationibus occurrentium, descendit ad personas de quibus agitur.

In conficienda huiusmodi arbore sic procedatur: Si cognoscis stipitem communem, scribas illius nomen in charta et infra, hinc inde, scribas nomina personarum per utramque [1]) lineam e stipite descendentium, usque dum pervenias ad personas de quarum consanguinitatis gradu investigas. Tunc facile, numerando (secundum computandi methodum n. 333 tradendam) generationes, gradum, quo illae coniunctae sint, videbis.

Quodsi vero stipitem communem ignoras, primum in charta ponas nomina eorum de quibus agitur; deinde desuper nomina parentum eorum, et ita porro, donec videas utramque ascendentium lineam sibi in aliquo communi stipite occurrere. Exemplum arboris genealogicae vide n. 333.

333. Gradus consanguinitatis quomodo computandi?

1°. „In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto." Ita can. 96, § 2. Igitur pater et filia, etsi duae personae, ob unicam tamen generationem, qua filia a patre descendit, nonnisi in primo gradu consanguinei sunt. Similiter avia et nepos ob duas generationes, quae inter ipsos intercedunt, sunt consanguinei in secundo gradu, quamvis linea genealogica, ab avia ducta ad nepotem, habeat tres personas: avia-huius filius (vel filia)-nepos. Notetur, quoad modum gradus in linea recta computandi ius canonicum cum iure civili convenire.

2°. „In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae" ... Can. cit. § 3. Itaque frater et soror consanguinei sunt in gradu primo; duo consobrini, seu eiusdem avi nepotes, in gradu secundo; horum filii, eiusdem proavi pronepotes, in gradu tertio.

3°. Iterum „in linea obliqua..., si duo tractus sint inaequales, tot [sunt] gradus quot generationes in tractu longiore". Can. cit. § 3. Itaque in hoc schemate:

1) Dicimus „per utramque lineam", quia supponimus quaeri de gradu consanguinitatis in linea collaterali; consanguinitas enim in linea recta omnino facile invenitur.



Paula et Iulius, similiter Paula et Robertus, consanguinei sunt in gradu quarto, Maria et patruus eius Franciscus in gradu secundo. Igitur: ubi duo tractus sunt inaequales, quoad gradum consanguinitatis computandum, gradus stipiti propinquior non attenditur, seu, uti habet adagium: „Gradus remotior trahit ad se propinqiorem."

In hac parte canonis 96 Codex confirmat „regulam approbatam", quam [1]) memorat Gregorius IX: „Quoto gradu remotior differt a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendentium ab eodem", i.e. quoto gradu a stipite distat descendens remotior, eodem gradu hic distat a quolibet per aliam lineam ab eodem stipite descendentium.

Nota 1. Gradus inaequalis vocatur etiam *mixtus*. Ad quem complete designandum (uti hucusque e stylo Curiae fieri solebat in dispensationibus super consanguinitate tum petendis tum concedendis) haec adhibeatur formula: „Paula et Iulius (vide schema suprapositum) coniuncti sunt in gradu quarto, mixto cum tertio" vel „attingente tertium". Comparate ad gradum *mixtum* seu inaequalem, gradus aequalis vocatur etiam *simplex*; e.g. Iulius et Anna coniuncti sunt in simplici [gradu] tertio".

Nota 2. In iure civili pro linea collaterali idem adhibetur computandi modus qui pro linea recta in iure utroque, scl. tot numerantur gradus, quot generationes, seu quot personae, dempto stipite; ita tamen ut generationes (personae) utriusque tractus connumerentur. Exempli gratia: Iacobus et Franciscus (fratres) consanguinei sunt in gradu secundo; Maria

1) C.9. *de consanguinitate et affinitate* (IV, 14).

eiusque patruus Franciscus in tertio; Anna et Robertus in quinto; Paula et Iulius in septimo. Quae computandi methodus dicitur *Romana,* utpote a iure civili Romanorum accepta. Methodus canonica, utpote accepta a Germanis, *Teutonica* seu Germanica vocatur. Romanam computationem sequitur etiam ius civile patrium [1]), quae computatio utique servanda est quoties agitur de effectibus civilibus matrimoniorum, e.g. de successione haereditaria [2]).

334. Consanguinei, quaenam in diversis gradibus utriusque lineae sortiuntur nomina?

I. In linea recta *ascendentali* habentur *pater* et *mater* (vader en moeder) in gradu 1^0; *avus* et *avia* (grootvader en grootmoeder) in 2^0; *proavus* et *proavia* (overgrootvader en overgroatmoeder) in 3^0; *abavus* et *abavia* (bet-overgrootvader en bet-overgrootmoeder) in 4^0. In linea *descendentali* habentur *filius* et *filia* (zoon en dochter) in gradu 1^0; *nepos* et *neptis* (kleinzoon en kleindochter) in 2^0; *pronepos* et *proneptis* (achterkleinzoon en achterkleindochter) in 3^0; *abnepos* et *abneptis* (in het Nederlandsch niet anders dan door omschrijving aan te duiden) in 4^0.

II. In linea collaterali *aequali* habentur in gradu 1^0: *frater* et *soror;* in gradu 2: *patrueles,* quorum patres invicem fratres, et *consobrini,* quorum matres invicem sorores erant; item *amitini,* si pater unius et mater alterius erant frater et soror [3]). In gradu 3^0 praedictorum filii et filiae vocantur patrueles (amitini et amitinae) *magni (magnae), sobrini* [4]).

III, In linea collaterali *inaequali* habentur in gradu 2^0 cum 1^0 mixto (seu attingente 1^m) ex una parte (scl. in gradu primo) *patruus* (oom van vaderszijde), *amita* (tante van vaders-

1) B. W., art. 239: „In de zijdlinie worden de graden berekend door het getal der geboorten, eerst tusschen den eenen bloedverwant en den naasten gemeenen stamvader, en vervolgens tusschen dezen en den anderen bloedverwant; zoo bestaan twee broeders elkaar in den tweeden graad, ooms en neven in den derden, volle neven in den vierden, en zoo vervolgens."

2) Cfr. Cod. civ., art. 908 et Marres, *De Justitia,* Lib., I., n. 286 et 290.

3) Hi omnes lingua patria „volle neven" (-„nichten"), gallice „cousins germains" et „cousines germaines", germanice „Vettern" et „Basen" vocantur.

4) Lingua patria: „achterneven (-nichten)".

zijde), *avunculus* (oom van moederszijde), *matertera* (tante van moederszijde); et ex altera parte (scl. in gradu secundo) *nepos* et *neptis* (neef en nicht in den zin van het Fransche „neveu" en „nièce"). In gradu 3^0 attingente 1^m habentur ex una parte *patruus magnus* (oud-oom van vaderszijde), *amita magna* (oud-tante van vaderszijde), *avunculus magnus* (oud-oom van moederszijde), *matertera magna* (oud-tante van moederszijde), et ex altera parte *pronepos* et *proneptis* (achterneef en achternicht, gallice: „petit-neveu" en „petite-niéce").

Qui in gradu tertio attingente secundum sibi sunt consanguinei, ii nullo peculiari nomine indicantur [1]).

335. Multiplex consanguinitas, unde inter duos existere potest?

1^0. Prima causa est quod quis ex eorum ascendentibus prolem procreaverit ex persona sibi consanguinea, quacum e.g. matrimonium contraxerit ex dispensatione in impedimento consanguinitatis. Quo casu in arbore genealogica habebitur duplex via, per quam a sponsis ad unum eundemque stipitem communem ascenditur. E.g.:



Quaeritur, quo gradu et quotupliciter Lucius et Maria sint consanguinei. Ex hoc schemate patet, Rochum et Claram, seu patrem et matrem Lucii, fuisse consanguineos in gradu secundo e communi stipite Petro. Sed hinc fit, eorum filium, Lucium, non unica sed duplici consanguinitate in *tertio gradu* ligari cum Maria. Non tantum enim Lucius habet cum Maria eumdem communem stipitem (Petrum), sed ipse insuper duplici

1) In het Nederlandsch noemen ook zulke bloedverwanten elkaâr *neven* en *nichten*.

via, scl. tum per patrem (Rochum), tum per matrem (Claram) ad praedictum Petrum ascendit.

Et haec quidem sola causa est, qua ex uno stipite multiplicitas oriatur. Duae causae subsequentes semper important multiplicitatem ratione stipitis duplicis vel multiplicis.

2°. Altera causa est quod inter eorum ascendentes membra unius familiae (v.gr. duo fratres) prolem procrearunt e membris alterius familiae (v.gr. e duabus sororibus). Quod hoc schemate demonstratur:



In hoc schemata sunt duo fratres, Petrus et Paulus, qui matrimonium contraxerunt respective cum Maria et Anna, duabus sororibus. Hinc fit, ut utriusque illius matrimonii descendentes sint invicem dupliciter consanguinei, ratione duplicis stipitis communis, scl. ratione tum Antonii qui illorum avus (proavus) est ex parte patris (avi), tum Caroli qui eorumdem avus (proavus) est ex parte matris (aviae). Et sic Iacobus et Helena consanguinei sunt in duplici secundo, Robertus et Magdalena in duplici tertio.

3°. Tertia causa est, quod ex ascendentibus quis prolem procreavit ex pluribus personis inter se consanguineis E.g.:



In hoc schemate Thomas est pater Mariae et Annae. sororum; quibus successive carnaliter copulatur Petrus, et inde caeteri descendunt. Proinde Francisca et Rudolphus sunt dupliciter consanguinei, primo quidem in secundo aequali lineae collateralis ex communi stipite Petro (quem habent communem sibi avum), deinde etiam in tertio aequali ex communi stipite Thoma (quem, hinc per aviam Mariam, inde per aviam Annam, communem sibi proavum habent).

Nota. Quo plures concurrunt causae modo indicatae, vel quo magis una ex illis multiplicatur, eo magis multiplicatur consanguinitas. Exemplum consanguinitatis quadruplicis in tertio gradu, mixto cum gradu secundo, quo res forsan clarius patebit, in nota [1]) adiicimus, addita explicatione in lingua patria.

1)



Uit de twee familiën (stipites) Muller en Smit komen drie echtparen, doordat drie Muller's met drie Smit's in het huwelijk treden. De kinderen van twee dier paren, Jacob en Odilia, volle neef en nicht, en nog wel dubbel, nl. èn van vaders- èn van moederszijde, huwen met dispensatie. De zoon van dezen (Joseph) heeft met Elsa, die insgelijks tweemaal hun volle nicht is, bloedverwantschap *in quadruplici tertio, mixto cum secundo ex diverso stipite.* Een blik toch op den stamboom doet zien dat Joseph en Elsa gezamenlijk van twee verschillende paren stamouders (twee verschillende *stipites*) afstammen, reeds alleen dus uit dien hoofde dubbele bloedverwantschap hebben. Maar ieder dier beide verwantschappen is op zichzelf weer een dubbele, omdat de genealogische lijn (de loop van het bloed door de verschillende generaties) die, over ieder dier beide stipites heen, Joseph en Elsa bloedverwantschappelijk verbindt, inderdaad een dubbele lijn is, ten gevolge van het tusschengelegen dubbel-bloedverwantschappelijk huwelijk van Jacob en Odilia. Daardoor bereikt, om zoo te spreken, het bloed van Joseph, voorzoover hij dat uit den stipes Muller heeft, tweemalen het bloed van Elsa, voor zoover deze dat heeft uit dien zelfden stipes: namelijk éénmaal door middel van Joseph's grootvader van vaderszijde (Piet M.) en een ander maal door middel van diens grootmoeder van moederszijde (Anna M.). Desgelijks bereikt zijn bloed, voorzoover hij dat heeft uit den stipes Smit, tweemalen het bloed van Elsa, voorzoover ook zij dat heeft uit dienzelfden stipes:

§ 2. De consanguinitate ut impedimento matrimonii.

336. Utrum consanguineos matrimonio prohiberi sit conveniens?

Ne consanguinei, praesertim in gradibus propinquioribus, coniugio copulentur suadent:

a. Reverentia sanguini debita. Naturaliter enim homo debet quamdam honorificentiam parentibus et per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem habent. Atqui in commixtione carnali, consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria. Unde de ea homines naturaliter verecundantur [1]).

b. Puritas morum. Personas sanguine coniunctas necesse est ad invicem simul conversari. Hinc nisi spe matrimonia inter se ineundi prorsus careant, nimia eis opportunitas est ad actus luxuriosos [2]).

c. Charitas et amicitia inter homines promovenda. Quisque enim videt, amicitiae terminos per nuptias cum extraneis continuo inter homines dilatari, coarctari vero per nuptias cum consanguineis. Et haec sane fuit ratio potior cur olim, i. e. ante Conc. Lat. IV, consanguinitatis impedimentum usque ad gradum *septimum* (cfr. n. 337) sese extenderet. Necesse quippe erat, ob frequentia dissidia civilia inter fini-

---

namelijk éénmaal door middel van Joseph's grootmoeder van vaderszijde (Clara S.) en een ander maal door middel van diens grootvader van moederszijde (Lucas S.). Die viervoudige loop en verwantschap des bloeds laat zich graphisch aldus aangeven;

I. Joseph-Jacob-Piet M. — Stipes M. — Leo M. — Elsa.
II. Joseph-Odilia-Anna M. — Stipes M. — Leo M. — Elsa.
III. Joseph-Jacob-Clara S. — Stipes S. — Sara S. — Elsa.
IV. Joseph-Odilia-Lucas S. — Stipes S. — Sara S. — Elsa.

En wijl nu, in ieder dezer lijnen, Joseph *drie* en Elsa slechts *twee* generaties van den gemeenschappelijken stipes verwijderd is, is hun viervoudige bloedverwantschap, wat de graden betreft, een gemengde, nl. *in den derden graad, verbonden met den tweeden* Cfr. v. d. B. *Disp.*, n. 19. Hoeveel *beletselen* uit deze viervoudige bloedverwantschap voor Joseph en Elsa naar het huidige canonieke recht voortvloeien, zal blijken in n. 340.

1) S. Thom., II-II, qu. 154, art. IX.

2) S. Thom., Suppl., qu. 54, art. III.

timas urbes aut vicinias, terminos amicitiae quantum fieri poterat, ab una urbe atque vicinia ad aliam propagare [1]).

d. Damnum physicum a prole amovendum. Infaustos effectus quos, iuxta multos, habere solent commixtiones consanguineae, his verbis describit Rosset „Inde scaturit sponsorum arctissima foecunditas vel etiam sterilitas, prolis imbecillitas ac deformitas, nempe natorum surdorum et mutorum [2]), idiotarum [3]), comitialium, caecorum, deformium. Quorum infaustorum effectuum physiologistae repetunt traducem, sin ab identitate, saltem a nimia similitudine sanguinis, temperaturae et indolis utriusque genitoris. Quippe ambo ad generationem conferunt tamquam una causa, nimirum cum iisdem utrinque viribus, organizatione, defectibus, etc.; ideo effectus numquam efflorescit potior, sed saepissime deterior, et rarissime aeque perfectus ac principium generans. Dum coniuges non-consanguinei ad generationem conspirant tamquam duae causae, quae conferunt materiae varietatem, necnon virium, dotum, etc., quia in invicem influxum exerunt, ita ut pars sanior ac vegetior praevaleat, alterius debilem vim suppleat seu quasi elevet, etc. Unde melioratio perfectioque prolis nonnisi renovatis, novis, praestantibus elementis alterius coniugis consequi potest."

Secundum plerosque vero physiologos consanguinitas per

1) Pulchre S. Aug. (*De civit. Dei*, l. XV, c. 16): „Copulatio igitur maris et feminae, quantum attinet ad genus humanum, quoddam est seminarium charitatis; celestis vero civitas opus habet, ut noxam generationis evadat." Cfr. c. unic., C. 35, qu. 1.

2) Volgens Dr. Boudin is de proportie der doofstomheid. bij gewone huwelijken op 1 gesteld, bij huwelijken tusschen volle neven en nichten = 18 en bij huwelijken tusschen neef en tante = 37. Volgens denzelfden telde men te Berlijn op 10000 *Katholieken* (bij wie bloedverwante huwelijken het minst voorkomen) slechts 3.1 doofstommen, daarentegen 6 doofstommen op 10000 *Protestanten* en 27 op 10000 *Joden*. Eschbach, op. cit. p. 100.

3) Volgens de onderzoekingen, door Dr. Bemis in de verschillende ziekenhuizen der V. S. van N. Amerika ingesteld, komen daar 10 % der doofstommen, 5 % der blinden en ongeveer 15 % der idioten voort uit huwelijken in 2^0 gradu attingente 1^m (tante en neef), en bleken 256 van de 757 huwelijken tusschen vollen neef en nicht kinderen te hebben opgeleverd die aan doofstomheid, blindheid of idiotisme leden. Bij Dr. Garnier, *Le Mariage*, art, *Mariages consanguins*, p. 81. Cfr. De Katholiek, Dl. 86 (1884), blz. 30 en 173 v.v.

se sola minime solet istiusmodi infaustos effectus habere [1]). Contra, etiam coniuges consanguinei, dummodo omni avito vitio sint expertes, non secus ac alii generare valent prolem corpore vigentem atque validam. In cuius rei probationem Dr. Surbled, op. cit., tom. I, chap. XVI, sequens allegat factum: „Les observations très précises recueillies à l'île de Batz, isolée, au large de Roscoff (Bretagne), dont les habitants, presque tous parents, ne forment vraiment qu'une même famille sous le même clocher, démontrent sans réplique que les unions consanguines donnent une race forte, robuste, remarquablement féconde et douée de longévité" [2]).

At, etiamsi hoc verum sit (scl. consanguinitatem per se solam non esse nocivam), consanguineae commixtiones id saltem efficere natae videntur, ut morbidas qualitates et deformitates, quae saepe per modum cuiusdam *haereditatis* in familiis reperiuntur, tum facilius tum gradu vehementiori ad posteros transmittant, quam coniugia cum personis extraneis. „La consanguinité ne doit ... pas être confondue avec l'hérédité ou la transmission des maladies, des affections et des vices constitutionnels, apparents ou cachés... Ce danger existe pour toutes les unions entachées d'un vice héréditaire quelconque, car les parents transmettent à leurs enfants, par la génération, les prédispositions morbides dont ils sont atteints, comme leurs qualités et leurs défauts, leur ressemblance physique et morale. Mais des différences notables se remarquent à cet égard dans les résultats. Dans les alliances entre étrangers, la réaction des éléments contraires, opposés, tend à neutraliser, annihiler les germes morbides ... tous les grands médecins ont observé, en effet, que les affections chroniques, héréditaires, les difformités d'une famille, s'éteignent et dis-

1) Dr. Surbled, cuius opus *La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène* (Paris, 1892, 2e Ed.) a multis Galliae Episcopis approbatum est, scribit tom. 1, p. 246: „La science moderne reconnait que les unions consanguines ne sont pas en elles-mêmes une cause de déchéance et de faiblesse pour la famille ou pour la race, et qu'elles ne sont nullement condemnables d'une façon générale. Elle n'est pas arrivée à cette rigoureuse conclusion sans peine et sans discussion."

2) Cfr. Garnier, l. c., p. 32 et 83, sed praesertim G. A. Wilken „Huwelijken tusschen bloedverwanten," in *De Gids*, 1890, II, blz. 478.

paraissent dans les générations successives par des croisements bien faits." Ita Dr. Garnier. Et ipse Dr. Surbled scribit: „Opérée entre diathésiques ou dégénérés, l'union consanguine est indubitablement pernicieuse, déplorable et ne peut donner que de mauvais fruits: elle réunit les constitutions affaiblies, malades, deviées... Les maladies graves des ancêtres, les diathèses constitutionnelles n'ont, on le sait, qu'une tendance trop manifeste à se transmettre dans les familles. Or la consanguinité morbide vient fortifier cette tendance et accumuler les éléments de déstruction dans les générations qui se succèdent." Saltem igitur ob legem haereditatis, quae apud coniuges consanguineos magis urget, consanguineae commixtiones ut plerumque nocivae habendae sunt, ideoque etiam hoc ex capite consanguinitas merito inter impedimenta dirimentia collocatur.

337. Antequam disciplinam hodiernam de impedimento consanguinitatis attingamus, quum ea maxima ex parte iure positivo regatur, eiusdem iuris historiam per summa capita praemittimus.

Saeculis prioribus Ecclesia simpliciter adoptavit leges civiles Romanorum, quibus tamquam nefaria et incestuosa interdicta erant matrimonia inter fratres et sorores necnon inter nepotes (neptesve) et amitas suas vel materteras (patruos vel avunculos).

Post interitum imperii Romani Ecclesia gradus prohibitos, praesertim ad promovendam amicitiam et charitatem inter homines (cfr. n. 336, *c*), paullatim adeo extendit, ut saeculo VII *septimus* consanguinitatis gradus, iuxta canonicam computationem (cfr. n. 333), nuptias dirimeret [1]).

Saeculo XIII Conc. Lat. IV (1215) impedimenti legem ad *quartum* usque gradum restrinxit „quoniam in ulterioribus gradibus iam non potest absque gravi dispendio huiusmodi prohibitio generaliter observari", uti habet c. 8 *de consang. et affin.* (IV, 14). Grave sane dispendium inferebant innumera matrimonia, quae, ob maximam difficultatem consanguinitatem

---

1) Vide Greg. III, Epist. I ad S. Bonifacium, a. 732, apud Jaffé *Monumenta Moguntina*, p. 93. Et confer cann. 1, 17 et 19. C. 35, qu. 2.

in gradibus 5^0, 6^0 en 7^0 investigandi, invalide contrahebantur [1]).

Quam difficultatem recentiori tempore quoad ipsum gradum quartum auxerunt continuae hominum commigrationes et domiciliorum commutationes. Accedebant legislationes civiles modernae [2]), hoc impedimentum ultra ambitum iuris Romani plerumque non admittentes; quo sane inductum est periculum incestuosorum concubinatuum quoad personas Ecclesiae legibus subiectos. Denique Ecclesiae, per suam praxin in gradibus remotioribus passim (aut saltem ob causas quae omnino facile verificabantur) dispensandi, satis ostendebat, ipsam legem Lateranensem iam factam esse minus opportunam. Reclamationibus multorum Episcorum, in Concilio Vaticano [3]) abrogationem huius impedimenti, saltem *quoad gradum quartum*, postulantium, tandem obsecundavit Codex I. C. Qua restrictione consanguinitatis investigatio sane multo facilior facta est, quam erat antea [4]). Insuper Codex, restringendo consanguinitatis, qua impedimenti, multiplicationem (vide inferius n. 340), alterum induxit facilioris investigationis elementum.

Quibus praemissis, ipsam huius impedimenti disciplinam, primum quoad lineam rectam, dein quoad lineam obliquam exponemus.

---

1) Vide Loening, *Gesch. d. deutschen Kirchenr.*, Strassb., 1878, II, S. 542, f.f. necnon Wernz, n. 409, sequ.

2) Codex noster civilis haec habet:

Art. 87: „Het huwelijk is verboden tusschen alle personen, die elkander bestaan in de opgaande en nederdalende linie, hetzij door wettige, hetzij door onwettige geboorte, of door aanhuwelijking; en in de zijdlinie tusschen broeder en zuster, wettige of onwettige."

Art. 88. „Ook is het huwelijk verboden .... tusschen oom of oud-oom en nicht, mitsgaders tusschen moei of oud-moei en neef of achterneef, wettige of onwettige. De Koning kan, om gewichtige redenen, het verbod, in dit artikel vervat, door het verleenen van dispensatie opheffen."

3) *Collectio Conciliorum recentiorum Lacensis*, tom. VII, coll. 842, 873, 877 et 880, sequ. Cfr. *Canoniste*, 1896, p. 505.

4) Antea, in hypothesi quod e singulis coniugiis tres nascerentur descendentes, qui et ipsi matrimonia contraherent, contingere poterat, quod una eademque persona haberet 864 consanguineos, in gradu vel *tertio simplici*, vel *quarto attingente tertium*, vel *simplici quarto* sibi coniunctos. Vide hunc numerum computatum apud Weber, S. 63.

338. Quo iure et quo gradu dirimit consanguinitas lineae rectae?

a. Consanguinitas in linea recta, si ius ecclesiasticum spectetur, matrimonium dirimit in gradu quocumque. Id hodie certum est ex can. 1076, § 1: „In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes, tum legitimos tum naturales." Olim quidem aliqui, cum Sanchezio [1]), casum fere metaphysicum consanguinitatis in linea recta ultra gradum quartum lege dirimente Ecclesiae docebant non comprehendi. Quae sententia nitebatur c. 8 *de cons. et aff.* (IV, 14). Sed sententia opposita ostendebat, ibi de de sola linea collaterali verbum fieri.

b. Ad ius naturale quod attinet, certum est gradum primum, seu consanguinitatem inter patrem et filiam necnon inter matrem et filium, ipso naturali iure matrimonium dirimere. Talis enim unio intrinsecam refert turpitudinem, pugnans cum superioritate, quam ordine naturae indelebiliter habent parentes in filios, siquidem matrimonium quamdam aequalitatem inter personas inducit. Quinimo ipsis barbaris hoc coniugium opprobriosum est, adeo ut Persae, qui illud licitum habebant, ea de causa a viris ethnicis Aristotele et Plinio vituperentur [2]).

Quoad alios gradus, nonnulli (apud Rosset III, 1795) putant, hanc consanguinitatem iure naturae nuptias dirimere in indefinitum, ideoque inter infideles matrimonium e. g. inter avum et neptem etc. esse invalidum, ac per consequens in casu conversionis disiungendum. Alii vero haud improbabiliter sentiunt, coniugia inter ascendentes et descendentes, licet quamdam naturalem indecentiam prae se ferant, tamen ultra gradum primum iure naturae non esse irrita. Cui sententiae videtur adstipulari D. Thomas l. c.

Ob summam rei incertitudinem casu occurrente (e. g. apud infideles conversos) S. Sedes foret consulenda. Ob rationes autem superius (n. 197, II) adductas can. 1076, § 3 ita statuit: „Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae..."

1) L. VII, Disp. 50 et 51, n. 22.

2) Perrone, t. II, p. 138; S. Thom., qu. 54, art. 3.

339. Quo iure, et in quo gradu, matrimonium dirimit consanguinitas lineae collateralis?

a. Iure ecclesiastico matrimonium „in linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive." Can. 1076, § 2.

Hoc porro ex dictis n. 333, 3^0, ita intelligendum est, ut si una persona tertium gradum excedat, licet altera tertio tantum aut proximiori gradu distet a stipite, matrimonium sit validum.

b. Ultra primum gradum simplicem lineae collateralis matrimonium nonnisi iure ecclesiastico irritari omnes hodie conveniunt. Unde etiam in istis gradibus Pontifices passim dispensare solent [1]).

Quoad ipsum vero primum gradum (seu quoad matrimonia inter fratrem et sororem), quonam iure nuptias dirimat, non conveniunt auctores. Alii putant, hoc esse ex iure naturali, quia secus fratribus et sororibus, utpote iam ab incunabilis conviventibus, maxima praeberetur ansa concupiscentiae inflammandae, patrandique passim crimen incestus ob spem futuri connubii. Alii vero communius, et uti videtur probabilius, cum S. Thoma, II—II, qu. 154, art. 9 ad 3, tenent, eiusmodi matrimonia, seclusa necessitate (qualis existebat quoad filios et filias Adae), graviter quidem illicita esse ex iure naturae, sed nonnisi ex iure positivo irrita. Ratio est, quia secus non intelligitur, quonam pacto filii Adae cum suis sororibus contrahere potuerint, cum ius naturae sit immutabile et indispensabile.

De ipso iure positivo dubitatur, utrum ius positivo-divinum an ius Ecclesiae eiusmodi matrimonia irritet. Contra ius divinum militare videtur, quod hinc quidem ius Mosaicum (Lev. XVIII) abrogatum est, illinc vero ius evangelicum nil hac de re cavet. Res igitur admodum incerta est. Constat tamen, Ecclesiam numquam in hoc gradu dispensasse. Exempla autem dispensationum, quae circumferuntur,

---

1) Imo *de fide* est, contra Reformatores, Ecclesiam posse „in nonnullis" ex iis gradibus, qui in Levitico exprimuntur, dispensare. Conc. Trid. S. 24 *de Sacr. Matr.*, can. 3. In Levitico autem c. XVIII, praeter quemcumque gradum primum, insuper prohibetur gradus secundus cum primo mixtus (matrimonium inter nepotem et amitam ac materteram). Hinc concluditur, Ecclesiam posse saltem in secundo gradu dispensare.

sunt apocrypha. Gasp., n. 681. Quinimmo ex can. 1076, § 3, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in primo gradu lineae collateralis „matrimonium numquam permittatur". Cfr. n. 197, II, 1°.

340. Consanguinitas de facto multiplex, quousque etiam multiplicat consanguinitatis impedimentum?

Codice nondum vigente tot erant impedimenta, quot consanguinitates, undecumque tandem causatae (n. 335). Hinc impedimentum multiplicabatur non tantum pro numero stipitum partibus communium, sed etiam pro numero tractuum seu linearum (seu viarum), per quas illae in arbore genealogica ad stipitem communem (ad stipites communes) ascendere possent.

Iure vero Codicis tot tantummodo sunt impedimenta, quot stipites communes. Dicitur enim can. 1076, § 2: „In linea collaterali irritum est matrimonium usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur".

Unde prima illa causa duplicis vel multiplicis consanguinitatis, de qua n. 335, 1°, quoad computandum numerum impedimentorum, inter partes consanguineas existentium, ultra non est attendenda. Hinc in schemate n. 335, 1° Lucius et Maria hodie nonnisi unico impedimento devinciuntur. Item in schemate p. 317 in nota, inter Joseph et Elsam, quamvis de facto quadrupliciter consanguineos, ideoque iure veteri etiam quadrupliciter impeditos, hodie nonnisi duplex datur impedimentum, scl. ratione duplicis stipitis communis tantum.

341. Quid de consanguinitatis dispensabilitate?

a. Quatenus sit iuris naturalis indubii, est simpliciter indispensabilis; quatenus vero sit iuris naturalis dubii, Ecclesia, partem sequens tutiorem, numquam in ea dispensat. Cfr. n. 338 *b* et 339 *b*.

b. Quatenus certo sit iuris mere ecclesiastici, nullus datur gradus in quo numquam dispensatur. Attamen, quo proximior gradus, eo difficilius dispensatio conceditur. Hinc

difficilius ut sat gravis admittitur dispensandi causa [1]) et difficilius super eo indultum dispensandi conceditur.

Sola „consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis" impedimentis *gradus minoris* annumeratur. Can. 1042, § 2, 1°.

342. Quaenam poenae in consanguineos matrimonium attentantes?

Codex ipsum attentandi actum ex parte consanguineorum nulla poena plectit, uti facit quoad impedimentis vinculi, ordinis sacri vel voti sollemnis devinctos. Attamen quatenus eumdem actum crimen incestus fere per se aut praecedit aut subsequitur, eiusdem criminis poenae etiam hic notari possunt. Iamvero:

a. Ex can. 2357, § 1 „laici legitime damnati ob ... incestum, ipso facto infames sunt, praeter alias poenas, quas Ordinarius infligendas iudicaverit." Praeterea ex eod. can., § 2 „excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint".

b. Quoad clericos, tam in minoribus quam in sacris constitutos, ad respectivos canones (2358 et 2359, § 2) remisisse sufficiat.

Art. X. *De impedimento affinitatis.*

343. Consanguineos ipsa natura, scl. communio eiusdem physice sanguinis, per se et immediate reddit invicem propinquos, seu — ratione communis *nativitatis* ex eodem stipite — *cognatos.*

Attamen in societate humana, tum civili tum ecclesiastica, etiam aliae quaedam personarum propinquitates agnoscuntur, partim natura ipsa, partim instituto humano inductae.

Natura quidem ipsa, quamvis nonnisi mediate, ea obtinetur propinquitas, quae mediante matrimonio vero inducitur quoad coniugum unumquemque relate ad naturaliter cognatos

---

1) Dataria Apost. 19 Iun. 1895 in A. S. S., XXVIII, p. 568; cfr. Gasp., n. 379; Wernz, n. 632. — Attamen Sedis Ap. praxis decursu temporis ab illa severitate recessit, qua e.g. Conc. Trid. (S. 24, c. 5 *de ref. matr.*) in secundo gradu numquam volebat dispensari „nisi inter magnos principes et ob publicam causam.'.

alterius. Quae quidem propinquitas, de qua in praesenti articulo, proprio nomine *affinitas* [1]) vocatur.

Huic autem propinquitati ea quadamtenus assimilatur quae, mediante quasi quodam matrimonio, nempe mediante matrimonio invalido vel mediante publico et notorio concubinatu [2]), pariter inducitur quoad unumquemque sic coniunctorum relate ad naturaliter cognatos alterius. Haec autem propinquitatis species *quasi-affinitas* haud incongrue vocatur. Quatenus vero impedimentum matrimonii constituit, proprium *publicae honestatis* nomen in iure accepit. De qua dicemus Art. XI.

Solo vero humanae legis instituto propinquitas quaedam seu „cognatio" personarum agnoscitur tum ratione collationis baptismi aut susceptionis de sacro fonte (*cognatio spiritualis*, de qua Art. XII), tum ratione adoptionis coram lege civili (*cognatio civilis*, de qua Art. XIII).

344. Ad affinitatem propius accedentes, praemittimus canonem 97, qui affinitatis ortum, ambitum et computandae modum breviter describit. Videlicet:

a. „Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato" (§ 1).

b. „Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos" (§ 2).

c. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa" (§ 3).

Tria hoc canone enunciata nunc singillatim et attentius consideremus.

---

1) *Affinitas*, vi vocis, est propinquitas *finium* seu limitum duarum rerum, quarum una, e. g. hortus, dicitur affinis vel confinis alteri, quia fines unius attingunt fines alterius. Qua ratione etiam per coniugium oritur singularis quaedam propinquitas personarum, qua maritus ad fines consanguinitatis uxoris accedit, et vicissim. Quam metaphoram etiam in patria lingua exprimunt voces *aanverwantschap, aanhuwelijking, aangetrouwd.*

2) *Concubinatus*, praesertim publicus, utpote modus vivendi mariti instar et uxoris, et sic a simplici consuetudine fornicaria aliqua saltem ratione distinctus, plus quam haec sociales matrimonii relationes sibi attrahit.

345. E duabus prioribus paragraphis deduci potest, quid iure canonico sit affinitas.

Scilicet: est propinquitas ex matrimonio orta inter virum et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos.

Dicitur autem affinitas oriri ex matrimonio. Quo sub respectu data notio, si spectetur historia iuris canonici plus decies saecularis [1]), est omnino nova.

Nondum enim vigente Codice I. C., affinitas non e matrimoniali coniunctione qua tali, sed ex carnali copula, et quidem ex qualibet copula, tam fornicaria quam matrimoniali, oriebatur.

Nempe is qui quomodocumque, licite vel illicite, copulam carnalem perfectam cum aliqua persona habuerat, inde cum huius personae consanguineis affinitatem, matrimonium dirimentem contraxerat. Quinimo, ipsius personae iam coniugatae copula adulterina cum consanguineo compartis, relate ad eam inferebat affinitatem illam supervenientem, qua ipsius matrimonii usus fiebat adultero prohibitus, donec „ius amissum petendi debitum" ei fuisset Ecclesiae dispensatione restitutum.

Codex autem, hac in re denuo innovans ius civile Romanorum [2]), et, pro copula carnali matrimonium affinitatis radicem figens, duo simul instituta obsoleta et in praxi admodum molesta abrogavit, nempe impedimentum affinitatis matrimonio antecedens ex copula illicita, et idem impedimentum matrimonio contracto superveniens ex copula adulterina.

Igitur affinitas, quae prius ex omni et sola copula exsurgebat, nunc, iure Codicis, oritur ex omni et solo matrimonio. Dico: „ex omni matrimonio", scl. sive rato tantum, sive rato et consummato. Quatenus autem hodie etiam matrimonium ratum tantum affinitatem inducit, iterum habemus ius novum; antea enim huiusmodi matrimonium non

---

1) Quam historiam vide apud Wernz, n. 429.

2) Iuri Romano concordat art. 350 Cod. civ. Neerl.: „Zwagerschap bestaat in de betrekking welke door aanhuwelijking geboren wordt tusschen den eenen der echtgenooten en de bloedverwanten van anderen".

affinitatem, sed solummodo *quasi*-affinitatem, seu *publicam honestatem* (de qua art. XI), inducebat.

Tandem notetur, solum matrimonium validum affinitatem inducere; matrimonio enim invalido nonnisi *quasi*-affinitas seu *publica honestas* inducitur, uti art. XI videbimus.

346. Inter quosnam generatim per matrimonium affinitas inducitur?

Inducitur „inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris itemque mulierem inter et viri consanguineos". Hinc:

1°. Vir et mulier non ipsi sibi mutuo affines sunt, sed coniugio suo causa et veluti stipes affinitatis existunt.

2°. Consanguinei unius coniugis sunt quidem affines respectu alterius, non vero ergo huius consanguineos [1]). Quod exprimitur hoc adagio: *Affinitas non egreditur copulatos.* Proinde, si A viduus, filios habens ex priori matrimonio, copulatur viduae B, filias similiter ex priori matrimonio habenti, exoritur quidem affinitas inter A et filias B necnon inter B et filios A, minime vero inter filios unius et filias alterius: hi igitur possunt sine ullo impedimento matrimonium inter se inire, etsi forte, a tempore contracti matrimonii inter A et B, *fratris* et *sororis* [2]) nomine invicem appellaverint. Math., 289. — Ob eandem rationem, licet sororem defunctae suae uxoris ipse maritus superstes ducere nequeat, nihil tamen obstat, quominus illam ducat mariti superstitis frater.

3°. Coniux unus affinitatem quidem contrahit erga compartis consanguineos, non vero erga eiusdem affines. Quod solet exprimi hac regula: *affinitas non parit affinitatem* [3]). Proinde Petrus, maritus, contrahit quidem affinitatem cum Ioanne, fratre suae uxoris, non vero cum Antonia, coniuge Ioannis: atque ideo, si tum uxorem Petri tum Ioannem e vivis discedere contingat, Petrus et Antonia libere possunt

---

1) Idem est sub hoc respectu effectus in lege nostra civili. Habet quippe art. 350 cit.: „Er bestaat geen zwagerschap tusschen de wederzijdsche bloedverwanten der echtgenooten".

2) Lingua nostra vulgari vocantur *tafelbroeders (-zusters).*

3) Dus: iemands aanverwanten brengen, door te huwen of opnieuw te huwen, in de personen, met wie zij huwen, hem geen nieuwe verwantschap aan.

nuptias inter se inire. — Ob eandem rationem non sunt affines, ac proinde nubere invicem possunt: vitricus et vidua sui privigni, privignus et vidua sui vitrici; noverca et viduus suae privignae, privigna et viduus suae novercae.

4°. Hinc quoque intelligitur, personas, nullo umquam matrimonio iunctas, eos solos affines sibi habere, qui cum suis consanguineis matrimonio iuncti fuerunt; eos vero, qui ipsi matrimonio iuncti sunt aut fuerunt, *praeterea* pro affinibus habere consanguineos suae compartis.

Nota. In medio aevo, Concilio Lateranensi IV° antecedente, praeter speciem affinitatis modo descriptam et hodie vigentem, duplex alia vigebat species, una quae e secundis[1]), altera quae e tertiis[2]) nuptiis oriebatur.

347. Quomodo computandum, in quo gradu (et linea) una persona sit affinis alteri?

Quia in ipsa affinitate nullae sunt generationes, ideo per se affinitas gradus non habet, sed gradus in ea sumuntur iuxta gradus consanguinitatis.

Ideo affinitas „ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa". Can. 97, § 3[3]). Hinc e. g. si Ioannes Bertham uxorem duxit, ille cum Catharina, matre Berthae, affinis est in primo gradu lineae rectae, quia nempe Catharina est in eodem gradu consanguinea Berthae. — Si Antonia nupsit Arnoldo, illa cum Carolo, patruo Arnoldi, affinitatem habet in secundo gradu attingente primum in linea collaterali, quia nempe eodem gradu Carolus et Arnoldus coniuncti sunt. Et ita porro.

---

1) Pone, matrimonium inter A et B dissolvi obitu mariti (A). Per secundas nuptias a superstite muliere (B) initas, alter huius maritus (C) affines sibi acquirebat consanguineos non tantum propriae uxoris (B), sed etiam praemortui eius mariti (A).

2) Pone ulterius, in casu modo descripto, etiam secundum matrimonium dissolvi obitu mulieris (B) ac dein huius alterum maritum (C) novo copulari coniugio cum muliere D. Quo tertio matrimonio huic mulieri (D) affines fiebant consanguinei non tantum proprii mariti (C), sed insuper praedefunctorum B et A. — Cfr. Ben. XIV, *de Syn.*, l. IX. c. XIII, n. 1—4.

3) S. Thom., qu. 55, art. 7 ad 1m.

348. Affines, quaenam ad invicem sortiuntur nomina?

In linea recta aliquis vocatur: *a. vitricus* (stiefvader) respectu suae *privignae* seu *filiastrae* (stiefdochter) et *noverca* (stiefmoeder) respectu sui *privigni* seu *filiastri* (stiefzoon; *b. socer* (schoonvader) respectu suae *nurus* (schoondochter) et *socrus* (schoonmoeder) respectu sui *generi* (schoonzoon).

In linea collaterali: frater mariti vel uxoris alicuius, respectu huius vocatur *levir* (zwager, schoonbroeder); soror autem mariti vel uxoris alicuius, respectu eiusdem dicitur *glos* (zwagerin, schoonzuster, snaar). In lingua latina uxor fratris mei dicitur *fratria* mea, vir autem meae sororis dicitur meus *sororius* (in het Nederlandsch wederom zwager en zwagerin).

Uti videtis, omnia haec nomina nonnisi primo affinitatis gradui denotando inserviunt. Pro designando secundo gradu in linea recta, lingua latina adhuc habet nomina: *provitricus, pronoverca, proprivignus, proprivigna;* item: *prosocer, prosocrus, progener, pronurus;* in patrio sermone respective adduntur adiectiva „groot-" et „klein-".

349. Et haec quidem de affinitatis notione. Modo videamus de matrimonii impedimento, quod per eam inducitur. Quocirca ita statuit can. 1077, § 1:

„Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive".

Quo canone quoad lineam collateralem derogatur legi Conc. Lat. IV, qua hucusque affinitas, haud secus ac consanguinitas, matrimonium derimebat usque ad quartum gradum inclusive [1]).

Unde hodie viduus hoc impedimento in linea collaterali non ligatur nisi quoad uxoris defunctae sorores (gr. 1), amitas, materteras, fratris vel sororis filias (gr. 1 et 2), patrueles, amitinas et consobrinas (gr. 2); similiter vidua nonnisi quoad mariti defuncti fratres (gr. 1), patruos, avunculos, fratris vel sororis filios (gr. 1 et 2), patrueles, amitinos et consobrinos (gr. 2).

---

1) C. 8 *de consangu. et affinit.* (IV, 14).

Porro, ob nexum can. 96, § 3 inter et can. 97, § 3, etiam de hoc impedimento valet: „Gradus remotior trahit ad se propinquiorem" (n. 333). Unde cum affinibus in gradu tertio, licet primum gradum attingente — cuiusmodi sunt compartis patrui- et avunculi „magni", amitae- et materterae „magnae" itemque fratris vel sororis nepotes neptesve — impedimentum non existit.

350. Quomodo affinitatis impedimentum multiplicatur? Ex can. 1077, § 2 multiplicatur duplici modo:

1°. „Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis [1]) a quo procedit".



Ob duplicem consanguinitatem gradus secundi inter Ioannem et Albertum, maritum defunctum Corneliae, haec a secundis nuptiis cum Ioanne duplici affinitatis secundi gradus impedimento retinetur.

2°. Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti". Unde si e.g. Hugo, post primum coniugium cum Anna, et post alterum cum huius sorore Maria (ad quam ducendam dispensationem in primo gradu affinitatis in linea collaterali obtinuerat), tertio nubere cupit cum Gertrude, utriusque uxoris defunctae sorore, ad hoc dispensatione indigebit in dupici affinitate, pariter gradus primi in linea collaterali. Ratione enim duplicis matrimonii praecedentis, Gertrudis dupliciter *glos* ei existit.

Similiter obstaret affinitas duplex, attamen in *secundo* lineae

---

1) Legendum videtur: „Quoties multiplicatur consanguinitas a qua procedit". Siquidem in consanguinitate, ut est causa affinitatis, per se non est quod attendatur *impedimenti* ratio.

collateralis gradu tantum, si Hugo tertio nubere vellet cum aliqua *consobrina* utriusque uxoris praemortuae.

Duplex haec multiplicitatis causa, utpote canone formiter enumerata, profecto *taxative* sumenda est, ideoque iam non, ut antea, affinitas eo duplicabitur quod utraque pars fuerit coniugata personae alterius consanguineae. Unde si duo fratres, Caius et Titius, respective Semproniae et Maeviae, duabus sororibus, coniugati fuerunt, superstites e.g. Caius et Maevia (vel Titius et Sempronia) nonnisi semel affines sibi erunt.

351. Quo iure, naturali an ecclesiastico, affinitas matrimonium dirimit?

I. Quatenus e matrimonio rato tantum procedens, seu quatenus identica cum antiquo impedimento honestatis publicae e matrimonio rato valido, affinitas, toto suo ambitu et nemine dubitante, solo ecclesiastico iure matrimonium dirimit. Quod confirmat can. 1043, conferens locorum Ordinariis facultatem „urgente mortis periculo" in hac specie affinitatis et quoad ipsam lineam rectam dispensandi; siquidem „consummato matrimonio" facultatem dispensandi Ordinariis abloquens, canon e sensu opposito eandem facultatem in hypothesi matrimonii solummodo rati et non consummati eisdem impertitur.

II. Quatenus procedens e matrimonio rato et consummato:

a. in quocumque gradu lineae collateralis pariter est iuris mere ecclesiastici. Errant nempe Protestantes qui contendunt, affinitatem in primo huius lineae gradu matrimonium iure naturali dirimere. Cui errori ansam praebuit rex Anglorum Henricus VIII, qui, ut duceret Annam Boleyn, matrimonium suum cum Catharina Arragonensi (vidua fratris sui Arthuri) invalidum esse contendebat, utpote contra ius naturale ex pontificia dispensatione initum [1]);

b. in quocumque gradu lineae rectae, non excluso gradu

---

1) Vide hunc Protestantium errorem prolixe confutatum apud Rosset, n. 1946—1952.

primo — hinc non exclusa affinitate inter vitricum et privignam, inter socerum et nurum, inter socrum et generum — affinitas, secundum sententiam hodie communem, matrimonium pariter solo iure ecclesiastico dirimit. Non defuerunt quidem usque ad nostra tempora [1]) scriptores qui hanc affinitatis speciem iure naturali matrimonium dirimere sunt opinati; idque, uti putabant, ob quamdam paternitatis et filiationis relationem inter huiusmodi personas existentem, necnon ob assertam praxin Ecclesiae in hac affinitatis specie numquam dispensandi. At vero, *quaedam* illa paternitas et filiatio *veram* paternitatem filiationemque imperfectius imitatur, quam quae, sicut haec, e iure naturali immediate derivetur. Ecclesia autem, quamvis in hac impedimenti specie dispensare non soleat et vix umquam dispensavisse cognoscatur, absolute tamen a dispensando non abstinuit. Exemplum dispensationis recenter factae habemus in quodam rescripto S. Poenitentiariae, diei 2 Dec. 1911 [2]). Quo rescripto quodammodo iam praenunciabatur sensus canonis 1043, quatenus hanc affinitatis speciem respicientis. Scilicet a facultate, quam canon ille Ordinariis locorum concedit dispensandi, urgente mortis periculo, „super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici," cum impedimento proveniente ex sacro presbyteratus ordine, excipitur etiam impedimentum „ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, proveniens". Qua exceptione, quoad gradus indistincta, quum profecto comprehendatur etiam affinitas in gradu primo lineae rectae — quippe quae longe facilius quam affinitas in gradu secundo vel tertio occurrit, ideoque praecipue attendi merebatur — indubie sane significatur, eam quoque impedimenti speciem esse iuris ecclesiastici: alias non fuisset eam excipiendi ratio. Quod dictum sit adversus Rosset,

1) E.g. Rosset, n. 1955—1966, qui etiam citat Gotti et d'Annibale.

2) Rescriptum illud revalidari permittit matrimonium mere civile Ioannis T. cum Rebecca S., filia illegitima uxoris primae ac legitimae ipsius Ioannis. Hîc igitur vere habetur dispensatio in affinitate ex matrimonio orta, ideoque in affinitate secundum conceptum Codicis, quamvis concessa quoad matrimonium cum consanguinea illegitima unius coniugum. Hinc errare videtur Linneborn, S. 271[4], ita scribens: „Derartige Fälle sind jetzt in das Hindernis nicht mehr einbezogen". Cfr. v. Grinsven, *N, K. St.*, 1916, blz. 269 et Boudinhon in *Canoniste*, 1912, p. 659.

qui (n. 1965) eam exceptionem, iisdem fere verbis iam expressam in decreto S. Off. 20 Febr. 1888 [1]), nonnisi remotiorum graduum intuitu appositam fuisse arguit.

352. Ex his fere sponte sequitur, quid tenendum de affinitatis dispensabilitate. Videlicet:

a. Quum agatur de impedimento, quod universo suo ambitu est ecclesiastici iuris, nullus dari potest casus in quo ecclesia dispensare non valeat.

b. Quamvis commune illud canonistarum [2]) axioma: „Ecclesia in affinitate primi gradus lineae rectae numquam dispensat" derelinquendum videatur, verum tamen manet, hucusque vix umquam in ea dispensatum fuisse. Ipsam enim paternitatis et filiationis similitudinem Ecclesia summopere in ea veneratur. Insuper, si partium alterutra sit e priori coniugio illegitime nata, omnino constare debet, hanc non esse proprium filium (filiamve) dispensationem petentis.

c. „Affinitas in secundo gradu lineae collateralis" est impedimentum *gradus minoris* ex can. 1042, § 2, 2°. Attamen etiam in gradu primo huius lineae ob causas canonicas, inferius indicandas, dispensari solet.

353. Num affinitas in infidelitate contracta, suscepto baptismate, impedimentum esse incipit?

I. Quatenus procedens e matrimonio rato-tantum, negative, uti, Codice nondum vigente, communiter iam tenebatur de quasi-affinitate ex eodem matrimonio [3]).

II. Quatenus vero procedens e matrimonio in infidelitate consummato alii [4]), ob affinitatis conceptum Codice immutatum, pariter negative, alii vero [5]), quibus assentimur, affirmative respondent. Idque ob hanc rationem:

---

1) *Collect.*, n. 1471; cfr. Prosyn. Harl. 1889, I.

2) Ben. XIV, *de Syn.*, l. IX, C. 13, n. 4.

3) v. d. B.-Sch., n. 181, sed praesertim, contra v. d. Burg, n. 47, R. 2, Wernz, n. 449[24].

4) Aertn.[9], n. 764, qui etiam citat Creusen-Vermeersch.

5) Leitner, *Handb. d. K. R.*, 1918, S. 42; Linneborn, S. 271; Ferreres et Pighi apud Aertn.[9], l.c.

S. C. S. Off. olim [1]) decrevit: „affinitatem quae in infidelitate naturaliter (cfr. superius n. 194) contrahitur ex copula tum licita, tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis quae in infidelitate ineuntur (cfr. superius, n. 192); *evadere tamen impedimentum pro matrimoniis quae ineuntur post baptismum,* quo suscepto, infideles sunt subditi Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecti." Haec quidem decisio, licet nunc ceciderit quoad affinitatem ex copula illicita — quia can. 97, § 1, impedimentum canonicum a propinquitate naturali per eam inducta penitus abstulit — firma tamen manet quoad affinitatem ex copula matrimoniali [2]). Primo quidem quia can. 97, § 1, quatenus affinitatem e matrimonio consummato oriri decernit, cum veteri iure ex parte congruit, ideoque, qua ita congruit, ex iure antiquo adhuc aestimandus est (can. 6, 3°). Dein etiam quia, quum naturalia sint perpetua, non est cur Ecclesia, licet affinitatis conceptum ex parte mutaverit, naturalem illam relationem in parte non mutata non aeque ac antea consideraret, simulac qui naturaliter sunt affines etiam canonice tales fieri possunt, i.e. simulac per baptismum Ecclesiae subditi sunt effecti.

354. Num, soluto matrimonio e quo oritur, ipsa solvitur affinitas eamque consequens impedimentum?

Negative, sed semel *orta* (cfr. can. 97, § 1), de se, i.e. seclusa dispensatione, est perpetua, adeo quidem ut nec alio superveniente matrimonio deleatur [3]). In quo ius canonicum declinavit a iure Romano, quo, solutis iustis nuptiis, etiam affinitas dissolvebatur [4]). Qua de re saepe errant fideles, falso putantes, soluto per mortem unius coniugis matrimonio, etiam

1) 26 Aug. 1891 in *Collect.*, n. 2180. Alia eiusdem sensus responsa vide *Canoniste,* 1897, p. 697 (S. C. de Prop. F., 19 Iun. 1895) et 1899, p. 300 (S. C. S. Off., 14 Dec. 1898).

2) In facienda huiusmodi affinitatis analysi, ad varias inde conclusiones deducendas, ipse praeïvit Codex I. C., statuendo scl. in can. 1043 maiorem eius dispensabilitatem, si ex matrimonio rato-tantum, minorem vero si ex matrimonio consummato procedere supponatur.

3) Cfr. can. 1, C, XXXV, qu. 10 et Sanchez, L. VII, disp. 64, n. 2.

4) Inst. L I, tit. X, § 6. Ius civile patrium (B. W., art. 352) hac in re canonico iuri consonat.

affinitatem cessare. Quod tunc praesertim credunt, quum e matrimonio per mortem soluto nulla proles relinquitur.

355. Utrum et quousque hoc impedimentum iure viget civili?

Lege civili Neerlandica ita viget ut ad quemlibet quidem gradum in linea recta, nonnisi vero ad gradum primum (canonicum) in linea collaterali se porrigat [1]).

355 *bis.* Quaenam poenae in affines matrimonium attentantes?

Hic idem respondendum quod superius (n. 342) de consanguineis. Nam, uti habet Gratianus, „incestus est consanguinearum vel affinium abusus" [2]). Quum vero, Codice nondum vigente, quasi-affinium abusus incestus non reputaretur [3]), ideo nunc, conceptu affinitatis reformato, dubitari potest num e solo matrimonio rato affines huic legi poenali subiaceant. Stante autem tali dubio applicanda videtur regula illa iuris: „In poenis benignior est interpretatio facienda".

Art. XI. *De impedimento publicae honestatis.*

356. Affinitatem proprie dictam, seu ex matrimonio valido ortam, in can. 1078 excipit *quasi* illa affinitas, quae oritur ex matrimonio invalido, et ex publico vel notorio concubinatu.

Sicut nempe, spectata consuetudine societatis humanae, ii qui vere valideque coniuges sunt effecti, eo ipso consanguineos suos mutuo sibi reddiderunt socialiter propinquos, ita etiam, licet minus fortiter, qui ad modum saltem coniugum sunt uniti aut vitam degunt, licet aut ob matrimonii contracti nullitatem aut ob ipsius animi maritalis defectum (quod obtinet in concubinariis) reapse coniuges non sint.

Qua data propinquitate, praeter morum puritatem (n. 336, *b*) etiam publica honestas, scl. reverentia quaedam erga propinquitatem ipsam, postulare videntur, ne iidem saltem cum sibi magis

1) B. W. art. 87 en 88, 1°.

2) Can. 2, § 4 C. XXXVI, qu. 1.

3) Schmalzgr., L. V, tit. 16, n. 100. Cfr. Hollweck, *Strafgesetze*, § 179².

ita propinquis matrimonium ineant. Quam ob caussam inductum est impedimentum, de quo nunc sermo.

357. Praemittimus integrum canonem 1078:

„Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris ac vice versa".

358. Quaenam huius impedimenti origo et quis eius progressus in iure canonico?

Ad 1m. Origo praecipue quaerenda est in iure Romano, quod decrevit, in nuptiis contrahendis „non solum quid liceat, sed et quid *honestum* sit" considerandum esse [1]). Inhonestum autem reputabatur coniugale consortium inter sponsorum unum et personam alteri in primo gradu lineae rectae consanguineam [2]).

Ad 2m. Ius canonicum non solum hanc publicam honestatem Romanorum, (e sponsalibus ortam) agnovit et paullatim sibi ut matrimonii impedimentum adoptavit, sed etiam ad eosdem omnino gradus illud extendit, ad quos impedimenta consanguinitatis et affinitatis [3]). Insuper quasi-affinitatem non solum e sponsalibus *de futuro* sed etiam e sponsalibus *de praesenti*, i.e. e matrimonio non-consummato (cfr. p. 89) oriri constituit; quod sane mirum non est, quia arctior quasi-affinitas per ipsum matrimonium inducitur quam per solam matrimonii promissionem. Denique hoc impedimentum etiam e sponsalibus et matrimoniis invalidis decrevit

---

1) L. 42 D. *de ritu nuptiarum* (23, 2), e quo et e similibus iuris Romani locis nomen huius impedimenti — „publica *honestas*" vel etiam „*iustitia* publicae honestatis" (Trid., S. 24, c. 3 *de ref.*) — derivatum esse videtur. Nomen „quasi-affinitatis", recentiori praesertim tempore ei applicatum, quamvis potius eius naturam denotans, a Codice tamen non fuit adoptatum.

2) § 9 Inst., I, 10; l. 12 § 1 et 2 D. tit. cit., necnon l. 8 D. *de gradibus* (38, 10).

3) C. unic. *de sponsalibus* in VI0, collatum cum c. 8 *de consangu. et affinit.*

oriri, dummodo illa non essent invalida ob defectum consensus [1]).

Et sic quidem fuit progressus iuris praesertim Decretalium usque ad Conc. Tridentinum. Hoc autem Concilium tum a sponsalibus *quacumque ratione* invalidis vim huius impedimenti inducendi prorsus abstulit, tum illud, quatenus e sponsalibus validis oriundum, *primum* gradum non excedere decrevit [2]).

Tandem Codex, votis complurium Patrum Vaticanorum [3]) maxima ex parte obsecundans, honestatis publicae impedimentum, ut sponsalium validorum effectum, penitus abrogavit (cfr. n. 80 et 113) et, quatenus e matrimonio adhuc retentum, in ipso conceptu suo reformavit.

359. Publica honestas, quatenus Codice non abrogata, in quibusnam quoad conceptum suum reformata est?

Reformatio illa, intime cohaerens cum novo conceptu affinitatis (n. 345), haec tria importat. Scilicet honestas publica:

a. iam non solo matrimonio, sed etiam concubinatu inducitur. Antea vero concubinatus, seu potius copula concubinaria, sicut quaelibet copula illicita, non *quasi*-affinitatem sed *veram* inducebat. Quatenus vero matrimonio inducenda:

b. iam non oritur e matrimonio rato seu valido, sed e solo invalido. Antea publica honestas etiam, quinimo potissimum, per matrimonium ratum et non consummatum inducebatur; quod tamen hodie non publicam honestatem, sed affinitatem inducit. Quatenus denique e matrimonio invalido oriunda:

c. iam non e solo inconsummato huiusmodi matrimonio oritur, sed etiam e consummato. Antea enim per ipsius matrimonii consummationem honestas publica, quae prius extiterat, in affinitatem transibat [4]). Solummodo disputabatur,

---

1) C. unic. *de sponsalibus* in VI⁰ (Bonif. VIII).

2) Sess. 24, c. 3 *de reform. matr.*

3) Cfr. Martin, *Coll. act. Conc. Vatic.*, p. 156, 170.

4) Secundum aliquos auctores per matrimonii consummationem affinitas publicae honestati accedebat. Cfr. Vlaming[1], n. 294; Gasp., n. 818; Rosset, n. 2001.

utrum haec pro *legitima* (impedimentum ad *quartum* usque gradum constituens), an pro *illegitima* seu fornicaria (*secundum* gradum non egrediens) esset habenda [1]).

360. Igitur can. 1078 duplicem figit publicae honestatis veluti radicem, nempe matrimonium invalidum, sive consummatum sive non, et concubinatum publicum vel notorium. Utramque seorsim considerantes, in primis quaerimus: Utrum matrimonium utcumque invalidum hoc impedimentum inducat?

Affirmative. Canon enim non distinguit, nec ullam apponit exceptionem. Non igitur refert utrum matrimonium sit invalidum ob aliquod impedimentum dirimens, an ob defectum substantialem sive in consensu sive in forma lege requisita. Pariter non refert utrum ipsum matrimonium fuerit putativum an attentatum (supra, n. 56).

Ideo ultra non valet ius praecedens, quo matrimonium ob defectum consensus invalidum publicam honestatem non inducebat [2]) et quo matrimonium nullum ob defectum aetatis, in vim sponsalium validorum transiens, quoad hoc impedimentum inducendum nonnisi more sponsalium, i.e. non ultra primum gradum, operabatur [3]).

Quatenus autem canon 1078 dubitari adhuc sinit de „matrimonio" ipsa specie seu *figura* matrimonii vacuo (n. 56), dubium erit mere speculativum.

Practice enim huiusmodi coniunctio, si minus ut matrimonium, saltem ut concubinatus hoc impedimentum inducet. Quod maxime dictum sit de actu mere civili, quippe quem, prae caeteris matrimoniis invalidis, S. Sedes „nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum" pronunciavit [4]).

---

1) Quocirca auctores distinguebant casus *a.* formae matrimonii servatae vel non servatae; *b.* matrimonii bona vel mala fide invalide initi; *c.* malae fidei in una tantum parte vel in utraque. Vlaming[1], n. 281.

2) C. unic. *de sponsalibus* in 6[0]. Aliter Pighi, apud Aertn.[9], n. 767.

3) C. 14 *de desponsatione impuberum* (IV. 2) et c. unic. cod. tit. in 6[0].

4) Verba Pii IX, allegata in Instr. S. Poenit., 15 Ian. 1866, § 3 (*Collect.*, n. 1406).

361. Quid et quotuplex concubinatus?

Praenot. Ecclesia, quoties suis legibus „concubinatum" afficit, toties eam relationem accipit secundum conceptus iuris Romani [1]). Quo praenotato respondemus:

Ad 1m. Concubinatus est viri et mulieris sexualis conversatio, quae, licet animo maritali carens [2]), vitae tamen maritalis instar fovetur [3]).

Dicitur concubinatus vitae maritalis instar foveri, quo in primis excludatur concubinatus adulterinus, sed deinde postulatur conversationis tum unitas quaedam, tum continuitas.

Excluditur concubinatus adulterinus, tum quia hic in iure Romano reprobatur et hinc quolibet effectu iuridico caret [4]); tum quia vix quaedam inde „honestas publica" in societate Christiana germinare potest [5]).

Postulatur quaedam unitas. Quamvis enim de facto etiam cum duabus vel pluribus personis concubinatus quidam, ad instar coniunctionis polygamae, institui possit, huiusmodi tamen coniunctioni iure neque Romano neque canonico ullatenus attenditur.

Postulatur quaedam continuitas seu perpetuitas, qua scl. concubinatus sit saltem aliquatenus similis matrimonio, differatque a conversatione simpliciter fornicaria, i.e. ab actibus fornicationis singularibus, licet frequenter committendis. Sub hoc respectu verus concubinatus eo plerumque dignoscetur,

---

1) Cfr. *Kirchenl.*, ad v. „Concubinat".

2) L. 4 D. *de concubinis* (XXV, 7): „Concubinam ex sola animi destinatione aestimari oportet".

3) L. 144 D. *de verb. signif.* (L, 16) dicit „pellicem (concubinam, amicam)... vulgo vocari... quae uxoris loco sine nuptiis in domo sit". Attamen „notandum, quod de iure canonico concubinarius sit, non tantum qui domi suae, sed etiam qui extra illam in alio loco retinet... mulierem ad commercium carnale". Ita Reiffenst., L. V, tit. 16, n. 61. Cfr. Hollweck, *Strafgesetze*, § 176[2].

4) L. 1 Cod. *de concubinis* (V. 26): „Nemini licentia concedatur constante matrimonio concubinam penes se habere". Quare recte Reiffenst., l. c. „Concubinatus, inquit, est cum quis mulierem solutam... loco uxoris detinet et cum ea carnale commercium habet"...

5) Aliter Knecht, *Grundr. d. Eher.*, S. 91: [Der Ausdruck *publicus concubinatus*] erstreckt sich... auf die Neben- oder Vielehe, wo diese durch das burgerliche Recht zugelassen ist".

quod vir mulierem aut domi suae, aut suis expensis alio loco, vere sibi retineat.

Ad 2m. Codex I. C., praeter concubinatum verum ac realem, etiam praesumptum cognoscit, illum nempe in quo vivere praesumuntur clerici qui, ab Ordinario prohibiti ne certam mulierem domi suae retineant vel alibi frequentent, huic prohibitioni non obediunt. Can. 133, § 4.

Praeterea canon 1078 loquitur de concubinatu publico vel notorio, cui proinde opponitur occultus. Ad quam distinctionem explicandam iterum inserviat can. 2197, supra (n. 246) iam relatus.

362. E quonam concubinatu oritur impedimentum publicae honestatis?

Non oritur nisi „ex concubinatu publico vel notorio" (can. 1078), hinc neque ex mere praesumpto, neque ex occulto. Quod de caetero ipsum „publicae honestatis" nomen iam indigitat.

In dubio, utrum quaedam scandalosa viri et mulieris conversatio vere sit aut fuerit concubinatus publicus vel notorius, Ordinarius consulatur.

363. Publica honestas quousque et quo iure nuptias dirimit?

Ad. 1m. Ex can. 1078 „nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris (hinc cum huius matre, avia, filia, nepte), ac vice versa (hinc inter mulierem et viri patre, avo, filio, nepote).

Ad 2m. Dirimit solo iure ecclesiastico, uti luculenter ostendit eius origo historica (n. 358). Quare quoad utrumque gradum est dispensabilis. Quoad gradum secundum pertinet ad impedimenta gradus minoris (can. 1042, § 2, 3°).

Quoad ipsum gradum primum dispensatio ob causam gravem a S. Sede conceditur, dummodo tamen nullum sit dubium quod una pars sit alterius proles (can. 1076, § 3). Quare in petenda et exsequenda dispensatione super hac specie impedimenti eadem illa verificari debet clausula, quae olim adhibebatur in dispensando super affinitate lineae rectae ex copula

illicita: „... firma manente conditione, quod copula habita cum matre mulieris huius nativitatem non antecedat...", vel: „... dummodo nullum sit dubium, quod coniux sit proles ab altero contrahentium genita"...

364. Num haec propinquitas in infidelitate contracta, baptismate suscepto, impedimentum evadat.

I. Quodsi e solo matrimonio invalido inconsummato orta supponatur, negative; quia tunc agitur de propinquitate quae, utpote merum iuris ecclesiastici inventum, nullum omnino habet fundamentum naturale ac perpetuum. Cfr. n. 194 et 353, I.

II. Quodsi vero supponatur orta vel ex matrimonio invalido consummato, vel ex concubinatu publico vel notorio, cohaerenter ad ea quae diximus n. 353, II, affirmative respondendum est. Nam, ob copulam carnalem hac in hypothesi intercedentem, hîc habemus propinquitatis speciem, quae cum antiqua affinitate ex copula illicita (de qua pariter valet decretum S. C. S. Off. ibi citatum) est saltem identica.

365. Utrum et quomodo hoc impedimentum multiplicari possit.

Hanc quaestionem video ab auctoribus hucusque omissam; idque forte, quia Codex, licet consanguinitatis et affinitatis multiplicationem canonibus 1076, 2° et 1077, § 2 attingens, de multiplicanda publica honestate in can. 1078 prorsus silet. At vero hoc silentio Codex, quin huius impedimenti multiplicationem seponere velit, eam solummodo communi interpretationi relinquit determinandam. Quod autem de consanguinitatis et affinitatis multiplicatione non silet, id explicatur ex voluntate legislatoris noviter de ea statuendi, uti cann. 1076 et 1077 revera factum est.

Quo praenotato, impedimentum publicae honestatis revera multiplicari putamus pro numero matrimoniorum vel (et) concubinatuum, quibus una pars cum consanguineis alterius in linea recta fuerit successive coniuncta. Unde duplici impedimento ligatur vir quoad mulierem cuius e.g. primo aviam, deinde etiam matrem sibi habuit concubinam; itemque

mulier quoad virum, cuius primum patri invalide nupserat ac dein filio concubina extitit.

Uti facile est videre, hic multiplicandi modus est idem ille qui can. 1077, § 2, 2° statuitur quoad affinitatem. Alter eiusdem canonis modus (sub 1°) quoad hoc impedimentum obtinere non potest, quum in linea recta consanguinitas multiplex sit impossibilis.

Tertius modus, quoad affinitatis impedimentum canone 1077 tacite abrogatus (vide n. 350 in fine), utique, et a fortiori, etiam quoad hoc impedimentum (quod tandem nonnisi quasi-affinitas est) abrogatus censeri debet. Unde e. g. Caius, olim concubinarius Semproniae, nonnisi unico impedimento ligatur quoad Maeviam, Semproniae filiam, invalido matrimonio quondam iunctam cum Titio, Caii filio.

366. Impedimentum publicae honestatis, semel ortum, estne perpetuum? Affirmative, haud secus ac impedimentum affinitatis (n. 354). Quare, etiam soluto vel seiuncto coniugio invalido aut sublato concubinatu, nonnisi dispensatione removetur.

367. Num, si matrimonium invalidum convalidetur vel concubinatus in iustas nuptias convertatur, praeter tunc oriens affinitatis impedimentum etiam impedimentum publicae honestatis perseverat, an potius affinitati locum cedit? Quodsi affirmative, dispensatio forte concessa super gradu secundo affinitatis ad valide contrahendum per se sola non sufficeret. Secus vero, si negative.

Iamvero, donec S. Sedes aliter disposuerit, responsum, uti nobis quidem videtur, sit affirmativum [1]). Nullibi enim in iure agnoscitur obsorptio unius impedimenti praeëxistentis per aliud, ab illo specie et ratione diversum, neque licet superveniens impedimentum sit gravius ambitusque latioris, ut in praesenti hypothesi. Quare etiam auctores hucusque communiter admittebant [2]), publicam honestatem antiquam, etiam

1) In quod etiam Scharnagl (apud Schäfer, S. 109) inclinat.

2) Wernz, n. 445 et 459 aliique ibi citati. Aliter d'Annibale, III, n. 434 et Gasp., n. 698 et 721.

qua matrimonio rato productam, consummato matrimonio permansisse nec locum cessisse affinitati, per ipsam consummationem inductae. Quinimo quoad varias species eiusdem impedimenti, speciem unam per aliam non absorberi, sed per seipsam impedimentum constituere, docet doctrina communis de multiplicatione impedimenti criminis (n. 326).

Attamen, sicut antea communiter admittebatur de coëxistentia publicae honestatis e matrimonio rato (valido) et affinitatis (ex huius matrimonii consummatione), ita forsan admitti poterit, impedimentum minus grave (scl. publicam honestatem) practice non esse attendendum [1]).

368. Num matrimonium cum hoc impedimento attentatum pro incestuoso habendum est?

Negative, quia incestus nonnisi inter consanguineos et affines locum habet. Vide n. 355*bis*.

Art. XII. *De impedimento cognationis spiritualis.*

369. Post triplicem illam personarum propinquitatem, quae vel immediate (consanguinitas), vel mediate (affinitas et publica honestas) in naturali seu proprie dicta cognatione fundatur, Codex tandem duplicem aliam ponit ut impedimentum dirimens matrimonii, utramque fundatam in quadam improprie dicta cognatione, una spirituali inter spiritualiter cognatos per sacramentum baptismi, altera legali inter legaliter (i.e. lege civili) cognatos per adoptionem.

Videamus in primis de cognatione spirituali.

370. Quid cognatio spiritualis?

In genere et secundum se est: Propinquitas personarum, ad modum paternitatis et filiationis se habens, ratione certorum actuum spiritualium ab Ecclesia agnita et iure suo circumdata.

Eiusmodi actus hodie [2]) sola sunt collatio baptismi necnon

---

1) Cfr. Vlaming[1], n. 294, *Praenotandum.*

2) Cann. 768 et 797.

exercitium muneris „patrini" tum în baptismo tum in sacramento confirmationis. Olim etiam adiutorium baptizando praestitum in „catechismo", i. e. in principalibus caeremoniis ipsi baptismo praecedentibus [1]), itemque administratio sacramenti poenitentiae illis actibus accensebatur [2]). Quum autem iidem actus ad conferendam alicui vel complendam vitam supernaturalem, hinc ad novam eius veluti generationem et *nativitatem* [3]), referantur, ideo in subiecto eorum activo secundum quamdam paternitatem, et in passivo secundum quamdam filiationem accipiebantur et — quatenus ut tales etiam hodie ab Ecclesia agniti — adhuc accipiuntur. Unde explicatur tum adhibita *cognationis* metaphora, tum etiam cur qui in aliquo eorumdem actuum sit agens primarius (minister) *pater* spiritualis, qui vero agens secundarius (cum aliqua huius vocis flexione) *patrinus* vocetur.

Ius autem, quo Ecclesia cognationem spiritualem circumdedit, tum quibusdam continetur officiis patri spirituali erga filium suum impositis, tum praesertim impedimento matrimonii inter spiritualiter cognatos.

371. Uti num. praec. iam diximus, cognatio spiritualis hodie ab Ecclesia non attenditur nisi ratione sacramentorum baptismi et confirmationis. Quum autem ius Ecclesiae de spirituali cognatione e sacramento confirmationis sit omnino exiguum, ideo illud breviter praemittimus, quantumvis ordo

---

1) Cfr. c. 2 *de cogn. spirituali* in 6^{0} (IV, 3), ubi Bonif. VIII hanc cognationem, qua impedimentum matrimonii dirimens licet auferens, tamen ut matrimonium impediens adhuc retinet.

2) C. 8, 9 et 10 C. XXX, qu. 1. His canonibus, quamvis probabiliter apocryphis (Rosset n. 1837), proditur tamen persuasio antiqua, quam his verbis refert Gratianus: „Dicitur etiam spiritualis filia sacerdotis, quae ei peccata sua confitetur." Cui pariter persuasioni alludit Bonif. VIII, dum (in c. 3, tit. cit.), statuens circa cognationem spiritualem e baptismo et ex confirmatione, addit: „Ex datione vero aliorum saeramentorum cognatio spiritualis non oritur, quae matrimonium impediat vel dissolvat.' Cfr. Gillmann „Das Ehehinderniss der geistl. Verwantschaft aus der Busse." *Archiv*, Bd. 90, S. 236.

3) Ideam regenerationis, seu novae nativitatis ex baptismo, ipse Christus Dominus ingessit. Io. III, 5; cfr. I Cor. XIV, 14, sequ. et Tit. III, 5. Cfr. S. Thom. qu. 56, art. 2.

tum logicus tum historicus postulet, ut antea de cognatione spirituali ex baptismo agatur. Ideo iam sit quaestio:

Quinam ratione confirmationis spiritualiter cognati et quid eorum cognatio canonice efficit?

Ad 1m. Hodie vi can. 797 „ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis" ... Cognationem etiam confirmantem inter et confirmatum, itemque inter patrinum confirmantemque ab una parte et confirmati parentes ab altera, quam agnoscebat Concilium Tridentinum [1]), Codex I. C. ultra saltem non respicit.

Ad 2m. Ex eodem can. 797 haec cognatio efficit, ut patrinus obligatione teneatur „confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque christianam educationem curandi." Praeter vero hanc obligationem nil omnino iuris importat; nam impedimentum matrimonii dirimens, hucusque ex iure tridentino ei annexum, — quatenus iam, intra ambitum can. 797, adhuc locus ei foret (cfr. can. 796, 2°) — ipse Codex (can. 1079) penitus sustulit.

Nota 1. Patrinus confirmationis alio nomine vocatur *tenens*, ob eius munus confirmandum in ipso actu confirmationis manu dextera ad scapulas tangendi seu tenendi (can. 795, 5°); vel etiam *ligans*, ob eiusdem munus (antiquum) caput confirmati, completa chrismatione, vitta alba circumligandi.

Nota 2. Usus patrini etiam in confirmatione est quidem „ex vetustissimo Ecclesiae more" (can. 793), attamen nonnisi ex eo tempore quo in Ecclesia Occidentali confirmatio coepit seorsim a baptismo administrari [2]). In Ecclesia Orientali confirmatio etiam hodie, saltem ordinarie, una cum baptismo confertur [3]).

372. Quinam ratione baptismi spiritualiter cognati, et quid eorum cognatio canonice efficit?

Ad 1m. Vi can 768: „Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus."

1) Sess. 24, c. 2 *de ref. matr.*
2) C. 100, D. IV, *de Consecr.*
3) Papp-Szilagyi, *Ench. iur. orient.*, p. 451.

Baptizans et patrinus in baptismo dicuntur cognationem spiritualem contrahere cum baptizato tantum. Quod est ius a Codice noviter conditum. Antea enim, ex Conc. Trid., S. 24, c. 2 *de ref. matr.*, baptizans et patrinus (patrini) etiam baptizati parentibus spiritualiter cognati habebantur [1]; quae cognatio dicebatur compaternitas, unde ipse patrinus (matrina) etiam *compatris (commatris)* nomine appellabatur, quod apud Italos *(compare, comare)* etiamnum obtinet. Ante Concilium Trid. tum paternitas tum compaternitas spiritualis etiam a coniuge baptizantis et a coniugibus patrinorum contrahebatur *(affinitas* spiritualis). Quinimo etiam filii tum baptizantis tum patrinorum fiebant baptizato spiritualiter cognati *(fraternitas* spiritualis).

Ad 2m. Spiritualis cognatio canonice:

a. quoad patrinum hanc inducit obligationem erga baptizatum, canone 769 his verbis sibi impositam: „Patrinorum est, ex suscepto munere, spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis quae ad christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia spoponderunt."

b. quoad patrinum et baptizantem inducit impedimentum dirimens matrimonium cum baptizato, et quidem cum baptizato tantum. Nam ex can. 1079: „Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768." Quum autem Codex praeter spiritualem cognationem, de qua in can. 768, nullam aliam ratione baptismi agnoscat, ideo ius Codicis de notione et ambitu ipsius huius cognationis spiritualis (can. 762, sequ.) totum etiam est ius hodie vigens, et nunc a nobis exponendum, de notione et ambitu impedimenti cognationis spiritualis. Ad hoc autem, postquam paucis viderimus

---

1) Idem ratione confirmationes ius erat relate ad confirmantem et ad ligantem. Unde ius tridentinum de ambitu cognationis spiritualis hoc exprimebatur versiculo:

Baptizans: baptizatus, baptizatique parentes,
Levans: levatus, levatique parentes,
Confirmans: confirmatus, confirmatique parentes,
Ligans: ligatus, ligatique parentes.

de huius impedimenti origine (n. 373), exponemus quid pro eo incurrendo requiratur tum ex parte baptismi (n. 374—377), tum ex parte baptizantis (n. 378), tum denique ex parte patrinorum (379—385).

373. Quo iure viget hoc impedimentum et quando vigere coepit?

Ad 1m. Viget solo iure ecclesiastico. Est sane prorsus evidens, hoc impedimentum non oriri e iure naturali; nam sacramenta nullatenus sunt ex iure naturali, sed ex positiva institutione Christi. Non ideo tamen hoc impedimentum est iuris positive divini, quia numquam legitur a Christo, qui est sacramentorum auctor, cognationi spirituali adnexum fuisse. Ecclesia vero hoc impedimentum induxit tum ad multiplicationem amicitiae (quia cognatio spiritualis est sufficiens ratio amicitiae per se) tum ob quandam reverentiae rationem, quae sicut in cognatione carnali ita etiam in spirituali inter cognatos invenitur [1]). Unde congruentia huius impedimenti fundamentum quoddam habet in iure naturali, etsi impedimentum formaliter ab illo non inducatur.

Ad 2m. Primum documentum in quo hoc impedimentum expressum invenitur, est haec lex [2]) Iustiniani: „Ea . . . persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis . . . a sacrosancto suscepit baptismate, cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem et iustarum nuptiarum prohibitionem, quam huiusmodi nexus, per quem Deo mediante animae eorum copulatae sunt." Hac lege *civili* prae oculis habita, duplex hypothesis fieri potest: aut hoc impedimentum, e lege civili primum ortum, deinde fuisse ab Ecclesia canonizatum, aut, imperatorem Iustinianum hac sua lege civilem sanctionem addidisse legi vel consuetudini ecclesiasticae iam existenti. Haec altera hypothesis, iuxta multos, [3]) est verosimilior. Vix enim credibile est, imperatorem motu proprio indixisse prohibitionem ac irritationem in re quae fere tota

1) S. Th. qu. 56. art. 1, ad 1m.

2) l. 26 (anni 530) Cod. *de nuptiis* (V, 4).

3) Laurin, „Die Geistl. Verwandtschaft in ihrer geschichtl. Entwicklung bis zum Rechte der Gegenwart", in *Archiv*, Bd. 15, S. 888, f.f.

est spiritualis. Insuper vero, ipse modus prorsus incidentalis, quo imperator hanc legem suam condit, praeëxistentem Ecclesiae consuetudinem manifesto supponit. Attamen ob defectum legis scriptae ecclesiasticae hac lege civili antiquioris, habemus hîc exemplum alicuius legis civilis postea ab Ecclesia canonizatae. Primum autem *documentum* Ecclesiae Occidentalis [2]) in quo eiusdem impedimenti mentio reperitur est can. 4 Syn. Rom. anno 721 sub Gregorio II, qui ita habet: „Si quis commatrem spiritualem duxerit, anathema sit." Quo patet, eo tempore compaternitatem paternitati (quam solam respicit lex Iustinianaea) ut matrimonii impedimentum iam accessisse.

Ulteriorem huius instituti progressum historicum colligas ex dictis n. 370 et 372.

374. Quid, ad impedimentum inducendum, requiritur ex parte baptismi?

a. Requiritur in primis baptismus ipse seu verus, adeo ut mera caeremoniarum suppletio cognationem spiritualem non inducat. Quod diserte enunciat can. 762, § 2: „Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit adhibeatur in supplendis caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit cognationem spiritualem".

b. Requiritur baptismus validus; in baptismo enim invalido, cum *regeneratio* spiritualis de facto nulla fiat, omne deficit spiritualis *cognationis* fundamentum, omnisque ratio. Sequitur etiam, et a fortiori quidem, ex can. 763, § 2, quae spiritualem cognationem non contrahi decernit e baptismo dubie tantum valido: „Iterato baptismo sub conditione, neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit".

375. Num cognatio spiritualis oritur e baptismo sub conditione collato vel iterato?

1) v. Scherer, II, S. 313[1]. Cfr. Ben. XIV, *Syn.*, l. IX, c. 10, n. 6.

2) In Ecclesia Orientali idem iam statuerat can. 53 Conc. Trull. (an. 692).

Primum quaestionis membrum („e baptismo sub conditione collato") respicit baptismum conditionate administratum ob dubium circa ipsum factum alicuius baptismi iam suscepti; alterum („e baptismo sub conditione iterato") respicit baptismum conditionate administratum ob dubium circa baptismi de facto suscepti valorem. Alüs verbis: membrum primum respicit casum dubii *facti,* alterum respicit casum dubii *iuris* de baptismo vere valideque suscepto (supra, n. 290),

Canon Codicis 763, § 2, n. 374, *b* iam allegatus, loquens de baptismo sub conditione „iterato" deque patrino „qui priori baptismo adfuit", solum videtur respicere casum in quo adsit dubium *iuris,* ideoque illum in quo adsit dubium *facti* sub iure veteri relinquere.

Attamen verosimiliter idem canon eodem illo indistincto sensu accipiendus est, quo, Codice nondum vigente, plerique auctores, hanc quaestionem discutientes [1]), baptismum sub conditione iterandum tam pro baptismo dubio quoad factum, quam pro dubio quoad valorem accipiebant.

Iam, supponentes, hunc esse verum dicti canonis sensum, ad quaestionem nostram, quamvis cum distinctione positam, tamen indistincte ita respondemus: Ratione cuiusvis baptismi conditionati nemo, qui in eo solo patrinus fuerit, cognationem spiritualem contrahit. Secus vero qui respectu eiusdem subiecti talis fuerit tum in baptismo dubie valido, tum in baptismo sub conditione iterato.

Quo canone 763, § 2 nunc, saltem quoad patrinos, quaestio nostra decisa est tam pro casu dubii mere *negativi* — puta quando simpliciter ignoratur utrum e. g. hic infans expositus fuerit, necne, umquam baptizatus —, quam pro casu dubii *positivi,* quo scl., ob rationes aequales aut fere aequales, anceps sit, utrum baptismus fuerit, necne, de facto aut valide susceptus.

Similiter eodem canone ea nunc evanescit canonistarum doctrina, secundum quam, superveniente certa notitia de prioris baptismi non-collatione vel nullitate et hinc de baptismi

---

1) S. Lig., l, VI, n. 151; Aertn.[6], L. VI, n. 574, qu. 1[0]; Lehmk., n. 993, 3; Gasp., n. 835; Wernz, n. 498.

sub conditione collati vel iterati valore, cognatio spiritualis et inde proveniens impedimentum erant admittenda [1]). Siquidem canon 763 § 2 definivit, cognationem spiritualem e baptismo conditionato simpliciter, i.e. independenter a quavis notitia, *non contrahi.*

376. Responsum canonis 763, § 2 solos respicit patrinos. Quid vero de cognatione spirituali e baptismo conditionato baptizatum inter et baptizantem?

Quum de ea Codex prorsus sileat, retinendum videtur ius praecedens hac contentum doctrina:

Si circa collationem vel valorem prioris baptismi dubium sit mere negativum, ob praesumptionem valoris tunc totam posteriori baptismo faventem, conditionate baptizans spiritualem cognationem vere contrahit.

Similiter si, in hypothesi dubii veri ac positivi, conditionate rebaptizans sit ipse idem qui etiam baptismum dubie validum contulit: quia tunc plene ac certo fuit baptizato regenerationis minister et veluti pater.

Extra hos casus, si nempe baptizans fuerit minister *solius baptismi conditionati,* eiusque collati ob dubium *positivum* circa baptismum anteriorem, multi auctores ut olim, etiamnum inde exsurgentem dubiam cognationem ut nullam accipiunt. Nominatim exsurgenti inde impedimento dirimenti illud applicant: „Impedimentum dubium, impedimentum nullum". Huic vero doctrinae [1]) salva reverentia erga eius propugnatores, numquam assentire potui. Videtur enim praedicta regula hîc perperam alicui casui applicari, in quo nullum reapse dubium *iuris* invenitur, sed nonnisi aliquod dubium *facti* [2]). Spectato enim *iure* seu lege Ecclesiae, quod suppono quoad rem praesentem per Codicem non esse mutatum, etiam baptismus conditionatus, quoties regenerationem spiritualem revera confert, toties cognationem spiritualem vere et indubie infert. Quare patroni sententiae a nobis impugnatae ipsi fatentur quod, *si*

1) Vide Gasp. et Wernz, locis modo citatis.

2) Vide iterum S. Lig. L. VI, n. 151 cum caeteris a. a. supra citatis, nominatim Aertn[9]., n. 570, qu. 2[0].

3) Ita etiam de Becker, p. 209: de Smet[1], p. 388. Vide superius n. 197.

aliquando constet de valore alterutrius baptismi, ii qui in illo operam navaverint, cognationem spiritualem inde revera contraxisse sint dicendi. Unde quaerere licet: num forte eo momento, quo e. g. de valore baptismi posterioris constare incipiat, eodem cognatio spiritualis primum *oritur?* Quod profecto erit negandum: cognatio enim contrahenda non potest pendere a scientia vel dubio baptizantis, sed unice a lege Ecclesiae. Hinc dicendum, in casu baptismi conditionati adesse merum dubium *facti,* seu simplicem defectum certitudinis de baptismi valore; et sic quoque merum dubium facti de cognationis existentia. In tali autem dubio e sententia iam olim longe probabiliori et nunc, e sensu contrario can. 15 (n. 197, I, *b*) fere certa, opus est impedimenti dispensatione ad cautelam. Quod proinde etiam applicandum esset si ageretur de matrimonio contrahendo inter conditionate baptizantem et ab eo sic baptizatum [1]).

377. An cognatio spiritualis oritur e baptismo privato, seu omissis sollemnitatibus administrato?

I. Quoad baptizantem, affirmative secundum omnes. Nullibi enim s.s. canones, etiam Codice anteriores, ansam ullam praebent quoad hoc punctum inter baptismum sollemnem et privatum distinguendi.

II. Quoad patrinos vero hucusque alii pariter affirmative, alii vero negative respondebant.

Sententia negans [2]) praecipue nitebatur iis s.s. canonum et ipsius Conc. Tridentini [3]) verbis, quibus patrini munus vocatur susceptio „de sacro fonte", quae verba solum baptismum sollemnem indicare eis videntur, quia nempe in baptismo privato fons sacer non adhibetur. Praeterea ipsa susceptio in ista sententia ut mera accipiebatur baptismi caeremonia, olim in solo baptismo sollemni ex praecepto adhibenda, ideoque

1) Ita etiam de Becker, p. 209; de Smet[1], p. 388. Vide superius n. 197.

2) S. Lig., L. VI, n. 149 (quem tamen videntur latuisse declarationes S.C.C. mox allegandae; cfr. Aertn.[9], n. 770, qu. 1[0]) et alii multi, secundum Feye (n. 413) „communius"; maxime autem Lehmkuhl (Ed. VI, n. 758 vel Ed, XII, n. 994).

3) Sess. 24, c. 2 *de ref. matr.*

in eo solo veram cognationis spiritualis contrahendae rationem praebens.

Sententia vero affirmans [1]), quam auctor Gasparri (n. 836) ut simpliciter *certam* proponit, his nitebatur rationibus:

a. Sacri canones et etiam Conc. Trid., ubi de contrahenda a patrinis cognatione spirituali loquuntur, minime distinguunt inter baptismum sollemnem et privatum. Mentio *sacri fontis* in ea parte decreti tridentini, quae personas spiritualiter cognatas recenset, revera non occurrit; sed fit recensio eorum qui „baptizatum *de baptismo* suscipiant". Ubi vero ea mentio deinceps occurrit, alia sane mente non fit nisi quia baptismus in sacro solet fonte ministrari, aut quia fons sacer assolet promiscue usurpari pro ipso baptismo [2]). Caeterum S. C. C. Off., in rescripto die 15 Sept. 1869 Administratori Apostolico in Australiae missionibus dato, indubie significavit, circumstantiam sacri fontis, licet haud parum conferat baptismi sollemnitati, tamen illam non constituere adaequate seu totam; siquidem rescripsit, „privatum" dici baptismum, non illum qui ministratur, ubi non adest ecclesia parochialis *neque fons baptismalis*, sed illum „in quo nulla alia caeremonia a Rituali praescripta adhibetur, nisi ablutio baptizandi, verbis formae prolatis, iis videlicet quae baptismo iure divino sunt necessaria." [3]) Unde valde nutans est argumentum e verbis illis *de sacro fonte* petitum (Rosset, n. 1865);

b. susceptio non est mera baptismi caeremonia, sed est munus seu officium fideiussoris seu patris spiritualis, idque non minus utile ac necessarium infanti extra fontem sacrum baptizato, quam infanti qui in hoc fonte sacris undis abluitur [2]);

---

1) Cum Reiffenst. et Schmalzgr. inter recentiores e.g. Feye (l.c.); Gasp. (l.c.); Rosset, n. 1865; v. d Burgt, n. 172*b* (quem Feye, uti nobis quidem videtur, immerito inter patronos alterius sententiae collocat); v. d. B.-Sch., p. 206; Laurin, „Die geistl. Verwandtschaft u. die Privattaufe" in *Archiv*, Bd. 55, S. 369.

2) Etiam Codex eadem expressione semel (can. 765, 5⁰) utitur, idque eadem profecto mente qua decretum tridentinum; vel etiam ad indicandum unum ex diversis modis quo suscipiendi actu vere patrinus constitui quis possit.

3) *Nouv. Rev.*, 1877, p. 455.

2) Quod nunc singulariter confirmat Codicis can. 762, § 2 qua praeci-

c. accedit vis et auctoritas decisionum S. C. C. Iam die 17 Apr. 1603, cum in casu particulari quaesitum fuit, an mulier M., quae in baptismate privato tenuit infantem viri E, cum illo viro cognationem contraxisset, S. C. repondit (secundum ius de cognationis spiritualis ambitu quod ante Codicem vigebat): „Si M. habuit animum levandi infantem de sacro Fonte, concontractam esse cognationem spiritualem". Deinde vero, postquam die 29 Maii 1677 ad dubium modo generali propositum S. C. respondisset „Dilata et scribant theologi", exhibitis revera theologorum scripturis, Eminentissimi Cardinales ad dubium: „An dispositio Conc. Trid. cap. 2, Sess. 24 *de Ref. Matr.*, decernens, in sacramento baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti, locum habeat in baptismo sine sollemnitatibus ob necessitatem domi secuto?" respondendum censuerunt: *Affirmative* [1]). — Lehmkuhl[6], n. 758, ut vim huius responsi evadat, dicit, illud non esse mere interpretativum sed extensivum Concilii Tridentini, ac proinde, ut vim legis universalis obtineret, authentice promulgari debuisse; consequenter, cum authentice promulgatum revera non fuerit, (ita quidem ut ipsi S. Alphonso incognitum remanserit), contrariam sententiam manere „probabiliorem et communiorem", uti eam vocat S. Alphonsus. At vero, admissa sententiae affirmantis saltem probabilitate, id gratis omnino asseri videtur. Responsa enim S. C. C., quae eduntur ad declarandum sensum hucusque dubium ac saltem probabilem alicuius decreti tridentini, ea per se ac natura sua sunt mere interpretativa seu comprehensiva. Hinc, qui ea extensiva esse perhibeat, id probare tenetur. Sed praesens declaratio nihil habet, quo extensivam eam esse innuatur: desunt ipsa verba „facto verbo cum Sanctissimo", quibus S. C. C. nonnumquam in suis declarationibus utitur, ad denotandum, decretum fuisse a Pontifice

---

pitur ut „etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur." Unde pro abrogata habenda est prohibitio Synodi dioec. Ultraiect., p. 30 itemque Harl., p. 30.

1) Vide haec reponsa, necnon vota theologorum, *Anal. I. P.*, tom. VIII, col. 1707, sequ. Item apud Laurin, l.c., S. 408 f.f.

approbatum. Hinc revera habet vim interpretativam seu comprehensivam, i.e. authentice declarat quinam sit, relate ad praefatum dubium, sensus decreti Tridentini [1]);

d. omnem nunc dubitationem aufert Codex I. C., in can. 768 generaliter statuens: „Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt cum baptizato tantum baptizans et patrinus." Ubi autem Codex patrinum in baptismo privato adhibitum excipi voluisset, id sane expressisset, uti quoad patrinum in supplendis baptismi caeremoniis forte adhibitum expressit hoc canone (762, § 2): „Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem." Quinimo hic canon sensu suo contrario directe hoc suggerit: „Extra hunc casum — i.e. si patrinus ipsi baptismo privato interfuerit, sive dein in supplendis baptismi caeremoniis adhibeatur sive non — cognationem spiritualem bene contrahit." Hisce igitur canonibus controversiae modo relatae finem impositum esse censemus [2]).

378. Quid ad paternitatem spiritualem contrahendam requiritur ex parte baptizantis?

Requiritur ut ipse fuerit baptismate ablutus; idque, e sententia communi ac vera contra paucos, quia qui baptizatus non est, nequit hac ecclesiastica lege affici.

Neque si, qui, nondum baptizatus, alicui baptismum contulit, postea ipse baptismum recipiat, cognatio spiritualis tunc exstabit; ex regula enim iuris 18 in 6^{0} „non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit." Recole etiam quae diximus n. 194, R. 2^{0}, *b.*

379. Iam ad ea accedamus quae, ut cognatio spiritualis vere contrahatur, requiruntur in patrinis. Ac primo quidem

---

1) Ipse Lehmkuhl in operis sui editione 12^{a} (n. 994) sententiam S. C. C., saltem ante factum, i.e. matrimonio nondum inito, pro norma habendam suadet; et universim sententiam suam minus tenaciter defendit.

2) Ita etiam Linneborn, S. 283^{6}. Contra, Creusen-Vermeersch putat, Codicem eam controversiam in medio reliquisse. Vide Aertn^{9}., n. 770.

videamus quot patrini quoad unumquemque baptizandum legitime adhibeantur.

Ex can. 764 „patrinus unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum unus et una adhibeantur." Quo fere repetitur quod de numero patrinorum his verbis Conc. Trid (cap. cit.) iam statuerat, scl.: „... ut unus tantum, sive vir sive mulier [1]) ... vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos et baptizatum ipsum ... spiritualis cognatio contrahatur."

Estne autem haec lex irritans, an solummodo prohibens? Aliis verbis: Numerus patrinorum estne hoc canone ita determinatus, ut, si ultra illum unus pluresve adhibeantur, hi spiritualem cognationem non contrahant; an secus?

Ipse Codex neque hoc canone ipso, neque can. 765 — ubi quid requiratur „ut quis sit patrinus" ex professo recenset — ea de re quidquam cavet. Unde videndum, quis fuerit sensus decreti tridentini, hoc in puncto a Codice „ex integro" relati. Cfr. can. 6, 2°.

a. Quocirca in primis intererit novisse, quid hoc in puncto ante Conc. Trid. s. s. canonibus fuerit statutum. Iamvero, iuxta ius ante-tridentinum unus tantum vel una licite poterat patrinus (matrina) esse; sed, si contra hanc prohibitionem plures infantem suscepissent, omnes cognationem contrahebant, itemque, quantum ad hoc, iudicandum erat de confirmatione [2]). Concilium autem Trid. plus concessit pro baptismo, scl. posse admitti non tantum unum vel unam, sed etiam unum et unam, scl. ad eundem suscipiendum infantem. Non tamen idem Conc., in hac concessione facienda, legem de numero legitimo patrinorum designandorum ex prohibente fecit irritantem: quod facile patebit, si ambae citati decreti partes (una de numero, alia de designatione patrinorum) ad invicem comparantur. Nam in ea parte, quae de numero patrinorum agit, non invenitur illud decretum irritans („cognationem spiritualem nullo pacto contrahant"), quod appositum est secundae parti, quae est de patrinorum designatione. Hinc, etiam post Trid., licet plures quam

1) Codex addidit: „... licet diversi sexus *a baptizando* ..."

2) C. fin. *de cogn. spir.* in 6° (IV, 3).

patrinum unum et unam adhibere sit prohibitum, tamen si plures illicite designati fuerint et infantem tetigerint, dicendi sunt id cum effectu cognationis contrahendae fecisse. Ita cum communiori contra Suarezium [1]). Attamen etiam sententia Suarezii, quae praecipue arguit e scopo Concilii Tridentini restringendi impedimentorum numerum, probabilitate non caret. Math., 277.

b. Nec videtur admittenda quorumdam (e. g. Sanchezii et Schmalzgrueber) distinctio inter casum quo omnes patrini, ultra legitimum numerum designati, infantem tetigerint simultanee, et casum quo iidem tetigerint successive; sed opinamur, cognationem ab omnibus incurri, sive simultanee sive successive tetigerint. Sic enim decidebat ius ante-tridentinum, quod hac in re nec a Tridentino nec a Codice I. C. est abrogatum. Idque confirmat responsum S. C. C. mox citandum.

c. Resolutiones S. C. C., quibus huiusque dicta confirmantur, sunt sequentes:

Prima refertur tum a Fagnano [2]) tum a Pignatello [4]). Scribit Fagnanus: „Verum cum negligentia parochi factum esset, ut tres designarentur et in libro scriberentur, de sacro baptismi fonte feminam suscepturi, nempe Titius, Titia et Sempronius, qui omnes levarunt baptizatam, et tetigerunt: fuit dubitatum an omnes cognationem spiritualem contraxissent cum baptizata, an vero ii tantum duo, qui priores sunt designati. Sac. Congregatio censuit omnes contrahere si non appareat qui primi sint designati [3]), ... et licet unus tantum et una suscipere debeant, tamen si omnes susceperint, omnes contrahere".

Altera resolutio, a Pyrrho Corrado allegata [5]) haec est:

1) Vide Feye, 419, 420, 422; Rosset, III, n. 1890.

2) Ad cap. fin. „Ex litteris" *de cogn. spirit.* (IV, II), num. 5.

3) *Consultat. can.* 93, n. 7.

4) Ex his verbis: „si non appareat qui primi sint designati" merito concludit Feye, 422, huius quaestionis solutionem ex eo etiam pendere, an sciatur, qui primi fuerint parocho designati; hinc, quae supra sub *a.* et *b.* dicta sunt non habere applicationem *si appareat qui primi sint designati*, quo casu *illi soli* contrahunt cognationem, etiamsi, illis non revocatis, alii quoque deinde designati fuerint.

5) *Praxis dispensationum*, L. VIII, c. 8, n. 8.

„Petrus et Anna coniuges elegerunt in susceptores baptismo filii Andream et Lauram: sed adveniente tempore baptismi, audiens Andreas a Petro, fuisse electam Lauram in commatrem, rogavit Petrum ut, illa posthabita, eligeret Rosam. Replicavit Petrus, se id facere non posse citra iniuriam, cui responsioni Andrea non acquiescente, idem Petrus omnia retulit parocho; et facta expressa declaratione animi sui, quod nullo pacto intendebat Rosam in commatrem habere, parochus consilium dedit ut ambae admitterentur; sed pollicebatur expresse, se nullatenus admissurum Rosam ad tangendum infantem; cui consilio Petrus acquiescens, designavit etiam Rosam in commatrem; ista autem praeter intentionem Petri, et promissionem eidem Petro factam a parocho, infantem in actu baptismi simul cum Laura tetigit. Quaeritur, an fuerit contracta compaternitas, etiam inter dictam Rosam, et Petrum, an potius inter Petrum et Lauram. S. C. C. censuit contraxisse etiam cum Rosa, quia fuit designata" [et quidem uno eodemque *designationis* actu quo Andreas et Laura, quamvis hi essent prius a parentibus *electi*]. 10 Mart. 1631.

380. Quid requiritur, ut quis v e r e s i t patrinus?

Respondet can. 765: „Ut quis s i t patrinus, oportet:

1° Sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;

2° Ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus;

3° Nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi;

4° Ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus;

5° Baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem p h y s i c e teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis".

Qui contra hunc canonem patrini admittuntur, ii simpliciter tales n o n s u n t, nec proinde baptizato spirituali cognatione ligantur. Cfr. can. 768.

Quare qui vel uno hoc canone requisitorum carere, aut uno

ex designatis ibi defectibus laborare noscatur, is, licet nihilominus admissus, libro tamen baptizatorum non inscribatur, ne forte postea ex publico huius libri fide (can. 1813, § 1) falso habeatur ut baptizato cognationis spiritualis impedimento devinctus.

Nota. Canonem 765 habere vim irritantem, quamvis sat aperte demonstret eius exordium („Ut quis sit patrinus..."), ulterius tamen probat canon 766, qui quid oporteat recenset „ut quis licite patrinus admittatur". Quod tamen matrimonii disciplinam non tangit, quia admissio mere illicita per se non obstat, quominus ea sit tamen valida. Quod a fortiori dictum sit de iis, quae ultra ambitum canonum 765 et 766 ad susceptionem licitam iure particulari requirantur. Cfr. C. P., p. 135.

381. Canonem 765 quoad nonnulla eo requisita paucis explicasse aut illustrasse iuvabit.

Itaque primo loco requiritur, ut in patrinum adhibendus „sit baptizatus". Non enim sit pater spiritualis alterius qui ipse spiritualiter regeneratus non est.

Deinde, rationis usum non assecutum huius muneris suscipiendi incapacem esse, per se est evidens.

Quod hoc munus cum annexis obligationibus (can. 769) suscepturus „intentionem habeat id munus gerendi", id pariter per se loquitur. Qua intentione profecto carent qui vel commoditatis tantum causa, vel procuratorio tantum nomine, baptizandum tenent. Quinimo, si procurator est a patrino designato constitutus, non hic, sed *solus patrinus* (vel patrini, si plures sint designati et procuratorem sibi constituerint) cognationem spiritualem contrahit. Ita pluries declaravit S. C. C. [1]). Minime tamen necesse est, quod quis praecise habeat intentionem *spiritualem cognationem* contrahendi; positis enim ponendis, cognatio illa ipso iure inducitur. Quinimo, qui cum animo fungendi patrini munere baptizatum levaret, etiamsi positive intenderet, aut etiam expresse protestaretur, se nolle inde cognationem contrahere, is contraria sua pro-

1) Apud Richter, n. 105.

testatione nihil omnino efficeret. Non enim potest pro lubitu suo separare quae Ecclesiae lege sunt connexa.

Defectus notati sub 2° omnino facile intelliguntur.

Pater et mater baptizandi ab hoc munere excluduntur tum ob paternitatem qua naturaliter, et ut christiani etiam spiritualiter, in ipsum iam sunt praediti, tum ob indolem propriam huius muneris, scl. curam spiritualem ex parte parentum forte neglectam pro viribus supplendi. Cfr. can. 769.

Coniux autem baptizandi excludi videtur, ne ulla cognatio spiritualis matrimonio superveniat, quam usus coniugii saltem aliquatenus dedeceret. Cfr. n. 372 in fine.

De iis quae sub 4° et 5° postulantur, nempe de patrini designatione, deque eius munere baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice tenendi aut tangendi, iam seorsim dicendum est.

382. Quum, ut quis sit patrinus et ut quoad baptizatum impedimentum cognationis vere contrahat, eius designatio omnino requiratur, etiam ipsius designationis valori est attendendum. Ideo in primis videamus quinam valide patrinum patrinosve designent.

Ii in can. 765, 4° hoc ordine recensentur: 1° ipse baptizandus; 2° eius parentes vel tutores, aut, his deficientibus, 3° minister baptismi.

Ipse baptizandus prae caeteris designare potest, dummodo sit *sui iuris,* i.e. dummodo aut sit persona maior (can. 89) aut, si minor, aetatem quatuordecim annorum expleverit. Quam minorum aetatem hîc putamus tum admittendam tum postulandam ob analogiam iuris e canonibus 1648, § 3 (de iure minorum agendi et respondendi in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis) et 766, 1° (de aetate legitima ipsorum patrinorum).

Parentes vel tutores, dummodo designent qui ad normam ipsius huius canonis patrinus esse possit semper valide designant, nec ullo canone poenali hoc iure privantur. Quid vero si parentes vel tutores — idemque quaeri potest de baptizando — in patrinum designent qui, ad normam can. 766, talis licite non admittitur? Codice nondum vigente,

haec valebat doctrina: „Designatio autem fit parocho, cuius est reiicere eos quos non licet in patrinos assumere; qui iuste a parocho reiiciuntur non sunt patrini nec contrahunt cognationem, licet reliqua ad susceptorum munus necessaria praestiterint." Ita Feye, n. 419. Sed, inducta per Codicem accurata distinctione inter eos qui invalide eosque qui solummodo illicite patrini adhibentur, doctrina praedicta secundum eandem distinctionem accipienda videtur.

Minister tam extra-ordinarius, quam ordinarius, idem habet ius et officium si parentes vel tutores *deficiant,* hinc etiam si designationem negligant.

383. Num, si ex omnium praedictorum negligentia nemo fuerit designatus, ii qui sponte sese ingesserint cognationem contraxerunt?

Codice nondum vigente alii negabant, quia Conc. Trid. decrevit: „Quodsi alii praeter designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant." Alii vero affirmabant, quia Conc. Trid. id non dicit de casu praesenti, scl. de casu nullius patrini designati, sed de casu patrini sese praeter designatos ingerentis. Cui proinde casui applicabant ius ante-tridentinum, quo quotquot baptizatum (ex intentione patrinum agendi) tetigissent, spiritualiter ei (eiusque parentibus) cognati fiebant.

At vero Codex „ut quis sit patrinus" designationem omnino requirens, sententiam negantem canonizavit.

384. Quid requiritur ut patrinus in ipso baptismo munere suo valide fungatur?

Requiritur ut „baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis." Ita can. 765, 5°.

Unde in primis munere suo fungatur in actu baptismi. Hinc necesse non est, quinimo per se solum non sufficit, quod patrinus ad interrogationes baptismum praecedentes pro infante respondeat, sicut quidam olim erronee asseruerunt. Nam responsio patrinorum pro baptizato spectat ad *catechismum;* in actu autem *baptismi* nulla fit interrogatio. Praeterea

olim patrinus catechismi distinctus erat a patrino baptismatis; cum illo quidem baptizatus contrahebat impedimentum *catechismi* (quod erat mere prohibens), cum hoc vero impedimentum dirimens *cognationis spiritualis.*

Quid patrino in actu baptismi pro variis adiunctis agendum incumbat, haec doceat paraphrasis can. 765, 5⁰. Videlicet: „Baptizandum in actu baptismi ... physice teneat aut, *licet teneat alius, saltem* tangat [1]); vel, *si nihil praedictorum fiat in ipso baptismi actu, saltem eo peracto* statim levet *si nempe baptismus fiat per immersionem,* seu, *si per infusionem,* suscipiat de sacro fonte aut, *si nempe baptizetur infans,* de manibus baptizantis."

Itaque certo requiritur aliquis tactus physicus baptizandi, nec sufficit, uti cum Sylvio olim docebat Carrière (n. 690) et uti ferebat usus quarumdam dioeceseon, quod animus obeundi patrini munus solo verbo aut mera assistentia ostendatur.

Ulterius requiritur tactus aut in ipso baptismi actu aut statim post; nec proinde sufficit tactus immediate ante ipsum baptismi actu, uti hucusque nonnulli [2]) docebant. Ipsum vero tactum fieri in pellem infantis, communiter non habetur necesse, sed satis habetur si patrinus tangat eius vestes, vel etiam eum teneat in linteo aut in disco; sic enim vere *tenet.*

Praeterea, si agatur de baptizando ipsius patrini manibus in actu baptismatis non gestato, non sufficit quod patrinus eum de manu alterius gestantis suscipiat, sed requiritur quod suscipiat *de manu baptizantis.* Siquidem, vero quodam sensu de sacro fonte (seu baptismo) infantem suscipit qui eum accipit ab ipso sacri fontis (baptismi) ministro. Secus vero

---

1) Iam pridem S. C. de Prop. Fide 21 Ian. 1856 edixerat; „Per verba (Ritualis) *Patrino infantem tenente* haud susceptio absoluta requiritur, cum *tenere* aeque intelligatur ac sufficiat, si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis iungat se cum eo cuius manibns ille tenetur, et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus accipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat", *Collect.*, n. 627. Mos autem, cui in hac decisione alluditur, testante Gasp.[1]. n. 744 (p. 529[2]), is est, ut patrinus vel matrina manum seu extremitatem digitorum ponat supra humerum infantis.

2) Sch.-v. d. B., n. 172, p. 210, 4⁰ et alii apud Feye, n, 418.

qui acciperet ab alio aliave, e.g. ab obstetrice, infantem ad fontem tenente. Hinc nunc silere potest controversia ea de re antea agitata [1]).

385. Patrinus designatus potestne munus suum infantem tenendi seu suscipiendi etiam per procuratorem, seu per personam interpositam, explere? Et quid tunc ex parte patrini requiritur ut sit vere talis et cognationem spiritualem vere contrahat?

Ad 1[m] responsum est omnino pronum ac facile ex can. 765, 5[0]: „per se vel per procuratorem"; in quo habemus applicationem *regulae iuris* 68 in 6[0]: „Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum."

Ad 2[m] S. C. S. Officii in quodam rescripto Administratori Apostolico in Australiae missionibus dato [2]): „Hoc in casu iura exigunt, ut persona absens acceptet tempore habili munus patrini, ac mandatum edat favore eius, qui debet eum in tali caeremonia repraesentare. Ratio est, quia patrinus formalem habere debet voluntatem acceptandi et exercendi pro viribus onera patrinatui adhaerentia." Quapropter non sunt vere patrini, nec proinde ut tales bapiismali registro inscribendi qui, quamvis munus ipsum acceptaverint, nec tamen ipsi adsunt baptismo ad munus explendum, nec ad hoc per verum aliquod mandatum sibi aliquem substituerunt.

Quid igitur censendum de praxi apud nos sat frequenti, qua patrini designati, baptismo infantis personaliter adesse non valentes, ipsi quidem designationi annuunt, sed, de se per alium repraesentando nihil curantes, rem totam parocho potius vel parentibus relinquunt?

Quodsi huiusmodi personae saltem habitualiter sciant, procuratorem sibi a parocho vel parentibus constitui, res nobis videtur satis composita. Ex una enim parte praecitata regula iuris 68 ipsi actui procuratorem constituendi applicari posse videtur, ideoque hic actus legitime perficitur „per alium", in casu per parochum vel per parentes. Ex al-

1) Feye n. 418; Gasp.[1], n. 744; Vlaming[2], n. 264, 3[0].

2) Die 15 Sept. 1869. *Nouv. Rev.* 1877 (tom. IX), p. 455.

tera autem parte, quum procurator etiam per mandatum *tacitum* rite constituatur, is, cui saltem habitualiter notum est, se absentem repraesentari per alium a parocho vel parentibus eligendum, videtur huic rei tacite consentire.

Attamen nonnumquam in patrino designato ipsa desideratur habitualis illa notitia, adeo ut de procuratore constituendo nihil plane cogitet, nec, ea de re forte interrogatus, quidquam scire se ostendat. Quo casu censerem, veri mandati nec volam haberi nec vestigium, hinc tactum physicum nulla ratione verificari, ideoque cognationi contrahendae non esse locum.

386. An et quomodo datur cognatio spiritualis multiplex?

Abrogata per Codicem cognatione spirituali ratione confirmationis necnon compaternitate ratione ipsius baptismi, fieri iam non potest ut cognatio duplicetur vel multiplicetur 1^0 ex duplicato sacramento, scl. ex susceptione eiusdem personae in sacramento utroque; 2^0 ex duplicato subiecto, scl. ex suscepto patrinatu erga parentem pariter et prolem. Possibilis tamen manet duplicatio ratione duplicis muneris, scl. si quis eandem personam tum baptizet, tum animo patrinum agendi in baptizando teneat [1].

387. Utrum iure Codicis dari adhuc possit cognatio spiritualis superveniens et matrimonii usum impediens inter patrem et matrem, propriam prolem baptizantes vel suscipientes?

Negative, ob compaternitatem spiritualem Codice penitus abrogatam (n. 372, ad 1^m). Et sic tandem prorsus nunc evanuit institutum illud poenale antiquum [2] et iam diu obsoletum, cuius adhuc vestigium habes in Rit. Rom.: „Pater aut mater propriam prolem baptizare non debet, praeterquam in mortis articulo, quando alius non reperitur qui baptizat: neque *tunc* [3] ullam contrahunt cognationem quae matrimonii usum impediat."

1) Cfr. Sch.-v. d. B., n. 174 et Vlaming[2], n. 269.

2) C. 2 *de cogn. spir.* (IV. 11); S. Th., qu. 56, art. 1, in corp.

3) Dicitur „neque *tunc*" in oppositione ad casum baptismi *temere* proli propriae collati. Caeterum, quod iuris illius antiqui theoretice adhuc supererat, id iam diu practice negligebatur. Vide S. Lig., L. VI, n. 150; Gasp., n. 843 et 845; Vlaming[2], n. 270.

388. Utrum hoc impedimentum sit dispensabile.

Affirmative: est enim iuris ecclesiastici (n. 373).

Quinimo, utpote impedimentum *gradus minoris* (can. 1042, § 2, 4°) est dispensabilitatis facilioris.

389. „Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in can. 768, a praefata Pentecostes die ipso facto cesset quoad omnes effectus, an tantum desinat esse impedimentum ad matrimonium."

Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos ad hanc quaestionem respondit: „Negative ad primam partem: affirmative ad secundam." [1])

Quo responso ipsius Codicis canonibus applicatur principium canonis 10: „Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur." Scilicet ipsius Codicis leges, nisi nominatim aliter caveant, non habent vim retroactivam, seu non habent vim infectum reddendi quod, vi iuris anterioris, in praeterito erat effectum. Unde species illae cognationis spiritualis quae ante Codicem promulgatum viguerunt (n. 372 ad 1m), Codicis promulgatione non cessaverunt aut cessant quoad effectus in praeterito iam productos (e. g. quoad nullitatem matrimoniorum cum earum aliqua contractorum); sed tantummodo quoad futurum desierunt impedimentum esse ad matrimonium contrahendum.

Itidem autem res se habet non solum quoad impedimenta universim tam prohibentia quam dirimentia, sed etiam quoad sponsalia, uti eadem Commissio ibid. ad 6 et 7, declaravit.

Art. XIII. *De impedimento dirimente cognationis legalis.*

390. Post ea quae de hac cognatione, ut est impedimentum impediens, superius (n. 204—206) diximus, hîc allegasse sufficiet can. 1080: „Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere."

ADDENDA.

Ad n. 26 *bis*, Obiicitur 4°: Cfr. Bensdorp, *Apologetica*, blz. 4, v. v.

Ad n. **113**. Commissio Pont. ad Codicis canones authentice interpretandos, in resp. 2—3 Iun. 1918, IV, 6, declaravit, hunc canonem, quatenus statuit, actionem „ad petendam matrimonii celebrationem" e sponsalibus non dari, etiam de sponsalibus sub iure anteriori et secundum illud valide celebratis intelligendum esse.

Ad n. 162. Nulli canoni oppositum, ideoque vigorem retinens, est hoc Concilii nostri Prov., p. 178: „Si qui forte nupturientes sub eodem tecto habitent et a cohabitatione separari nolint, procedere ad banna prohibemus."

Ad n. 179. Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos ad quaesitum: „Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinae christianae, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem?" resp.: „Parochus servet praescriptum canonis 1020, § 2; et dum ea peragit quae Codex peragenda praescribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa: quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam canonis 1066."

Ad n. 339, in fine. Eadem Commissio Pontificia (l. c., 5) ad quaesitum: „Quid si copula illicita et occulta praecesserit nativitatem nubendae, de qua dubitari possit an sit filia vel soror alterius partis? (Cann. 97, § 1, 1077, etc.)?" respondit: „Provisum per can. 1076, § 3." Cfr. n. 363, ad 2m.

LIBRI PRAECIPUE CITATI EOSQUE CITANDI MODUS.

A. A. S. Acta Apostolicae Sedis, Commentarium officiale.
A. S. S. Acta S. Sedis.
Aertn.[6] Ios. Aertnys, C. SS. R. Theologia moralis. Editio sexta, 1901.
Aertn.[9] Idem opus. Editio nona, quam ad Codicem Iuris Canonici accommodavit C. A. Damen, C. SS. R. Galopiae, 1918.
Anal. I. P. Analecta Iuris Pontificii.
d' Annib. Card. Ios. d' Annibale, Summula theol. mor. Ed. 4ª, Romae, 1896.
Archiv. Archiv für Kath. Kirchenrecht (v. Moy u. Vering).
Bangen. I. H. Bangen, Instructio practica de sponsalibus et matrimonio. Monasterii, 1858.
v. d. Burgt. F. P. van de Burgt, Tract. de matr. Ed. 2ª, Ultraiecti, 1875.
v. d. B. Disp. Idem. Tract. de dispensationibus matrimonialibus. Ed 4ª, Ultraiecti, 1865.
v. d. B.-Sch, Idem opus. Tertio edidit A. C. M. Schaepman. Tom. I. Ultraiecti 1908.
Bass. R. Bassibey, Le mariage devant les tribunaux ecclésiastiques. Paris—Poitiers, 1899.
de Becker. De sponsalibus et matrimonio. Lovanii 1896,
Billot. L. Billot, S. I. De Ecclesiae Sacramentis.
Caillaud. Caillaud, Manuel des dispenses, Paris 1853—57.
Canoniste. Le canoniste contemporain, Bulletin mensuel. Paris.
Codex I. C. Codex iuris canonici, Pii X Pont. Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus Romae, 1917.
Collect. Collectanea S. C. de Prop. Fide, seu Decreta etc., pro Apostolicis Missionibus ex Tabulariis eiusd. S. C. deprompta. Romae, 1893.
C. P. Acta et decreta Synodi Prov. Ultraiecten. 1865.

Corr. Pyrrhus Corradus. Praxis dispensationum apostolicarum. Venetiis, 1699.

Dens. Theologia Mechliniensis. Tractatus de spons. et matr. Ed. 6ª, Mechl., 1911.

Desmet, Aloys. De spons. et matr. Brugis, 1909.

*Desmet*³. Idem tract. ad normam novi Codicis exactus Brugis, 1919.

Ench. Denzinger-Bannwart. Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum. Ed. 11ª, Friburg. Brisg. 1911.

Feije. H. J. Feije, De imp. et disp. matr. Lovanii, 1893.

Gasp. P. Gasparri, Tract. can. de matrim. Ed. 3ª. Paris, 1904.

Heiss. De matr. tractatus quinque, Monachii, 1861.

Instr. Austr. Instructio pro iudiciis eccl. imperii austriaci quoad causas matrim., 1856.

Ioder. I. Chr. Ioder, Formulaire matrimonial, Paris, 1897.

Kutschker. Ioh. Kutschker, Das Eherecht der Kath. Kirche, Wien 1856—57.

Lehmk. Aug. Lehmkuhl, Theol. mor. Ed. 12ª, Tom II. Frib., 1914.

Lig. S. Alphonsi de Ligorio Theol. mor. Liber VI, Tract. VI.

Linneborn. Joh. Linneborn, Grundriss des Eherechts nach dem Codex Iuris Canonici. Paderborn, 1919.

Math. M. M. Matharan, S. I. Casus de matr. fere quingenti. Paris. 1893.

N. K. St. Nederl. Kath. Stemmen.

Nouv. R. Nouvelle revue théologique (Louvain).

Perrone. Io. Perrone, S. I. De matrimonio christiano libri tres. Romae, 1859.

Pompen. I. Pompen, Tract. de disp. et de revalidatione matr. Ed. 2ª, 1897.

Reiff. Anacl. Reiffenstuel, Ius can. universum. Ingolstadii, 1729. Tomus IV.

Richter. Canones et decreta Concilii Tridentini. Accedunt S. C. Cardin. Conc. Trid. interpretum declarationes, etc. Edidit Aem. Lud. Richter. Lipsiae, 1853. Nisi aliter indicetur, citabimus ex 177 illis declarationibus, etc., quas editor subiunxit Decreto Sess. XXIV *de reformatione matrimonii.*

Rosset. Mich. Rosset, Episc. Maurianen. De Sacram. Matr., Paris., 1895—96.

Sanchez, Thom. Sanchez, S. I. Disputationum de matrimonii sacramento tomi tres. Antverp., 1642.

Schaepm. C. en R. A. M. C. Schaepman, Codex en Huwelijksrecht, Utrecht, 1918.

Scherer. Rud. v. Scherer, Handb. d. Kirchenr. Graz, 1886—1898.

S. D. Synodus dioecesana Harlemensis.

Smet, de. Vide Desmet.

S. Thom. S. Thomae Aquinatis Summa Theol. Suppl. Qu. 41—68.

Wernz. F. X. Wernz, Ius Decretalium. (Ed. 2ª). Tom. IV, Romae 1911—1912.

Wouters. L. Wouters, C. SS. R. De forma promissionis et celebrationis matr. Ed. Vª 1919.

Zitelli. Zeph. Zitelli, De dispens. matr. Romae, 1887.

INDEX ALPHABETICUS.

Numeri sunt marginales.

Abrogatio impedimentorum, quid sit, 190; abrogare quis possit, ibid; an consuetudo habeat vim abrogandi, 190, *b;*

Absolutio quoad mixte procantes, 233; vel mixte coniunctos, 238.

Acatholici, v. Haeretici.

Actio sponsalitia, cuinam competat et ad quid, 113, *b;* 116.

Adoptio, ut causa cognationis legalis, 204—206; 390.

Adrogatio, ut causa cognationis legalis, 204[1].

Adulterium ut causa impedimenti criminis, 314—316; coniunctum cum matrimonio attentato, 317—318; cum coniugicidio, 319—322.

Adventus est tempus aptum pro bannis faciendis, 159.

Aetas requisita ad valide contrahendum, 260; ad contrahendum licite et convenienter, 262; ad sollemniter vovendum, 305; olim requisita ut uxor viri ad ordines promoti a sollemniter vovendo excusaretur, 300[1]; lege civili requisita ut absque parentum consensu contrahere liceat, 253; critica mulierum, 266 *ter.*

Affinitas, quid sit, 345; quare agnoscatur, 343; e quo oriatur, 345; quinam eam inter se contrahant, 346; quomodo computetur, 347; quomodo multiplicetur, 350: quo gradu matrimonia dirimat, 349; et quo iure, 351; an etiam quoad infideles conversos, 353; matrimonio superveniens abrogata, 345; secundum ius civile, 355; eius abusus est incestus, 355 *bis.*

Agnati, quinam vocentur, 331, 3[0].

Amissio domicilii, 69 *bis.*

Amor promiscuus, 19; platonicus, 10.

Annulus in mixtis nuptiis, 225, *c.*

Apostasia facit matrimonio canonice indignum, 244.

Arbor genealogica, quid sit et quomodo conficienda, 332.

Arrhae sponsalitiae, 109.

Attentatio matrimonii, quid sit, 55; quid efficiat quoad bigamos 283; quoad clericos maiores et religiosos, 307; quoad adulteros, 317—318.

Banna antenuptialia, quid sint, 143; quanam lege praescripta, 144: legis vis et obligatio, 145—147; legis sanctio, 148; quandonam omittenda, 150, 225; quo tempore facienda, 157—161; quando differenda, aut suspendenda, 162; vel repetenda, 163; et quo loco, 151—153; a quo, 151—156; quanam forma, 165; a quo superiore dispensanda, et quibusnam de causis, 172; peractorum litterae testimoniales, 176, *a*—177.

Baptismus, an ex legitimo matrimonio ratum faciat, 36; saepe desideratur in Protestantibus modernis, 284 *bis*; dubius habetur validus in ordine ad matrimonium, 291 sequ.; invalidus, an sit causa cognationis spiritualis,

374; et an conditionatus, 375—376; an privatim administratus, 377; foetus abortivi, 181.

Benedictio non danda in matrimoniis mixtis, 225, *c*.

Bigami, eorum poenae, 283.

Bimestre, neo-coniugibus olim concessum ad deliberandum de amplectendo statu perfectiori, 200.

Bona fides facit matrimonia putativa, 56; non turbanda, 276.

Bona matrimonii, 21.

Caeremoniae, post baptismum suppletae, an inducant cognationem spiritualem, 374; quatenus omittendae in mixtis nuptiss, 225.

Calvinistae negant matrimonii sacramentalitatem, 123*a*.

Castitas ut status matrimonio praecellens, 21; Deo vota matrimonium impedit, 199; et, si sollemniter, etiam dirimit, 303. V. *Professio religiosa* et *Votum*.

Causae canonicae ad dispensandum: quoad sponsalia, 127; quoad banna, 172; quoad vota, 201; quoad mixtam religionem, 217.

Cautiones praestandae in matrimoniis mixtis, 218—220 necnon 295.

Censura innodati, 274, 250 *bis*.

Certioratio de bannis alibi peractis exspectanda, 176, *a*, 2°; 177; compartis de dubia coeundi potentia, 273.

Civilis potestas nulla in vinculum coniugale fidelium, 40—47, sequ; aut in effectus a vinculo inseparabiles, 39, 47; eius agendi ratio historice considerata, 48; eius habitudo ad matrimonium secundum legem Neerlandicam, 50, eius iura in matrimonia infidelium, 51, sequ.

Clandestinum matrimonium, 57.

Clausum tempus, 183[1].

Cognatio legalis, quid sit et quotuplex, 204; ut impedimentum impediens, 205; ut dirimens 390.

Cognatio naturalis, V. **Consanguinitas.**

Cognatio spiritualis, quid sit, 370; quo iure et inter quosnam matrimonium dirimat, 371, sequ; quomodo multiplicetur, 386; superveniens matrimonio quid efficiat, 387; eius dispensabilitas 382.

Commoratio actualis, quid ad paroecianum faciendum 72.

Communio eucharistica a nupturientibus percipienda, 182, Nota 1; 223.

Compaternitas spiritualis, 372.

Concubinatus, quid et quotuplex, 361; qualis inducat publicam honestatem, 362; eius periculum vel cessatio ut causa dispensandi in mixta religione, 232, *b*.

Concubitus. Vide *Copula*.

Conditio adiecta sponsalibus, 103—105.

Conditio servilis ut impedimentum abrogata, 190.

Confessarius, eius munus in causis sponsalitiis, 117, II, *a*; erga eos qui matrimonium mixtum appetunt, 233; aut iam contraxerunt, 234 sequ.; erga filios et parentes de matrimonio ineundo dissentientes, 252, 1°; quoad casus impotentiae, 276; erga nupturientes impedimento criminis forte ligatos, 329.

Confessio sacramentalis matrimonio praemittenda, 182, II; mixte nupturientibus imponenda, 236.

Confirmationis Sacramentum ante nuptias recipiendum, 182, Nota 2; ut causa cognationis spiritualis, 371.

Coniugicidium ut impedimentum matrimonii: per se solum, 323—325; cum adulterio coniunctum, 319—322.

Consanguinitas, quid 330, *bis;* eius divisiones, 331; quomodo mensuranda, 332; gradus quomodo computandi, 333; quomodo multiplicetur,

335, 340; quousque matrimonium dirimat, 338—340; legum dirimentium convenientia, 336; earum dispensabilitas, 341.

Conscientiae matrimonium, quid, 57.

Consensus facit nuptias 15, I; consensus sponsalitius, 87; parentum, 90, 251—253.

Consuetudo, eius vis ad impedimenta introducenda, 187; vel abroganda, 190, *b;* idque speciatim quoad acatholicos, 193.

Copula carnalis nuptiis cohonestata, 21, Nota 2; nuptias non facit, 15, I; nec hodie praesumptas quidem, 58; ut conditio promissionis matrimonii, 104; ut causa affinitatis, 345; facit matrimonium consummatum, 59.

Crimen, ut impedimentum dirimens, quid, 312; quotupliciter existere possit, 313, sequ.; quomodo multiplicetur, 326; an contrahant infideles, 327; et an ignorantes impedimenti legem, 196; eius dispensabilitas, 328.

Cryptorchidae, 266, *bis* 2.

Damna ex resultu a sponsalibus compensanda, 115.

Decanus, eius facultas dispensandi in lege bannorum, 172.

Defectus occulti an ante contractum sponsalitium vel matrimonialem manifestandi, 123, 273; -consensus ex parte parentum, 90; 251—253. Vide *Parentes, Filii familias, Consensus.*

Defensor matrimonii in causis matrimonialibus, 60.

Delegatio, ad excipienda sponsalia, 101; ad banna facienda, 156.

Demonstratio in contractu sponsalitio, 106.

Derogatio quoad leges impedimentorum, 190. Vide *Abrogatio.*

Desertio malitiosa, ut causa solutionis sponsalium, 121, *c.*

Designatio patrinorum, quaenam legitima 382.

Dies devotionis, an bannis faciendis idonei, 158.

Dioecesanum domicilium et quasidomicilium, 64.

Dioecesis sponsorum diversa, quid importet quoad banna dispensanda, 172.

Discretio mentis deficiens in contractu sponsalitio, 88.

Disparitas cultus ut impedimentum dirimens, 284 sequ.; eius dispensabilitas, 295 *bis.*

Dispensatio quid, 191; eius concedendae potestas ibid.; in vinculo sponsalitio, 127; in bannis, 172; in voto simplici, 201; in sollemni, 306; in mixta religione, 213 sequ.; in aetate, 263; in disparitate cultus, 295, *bis*; in ordinis impedimento, 301; in raptu, 311; in crimine, 328; in consanguinitate, 341; in affinitate, 352; in publica honestate, 363, ad 2m; in cognatione spirituali, 389.

Doctrina nupturientibus necessaria, 178.

Domicilium quid et quotuplex, 64—66; quomodo probetur, 67; multipliciter existens, 68; quomodo amittatur, 69, *bis;* determinat parochum proprium, 62.

Dubium quoad impedimenti existentiam generatim, 185, 5º; 197, I; quoad impedimentum iuris divini in specie 197, II; quoad impedimentum per banna detectum, 173; quoad potentiam coeundi, 267; quoad impedimentum vinculi, 281; quoad baptismum in ordine ad disparitatem cultus, 289—295; quoad consanguinitatem, 338, *b*; 363, ad 2m; quoad existentiam concubinatus, 362.

Ecclesia, eius potestas in matrimonia fidelium, 39 sequ.; carentia potesta-

tis in matrimonia infidelium, 50; ut locus proclamationis bannorum, 164; ut locus interdictus pro celebratione coniugiorum mixtorum, 225, *b*.

Educatio prolis, quid importet, 1.

Effectus matrimonii, ut sacramenti, 38; a vinculo inseparabiles, 39, 47; et separabiles, ibid.

Episcopus quoad formam sponsalium, 92, sequ.; causas sponsalitias, 117, II, *c*; examen status liberi, 170, sequ.; nominatim hominum vagorum, 175; facultatem dispensandi in bannis, 172; facultatem condendi impedimenta, 186; facultatem dispensandi in voto, 202; et in matrimoniis mixtis, 221; in impedimentis dirimentibus, 191; in casibus dubiis consulendus, 173, 197, 362.

Error in sponsalibus contrahendis, 40.

Examen sponsorum, 130, sequ.

Excommunicatio lata in sponsos ministrum haereticum adeuntes, etc., 238; in clericos maiores et religiosos matrimonium attentantes, 397; ferenda in bigamos, 283. Vide *Censura*.

Fama de morte coniugis, 281, 6⁰.

Favor iuris matrimonio concessus, 60, sequ.

Feriatum, tempus, 183³.

Festa suppressa, an bannis faciendis idonea, 158.

Festivi (dies) pro bannis faciendis, quinam habendi, 158.

Fictio in contrahendis sponsalibus, 78, *b*.

Figura matrimonii, v, **Species.**

Foecundatio, artificialis, 268.

Foetus abortivi, baptizandi, 181.

Forma sacramenti matrimonii, 38; pro contrahendis sponsalibus, 91, sequ.; bannorum faciendorum, 165.

Franco-muratores, ut matrimonio indigni, 245, 248.

Fraternitas spiritualis, 372.

Generatio humana, eius genesis, 265.

Germani (fratres), quinam vocentur, 331, 2⁰.

Gradus consanguinitatis, quid sit, 332; et quomodo computandus, 333.

Graeci, eorum legislatio circa impedimentum Ordinis, 300.

Gratia sacramenti matrimonii, 38.

Haeretici catholicis non iungendi, 207, sequ.; an ligentur Ecclesiae impedimentis, 193; quatenus ex defectu rectae intentionis invalide contrahere possint, 31.

Honestas publica, v. *Publica honestas*.

Iansenistae, eorum doctrina de matrimonio, ut sacramento, 40.

Ignorantia quoad impedimenta dirimentia in genere, 196; circa baptismum susceptum, 291; quoad impedimentum criminis, 196, in fine; quoad catechismum in nupturientibus, 197; quoad usum coniugii, 180.

Illegitimi, qui sint, 331, 1⁰.

Impedimenta matrimonii, eorum notio, 183; species, 184; conspectus, 185; condendorum potestas quoad fideles, 40, sequ.; 186, sequ.; quoad infideles, 50, sequ.; an ligent acatholicos, 193; an infideles baptizatos, 194; an ea ignorantes, 196: an et quatenus liget impedimentum dubium, 197; an et quatenus revelanda, 166—169; dispensanda, v. *Dispensatio*.

Impossibilitas observandi impedimentorum leges, V. *Necessitas*.

Impotentia, secundum se, 266; ut impedimentum matrimonii, quid sit, et qualis esse debeat, 270—271; an et quatenus, ad tempus existens, matrimonii usum prohibeat, 274 *bis*; perpetua matrimonio superveniens

quid importet, 275; munus confessarii quoad casus impotentiae, 276.
Impuberes, quoad sponsalia, 88.
Infideles, non subsunt legibus matrimonialibus Ecclesiae, 50, 192; nisi quatenus contrahunt cum fidelibus 52, 195; baptizati, nonnullis ligantur impedimentis ante baptismum contractis, 194, 353, 364; eorum matrimonia cum fidelibus ob *disparitatem cultus* invalida, 52, 284; subsunt legibus matrimonialibus civiliter conditis, 51.
Infoecunditas, v. *Sterilitas.*
Instructio sponsorum, 178, sequ.
Intentio non recipiendi matrimonium ut sacramentum, quid efficiat, 31.
Iocalia seu largitates sponsalitiae, 110.
Iocus in contrahendis sponsalibus, 78.
Iuramentum sponsalibus accedens, 107.
Ius divinum (positivum) statuens impedimentum vinculi et matrimonii indissolubilitatem, 18—20; 279.
Ius naturae, ut inducens matrimonii impedimenta, 185, 1°; quatenus postulet matrimonii unitatem, 18.

Legitimum matrimonium, quid sit, 59; quanam potestate regendum, 51 sequ.
Levantes infantem de sacro Fonte, vide *Patrini.*
Lex civilis matrimonium vetans, an et quatenus a catholicis observanda, 254—256; an et quatenus ad eam ex officio exsequendam cooperari liceat. 257—259.
Libero-cogitatores, quoad cultus disparitatem, 284 *bis.*
Libertas, in contractu sponsalitio, 80—81; nubendi in genere, 22; a parocho investiganda, 137, III.
Licentia necessaria ad assistendum matrimoniis vagorum, 175.
Ligamen, quid sit, 279; quo iure matrimonium dirimat, 278; eius cessatio per mortem coniugis, quomodo probanda, 281.
Linea consanguinitatis, quid et quotuplex sit, 331, 5°.
Lucrum cessans in actione sponsalium, 116.

Maiores et consensus parentum, 253.
Mandatum procurationis ad munus patrini, 385; ad contrahenda sponsalia, 100.
Massones, ut matrimonio indigni, 245—248.
Materia et forma sacramenti matrimonii, 33.
Matrimonia mixta, Vide *Mixta religio* et *Parochus.*
Matrimonii species seu figura, vide *Species.*
Matrimonium, vocis etymologia, 5; varia nomina, 6; notio, 7—8; natura contractus, 9; obiectum, 14; essentia, 5; finis, 1, 6, 7; unitas, et indissolubilitas, 18; honestas 21; libertas, 22; ratio Sacramenti inter Christianos, 22 *bis* sequ.; eius regimen penes quem inter christianos, 38 sequ.; et inter infideles, 50 sequ.; eius divisiones et variae species, 55 sequ.; favor, 60.
Matrimonium attentatum, quid, 56; eius poenae quoad clericos in sacris et religiosos, 307; quoad bigamos, 283; quoad consanguineos et affines, 342, 352, *bis.*
Matrimonium clandestinum, quid sit, 57.
Matrimonium legitimum, v. *Legitimum.*
Matrimonium morganaticum, quid sit, 57.
Matrimonium praesumptum, 58.
Matrimonium putativum quid sit, 56.
Matrimonium ratum, v. *Ratum.*
Medici iudicium in causis impotentiae, 264, 273.

Ministellus (haereticus) a matrimonio mixto copulandis vel copulatis non adeundus, 228.
Metus in contrahendis sponsalibus, n. 80—81.
Milites, quoad banna, 154.
Minister sacramenti matrimonii, 33.
Minores, nupturi indigent consensu parentum, 251—253; quoad domicilium, 69.
Missa infra quam banna sint proclamanda, 160; in mixtis nuptiis non celebranda, 225, *c.*
Mixta religio, quid sit, 207; quo iure matrimonium prohibeat, 209; et quasnam ob rationes, 210; et an ubique, 212; an dispensabilis, 213, 214; et quasnam ob causas, 217; et quibusnam praestitis cautionibus, 218—220; a quo et quomodo in ea dispensetur, 221, sequ.; quid, concessa dispensatione, importet quoad ritum matrimonia mixta celebrandi, 225, sequ.
Modus contractui sponsalitio appositus, 106.
Morbus, ut causa resiliendi a sponsalibus, 122.
Morganaticum matrimonium, quid sit, 57.

Necessitas contrahendi an tollat impedimenti legem, 198; an et quatenus permittat cooperari matrimonio mere civili, 257.

Occisio coniugis, v. *Coniugicidium.*
Officiales civiles, an et quatenus licite cooperentur matrimonio mere civili contrahendo, 257—259.
Oophorectomia, 268, *bis.*
Ordinarius, v. *Episcopus.*
Ordo ut impedimentum matrimonii, 297 sequ.; ut causa resiliendi a sponsalibus, 124.

Papa, eius facultas constituendi impedimenta matrimonii, 186; dispensandi in vinculo sponsalitio, 127.
Parentes inscii vel inviti quoad filiorum sponsalia, 90; quoad eorum matrimonium, n. 251, sequ.
Parochia, quoad banna proclamanda, 151, sequ.
Parochianus, quis, 62, sequ.
Parochus, proprius, 62, sequ.; eius munus in causis sponsalitiis, 117; quoad sponsos examinandos, 133, sequ.; et instruendos, 178 sequ.; quoad explorandum statum liberum, 130, sequ.; quoad matrimonia mixta nondum inita, 230, sequ.; et iam contracta, 234, sequ.; quoad filios et parentes matrimonio ineundo dissentientes, 252; quoad banna antenuptialia, 151, sequ.; quoad assistentiam in matrimoniis indignorum, 248; quoad matrimonium civile, 256; quoad nuptias interdicendas, 189.
Paternitas spiritualis, 370, sequ.
Patriarchae, eorum polygamia, 20.
Patrini, quinam cognationem spiritualem contrahant, 371, 372; quinam vere tales, 379, sequ.
Phalansterianismus, 19[2].
Plenum domicilium, v. *Domicilium.*
Poenitentia in dispensatione matrimonii mixti, 222; quoad cognationem spiritualem, 370.
Polyandria, 19.
Polygamia simultanea, 20; successiva, 19.
Praegnatio sponsae, ut causa dispensandi, 172 et 217; uxoris, ut ratio abstinendi ab usu coniugii, 180; ut ratio abstinendi a periculosis exercitiis, ibid.
Praesentia parochi (Ordinarii) et testium in forma sponsalium, 93.
Praesumptio quoad domicilium, 67; consensus matrimonialis, 58; pubertatis, 261; mortis coniugis, 281, 5°;

baptismi valide suscepti, 291, 294.
Proclamationes antenuptiales, vide *Banna.*
Professio religiosa ut impedimentum prohibens, 199, sequ.; ut dirimens, 303 sequ.; ut causa solutionis sponsolium, 124.
Procuratio ad sponsalia contrahenda, 100; ad munus patrini, 385.
Promissio, qualis requiratur pro sponsalibus, 77, sequ.; qualis pro inducendo impedimento criminis, 315, 316.
Protestantes negant matrimonii sacramentalitatem, 23; potestatem in matrimonium Ecclesiae abnegant, 40; an et quatenus invalide contrahant ex intentione non-sacramentaliter nubendi, 31. Vide *Haeretici.*
Publica honestas, quid sit, 356; undenam hodie oriatur, 358, sequ.; quo gradu dirimat, 363; an et quatenus ex matrimonio invalido, 360; et ex concubinatu, 361 et 362; quomodo multiplicetur, 365; an liget infideles conversos, 364; an legitimato matrimonio vel concubinatu affinitati coëxistat, 367.
Publicationes antematrimoniales, vide *Banna.*
Purgationis tempore, an ab usu coniugii abstinendum, 180.

Quadragesima, v. *Adventus.*
Quasi-affinitas, v. *Publica honestas.*
Quasi-domicilium, quid sit, 64; quomodo constituatur, 66; quomodo probandum, 67; duplex, 68, III; domicilio pleno coëxistens, 68, II; quomodo amittatur, 69, *bis.*

Raptus, ut impedimentum dirimens, 308, 310; ut delictum, 308[1]; cur matrimonium dirimat, 309; quomodo cesset, 311; eius absentia ut conditio dispensationis obtinendae, ibid.
Ratum matrimonium, quid vocetur, 59; inducit impedimentum vinculi, 279 *bis.*
Regalistæ, matrimonii contractum et sacramentum seiungunt, 29, 1°; matrimonii regimen principibus civilibus attribuunt, 40, 1°.
Repromissio an necessaria in sponsalibus, 83, 84; an ad inducendum impedimentum criminis, 315, I, *d.*
Respublica civilis, v. *Civilis potestas.*
Ritualistæ matrimonium reverentur ut sacramentum, 23, *a.*
Rusticatio, an causa quasi-domicilii acquirendi, 68, I.

Sacramentum matrimonii, eius existentia, 23, sequ.; tempus institutionis, 27; inseparabilitas a matrimonii contractu, 30, sequ.; materia, forma et minister, 33; an insit matrimonio in facto esse, 34; an matrimonio infidelium baptizatorum, 36; an matrimonio fidelis cum infideli, 37; eius effectus, 38; an et quatenus extiterit in Testamento Veteri, 28.
Sansimonismus, 19[2].
Scribere nescientes, qua forma sponsalia inire debeant, n. 93, 94,
Scriptura pro forma sponsalium, 94.
Simulatio in contrahendis sponsalibus, 78.
Sollemnitates sponsalium codice inductae, 91, sequ.
Spadones, 266 *bis.*
Species matrimonii, quandonam adsit in matrimonio invalido, 56; num adsit in mafrimonio mere civili 360.
Sponsalia, eorum nomen, 83[1]; natura, 77; subiectum, 86, sequ; forma, 91, sequ.; accidentalia, 102; effectus, 111—116; dissolutio, 119, sequ.; ut causa impedimenti criminis, 314.
Sponsi examinandi, 133; instruendi, 178.
Status civilis v. *Civilis potestas.*

Status perfectior ut causa solutionis sponsalium, 124—125.
Sterilitas, differt ab impotentia, 266.
Stipes consanguinitatis, 332; affinitatis, 346.
Supplicae pro dispensatione in voto, 203; pro dispensatione in matrimonio mixto, 221 *bis.*
Susceptores in Baptismo, vide *Patrini.*
Syndici quoad assistentiam matrimonio mere civili praebendam, 258, sequ.

Tactus physcius ut conditio cognationis spiritualis contrahendae, 381.
Tempus banna proclamandi, 187; clausum, 183[1].
Tenentes in sacramento confirmationis, vide *Patrini.*
Testes in sponsalibus adhibendi, 92, sequ.; ad probandum statum liberum, 136, 173; ad probandam mortem coniugis, 281, 2°.
Testimonium baptismale, 140—142; factarum publicationum, 177.
Unitas matrimonii, 18 sequ.
Usus matrimonii, 180.
Uterini (fratres), quinam vocentur, 331, 2°.
Uterus, eius carentia num impotentiam constituat, 267.

Vagi, quinam vocentur, 71; nonnisi Ordinario permittente matrimonio iungendi, 175, 2 et 3; ubinam proclamandi, 153, eorum parochus proprius, 71, 72.
Vasectomia, 268, *bis.*
Venus vaga, 19.
Vetare matrimonium quis et quomodo possit, 188—189.
Villa ruralis non est quasi-domicilium, 68, I.
Vinculum coniugale quid sit, 13—15 *d*; impedimentum, 277.
Vis et metus in sponsalibus, 80, 81.
Vocatio ad statum coniugalem, 182, *a.*
Votum ut impedimentum prohibens, 199 sequ; ut dirimens, 303 sequ.; eius dispensabilitas, 201, 306; et dispensandi praxis, 202, 203.

INDEX GENERALIS

Page

Prolegomena 1

Pars I

NOTIONES GENERALES MATRIMONII

Cap. I. De matrimonii denominationibus 4
Cap. II. Matrimonii notio 5
Cap. III. De matrimonii proprietatibus 14
Cap. IV. De indole sacramentali matrimonii inter christianos 20
Art. I. Existentia Sacramenti matrimonii 21
Art. II. Ubinam sit ratio Sacramenti in matrimonio christiano 31
Art. III. De potestate Ecclesiae circa matrimonium . . 43
§ 1. Potestas Ecclesiae circa matrimonia fidelium . 45
§ 2. Ubinam resideat potestas circa matrimonia infidelium 64
Cap. V. Matrimonii divisiones 69
Cap. VI. De matrimonii favore 74
Cap. VII. De parochialitate quoad matrimonium 76

Pars II

DE MATRIMONII PROMISSIONE

Cap. I. Promissionis matrimonii natura et species . . 86
Cap. II. Promissionis matrimonii subiectum 91
Cap. III. Promissionis matrimonii forma iuridica . . . 94
Cap. IV. De promissionis matrimonii accessoriis . . . 99
Cap. V. De promissionis matrimonii effectibus 106
Cap. VI. Promissionis matrimonii dissolutio 113

Page

Pars III

DE IIS QUAE MATRIMONII CELEBRATIONI PRAEIRE DEBENT

Cap. I. Examen de statu libero 120
Art. I. De parochi investigatione 121
Art. II. De testimoniis baptismalibus 125
Cap. II. De publicationibus matrimonialibus 126
Art. I. De lege bannorum generatim 127
Art. II. Legis bannorum interpretatio 129
§ 1. De subiecto legis bannorum 130
§ 2. De paroecia et de parocho bannorum faciendorum 130
§ 3. De tempore bannorum faciendorum. 137
Art. III. De obligatione impedimenta revelandi. . . . 138
Art. IV. De auctoritate Ordinarii ante nuptias invocanda 140
Art. V. De documentis antenuptialibus 146
Cap. III. Sponsorum instructio et praeparatio 147

Pars IV

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

Cap. I. De impedimentis generatim. 155
Art. I. Notio, conspectus et divisio impedimentorum . 155
Art. II. Auctoritas quoad impedimenta matrimonii competens 159
Art. III. Quinam impedimentorum legibus teneantur. . 162
Cap. II. De impedimentis impedientibus speciatim . . 172
Art. I. De impedimento voti 172
Art. II. De impedimento cognationis legalis. 178
Art. III. De impedimento mixtae religionis 179
§ 1. De ipsa lege matrimonia mixta vetante . . . 180
§ 2. An et quomodo in mixta religione dispensetur 186
§ 3. De forma et ritu nuptiarum mixtarum. . . . 198
§ 4. De legis matrimonia mixta vetantis custodia . 203
§ 5. De munere parochi et confessarii respectu matrimonii mixti iam initi. 209
Art. IV. De matrimonio cum comparte indigna. . . . 215

Page

APPENDIX I. De defectu consensus parentum quoad matrimonia minorum 219
APPENDIX II. De lege civili matrimonium vetante . . . 222
Cap. III. De impedimentis dirimentibus speciatim . . 231
Art. I. De impedimento aetatis 231
Art. II. De impedimento impotentiae 233
§ 1. De impotentiae notione 235
§ 2. Impedimenti impotentiae constitutiva . . . 243
§ 3. Impotentiae casus practice tractandi. . . . 245
Art. III. De impedimento vinculi 250
Art. IV. De impedimento disparitatis cultus 261
Art. V. De impedimento ordinis 273
Art. VI. De impedimento dirimente voti 277
Art. VII. De impedimento raptus 281
Art. VIII. De impedimento criminis 284
§ 1. De adulterio cum matrimonio promisso. . . 288
§ 2. De adulterio cum matrimonio attentato . . 294
§ 3. De coniugicidio cum adulterio 296
§ 4. De coniugicidio solo. 300
Art. IX. De impedimento consanguinitatis 308
§ 1. De consanguinitate secundum se 308
§ 2. De consanguinitate ut matrimonii impedimento 318
Art. X. De impedimento affinitatis 326
Art. XI. De impedimento publicae honestatis. . . . 337
Art. XII. De impedimento cognationis spiritualis . . . 345
Art. XIII. De impedimento cognationis legalis 366

348.417
V844

15430

VLAMING, TH. M.

AUTHOR
Praelectiones Juris Matrimonii,I

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Fr. Hilary Werts (St. Mary's)	
	DEC 12 1986	377

15430